

æstimationem? Et in ÷ redivibus perpetuis quibuldam placet, viginti pro uno justum esse pretium, ea ratione, quod jure communi justum pretium fundi sit, quantum viginti annorum fructus deductis expensis contecerit, gloss. in *auth. perpetua*, & Salicet. *quest. penult. C. de sacrosanct. Eccles. Rom. conf. 423.* Jas. in *l. si fundum per fideicommissum, col. 2. ff. de leg. 1.* Guid. Papæ *conf. 180.* quorum opinio communis est, secundum Tiraq. *lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 6. n. 19.* & Carol. *de contract. q. 5. n. 118.* idem tenuerunt Angel. Fulgos. & Paul. Caitren. in *d. auth. perpetua*, optimus text. in *auth. de alien. §. si vero alicujus*, ubi Ecclesiæ dantur in emphyteusim pro ea pensione, quæ in viginti annis faciat æstimationem ipsius rei, quali ea sit justa pensio, quæ viginti annis conficit æstimationem fundi, & ea sit justa fundi æstimatio, quæ æquivaleret viginti annorum pensionibus. Sed is textus non probat communem sententiam: quippe qui tractat de concessione in emphyteusim temporalem rei Ecclesiasticæ pretiosæ, paucorum tamen redituum. Deinde eadem communis sententia textum habet satis contrarium in *auth. de alien. & emphyteus. §. sanctissimas*, quo constat pretium fundi taxari, ut æquivaleret pensionibus quinquaginta annorum: id verò speciali quadam ratione institutum est in domibus urbanis, quas Ecclesia Hierosolymis habebat eo tempore, quo valor urbanorum prædiorum maximè creverat. Nihilominus opinio gl. & DD. in *d. authent. perpetua*, omnino certa non est: possunt etenim causæ aliquot concurrere, ex quibus fundorum pretium varietur, vel propter periculum hostium, quos proximos habet, aut ob vicinum flumen, aliave plura quæ notissima sunt, text. insignis in *l. 3. §. divi fratres, ff. de jure fisci.* Non tamen omnino refellenda est communis omnium sententia, cum ea communi & frequentissima hominum æstimatione etiam probata fuerit. Et licet annui reditus perpetui justa æstimatio non sit similis prædiorum æstimationi, quæ ex fructibus eorum deducitur; verè tamen negari non poterit, optimam esse rationem judicandi justum pretium reditus perpetui, per similitudinem & proportionem justii pretii fundi, similem reditum communiter deductis expensis ex fructibus afferentis, *l. si fundus ff. de bonis eorum, in pr. l. fundum per fideicommissum, ff. de legat. 1.* & ibi Jas. *l. si quis, C. de rescind. vendit.* notat Carolus *de contract. q. 35. n. 267.* quandoque verò justum pretium annui reditus censetur esse, quantum ascendit cumulus pensionum quindecim annorum, *l. si quis argentum, §. si autem donator, Cod. de donationib.* Et tamen decisio specialis est, favore pauperis donatoris, ut inibi apparet, & ita eum text. interpretantur ibid. Petrus, Cyn. & Alberic. Jas. in *l. 2. mutui datio, ff. si cert. pet. col. pen. idem in l. non amplius, §. cum bonorum, ff. de legat. 1.* Gerard. *sing. 34.* Catel. Cotta in *memoralib. in dictione, Solvi non potest.* & Carol. in *tract. de contract. q. 5. n. 119.* Rursus in *auth. de Ecclesiast. tit. §. si autem*, justum pretium annui reditus censetur, si pro uno anno dentur triginta quinque. Quin ÷ in *l. 3. §. item si Republica, ff. ad leg. Falcid.* unus nummus annuus æstimatur vigintiquinque ad rationem trientis usuræ, quæ vigintiquinque unum consequuntur anno quolibet. *Item si Republica*, inquit Paulus, in annos singulos legatum sit, cum de lege Falcidia quaereretur. Marcellus putabat, tantum videri legatum, quantum sufficiat sorti ad usuras trientes eius summe, quæ legata est, colligendas. Hactenus Jurisconsultus: ad cujus interpretationem illud adnotandum est obiter, quod & alij ante nos diligentius & seriùs admonuerunt, nempe usuram centesimam eam esse, quæ centum mensibus sortem efficiat. Fœneratores etenim solebant olim usuras quolibet mense accipere in ipsis quidem Kalendis apud Græcos, apud Romanos verò Idibus quandoque, ut ex Cicero *lib. 4. Epistol. ad Attic. in epist. de Eurychide gratum, & lib. 14. in*

*Epist. E. Pompeiano. & Horatio, Epod. 2.*

*Omnem relegit Idibus pecuniam.  
Querit Kalendis ponere.*

Quidam adnotarunt, tametsi videam & Græcum morem à Romanis receptum fuisse frequenter, unde *Kalendarium* appellabant librum, quo uturatum ratio habebatur; in *l. nepos, ff. de fun. injur. l. qui filium, ff. de legat. 3. l. nomen, eod. titul.* & idem deducitur ex *l. lecta, ff. si cert. pet.* Illud fortassis ex Cicero & Horatio potius placebit, moris fuisse apud Romanos Kalendis pecunias fœnerari, Idibus usuras verò solvi. Aut hanc olim fuisse consuetudinem scæne ratorum, ut ultra statutum præfinitum Kalendarum diem, in Idus concederent dilationem; quod auctoribus observavit Petr. Pithæus *lib. 2. adversar. c. 4.* Quod adhuc ad centesimam conducit. Unde usura centesima est, quolibet anno ad rationem duodecim pro centum: erit & usura triens ad rationem quatuor pro centum: quadrans ad rationem trium nummorum pro centum quolibet item anno. Quam interpretationem in publicum ediderunt Hermolaus in *Plinium, lib. 13. c. 4. in secundis castigationibus.* Barthol. Socin. in *d. §. item si Republica.* Alciat. *lib. 3. dispunct. c. 1.* Budæus *lib. 1. de Assè.* Leonart. Portius *lib. 2. de Monetis.* Theoph. in *§. plus autem. Inst. de act. idem in §. sed quod principi, Inst. de jure nat. gent. & civili.* Viglius in *præfat. ad Theophilum Græcum,* Anton. Augustinus *lib. 2. emendat. c. 10.* Carol. Molinæus *de contractibus. n. 36.* Constantin. Harmenopulus in *Epitome juris civilis, lib. 3. tit. de usura,* & Joannes Græcus legum interpret, qui sub tempore Justiniani scripsit utilia quædam in Jus Civile glossemata, quæ Viglius in *dicta præfat. ad hanc rem adducit.* Id planè deducitur ex Columella *de Agricultura lib. 3. c. 3.* qui ex Latinis auctoribus hujus interpretationis testis est locupletissimus. Eandem centesimam rationem expendunt Francisc. Othomanus *lib. 1. de usuris cap. 7.* & Jacob. Curt. *lib. 3. conjectural. cap. 29.*

Hæc verò usura dicta est centesima, ex eo, quod centesima fortis pars usura esset menstrua; quemadmodum ex Harmenopulo Anton. Augustinus adnotavit, qui ex eodem scribit centesimam usuram, ejusque rationem mutatam fuisse temporibus ejusdem Harmenopuli, ut & centesima diceretur usura, quæ centesimam triente & amplius excederet: nempe ea, quæ ex septuaginta duobus aureis redderet quorannis duodecim aureos. Sic & Ananianus Theodosiani Codicis interpret *lib. 2. tit. 32.* usuram majorem centesima appellavit centesimam. Quod etiam admonuit Georgius Agricola *lib. 3. de pretio vet. monet.* Lucullus autem in Asia, Plutarch. auctore in *eius vita*, oppressos alieno ære his legibus liberavit. Primum enim non ultra centesimam jure fœneris deinceps repeti posse; instituit; omnes deinde usuras capite majores abscidit; postremò, quod maximum fuit, neminem imperat fœneratorem ultra quartam fructuum debitoris posse accipere: qui verò cum capite fœnus ipsum junxisset, utroque privatam esse. Hæc Plutarchus de Luculli legibus. Est igitur sensus Jurisconsult. in *d. l. 3. §. item si Republica*, quod si legata fuerit certa & annua quantitas, tantum legatum esse censetur, quantum si testator legasset, efficeret post annum ex trientibus usuris quantitatem annuo legato parem. Hinc sanè fit, Accursium & ei assentientes omnino aberrasse, dum in *1. eos, §. 1. C. de usur. & in l. 1. ad finem, C. de his quibus ut indig. & in auth. de alienat. & emphyt. §. licentiam, in verb. centesima*, & gloss. in *c. ea enim, 10. q. 2.* scribunt; usuram centesimam eam esse, quæ quolibet anno sortem ipsam afficiat, eique æquivaleret. Quæ quidem sententia prorsus est stolidissima, licet conetur eam defendere Carellian. Cotta in *memoralibus in dictione, Usura trientes.* Nam si usura centesima quolibet anno sortem ipsam efficit, quis non

videt, quàm iniqua sit Cæsarum constitutio, quæ eam quandoque permittit, quamque aliena ab ipsorum Imperatorum mente, qui etsi usuras permiserint, non tamen ita immoderatas & crudeles permisissent? Et præter hæc juxta Accursium & alios ejus opinionis, usura triens esset, quæ quolibet anno tertiam centesimæ partem penderet, redderetque, atque ideo centum nummi singulis annis redderent ex triente usura triginta tres, at ex hoc sequeretur in specie tradita per Jurisconsultum in *d. s. item si Reipublica*. legatum triginta unum aureorum, qui annuo quolibet legatio essent solvendi, ad rationem legis Falcid. non esse plus quàm centum aureis æstimandum: quod nulla ratione potest Jurisconsulti responso convenire. Sic quod Bart. in *d. s. item si Reipub.* opinatur, scribens legatum annum æstimandum fore ex ratione l. Falcid. ad proportionem unius pro triginta itidem falsum esse constat ex his, quæ modò tradidimus, & contrarium Jurisconsulti verbis, secundum eorum veram & propriam significationem, quod adversus Bartolum Socius in *d. s. item si Reipub.* Hermolaum secutus, pluribus rationibus probat. Eadem fermè ratione expendenda erit lex XII. tabul. qua sancitum erat auctore Cornelio Tacito *lib. 5.* ne quis unciario scœnore amplius exerceret. Est enim unciaria usura, quæ centesimo demum anno sortem æquat, nempe duodecima pars centesimæ, & quasi assis unciæ: ex qua quolibet anno solveretur unas nummus ad rationem centum, quibus constat fors ipsa: quemadmodum expendit eleganter Franc. Baldoinus in *leges XII. Tab. l. 5* hujus equidem unciarij scœnoris meminit Scævola Jurisconsult. in *l. Titium, §. præfectus, ff. de admin. iur.* Titus item Livius *lib. 7.* quo in loco iterum scribit T. Manlio Torquato & C. Plautio Coss. semiunciarium scœnus ex unciario factum esse: atque ideo tunc fors ipsa constans ex 200. aureis, unum tantum aureum hujus usuræ ratione quolibet anno reddebat.

Ex quibus colligitur, annum redditum quandoque justo pretio æstimari ad rationem unius pro triginta quinque, quandoque ad rationem viginti quinque: & ideo nihil certum hac in re à jure statutum esse apparet, sit igitur, ut in his redditibus perpetuo constituendis, quantum ad justam eorum æstimationem necessariò observanda sit provinciæ consuetudo, ipsaque communis hominum æstimatio, quæ cujuscumque rei justum pretium verè diffinire solet, *l. pretia rerum, ff. de l. Falcid.* sicuti Princeps & Respublica possunt taxare justum cujusque pretium, *l. 1. C. de Episcop. aud. c. 1. de empr. & vend.* Joan. Gerson *lib. de contract. considerat. 5. & 19.* atque in hac materia de censibus & annuis redditibus, Joan. Franc. à Ripa *lib. 1. resp. c. 19* & Carol. Molin. *de contract. q. 5.* Nec dubium est horum reddituum æstimationem ex pluribus posse justè variari, potissimum ob ipsius rei, super qua constituuntur, majorem aut minorem tutelam. Admonendus tamen erit lector, non statim emptionem horum reddituum usurariam debere judicari ex eo, quòd minori pretio quàm par & æquum sit, fuerint constituti. Est etenim tunc iniquitas & injustitia quoad communicationis æquabilitatem, non tamen dici poterit usura. Quin & Laur. à Rodulphis in *tract. de usur. 2. par. q. 12.* quem sequitur Paul. Paris. *conf. 60. n. 29. lib. 1.* tradit, justum pretium annui redditus perpetui esse, si pro centum constituantur annua sex, mihi tamen id non placet.

Proximè quaeritur, quod sit justum pretium annui redditus ad vitam ementis constituti? Et Oldrad. *conf. 207.* probare videtur, justum pretium esse ad rationem unius pro sex: quod non potest jure defendi: utcumque etenim sit, regulariter pretium istud non congruit justæ annui redditus, etiam ad vitam, æstimationi. Baldus verò *conf. 292. lib. 5.* justam esse æstimationem centem, etiam ad vitam duorum, ad rationem unius pro novem. Rursus idem Bald. *conf. 410. lib. 1. ad-*

mittit pretium unius pro decem ad vitam unius hominis, idem Bald. *conf. 18. lib. 1. 1.* ad duorum hominum vitam existimat justum pretium esse ad rationem unius pro decem. Romanus item *conf. 302.* justiciam pretij annui redditus ad vitam viri & uxoris meretur ad proportionem unius pro octo. Et Cuman. *conf. 181.* ad vitam patris & duorum filiorum juvenum decem opinatur justum esse unius annui pretium. Quæ omnia post Car. Mol. libenter retuli, ut appareat quàm variè hac de re nostrates senserint, nihil certum definiētes.

Quamobrem justum annui redditus pretium ad vitam constituti definiendum erit juxta communem provinciæ æstimationem, si ea certa sit. Quòd si ea nihil certum in hoc sanxerit, arbitrio boni viri pretium justum erit statuendum, perpensis ætate, valetudine ementis, aliisque pluribus, ex quibus judicis animus colliget certam hujus rei definitionem, quemadmodum tradidit Carol. *de contract. q. 72.* & Joan. à Medina *de restit. c. de censu ad vitam.* Frequentissimè verò hi annui redditus ad vitam ementis constituuntur ad rationem unius pro octo.

Sed fortassis quibusdam visum erit, hanc annui redditus ad vitam æstimationem fore constituendam secundum elegantem Jurisconsulti traditionem in *l. hereditatum, ff. ad l. Falcidiam.* Nam & ea non tantum obtinet in legis Falcidie ratione, sed & in aliis quibuscumque controversiis, ubi de æstimatione redditus ad vitam, aut de humana vitæ præsumptione conjecturaque ad certum limitem reducenda tractatur, gloss. celebris cum textu inibi in *l. omnium, ff. de usufruct.* gloss. in *l. cum hi, §. modus, ff. de transact. in verbo, cum juvene*, quatum meminere eas secuti Roderic. Suares in *l. quoniam in prioribus, C. de inoffic. test. ampliat. 3.* & Joan. Lup. in *rubr. de donat. §. 25.* quo in loco Jurisconsulti responsum adducit ad interpretationem *l. ex hac, ff. si quadrup. paup. fecisse dicatur.* Atque in specie ista de æstimatione redditus annui ad vitam, utuntur ea responsione Paulus & Jalon in *l. si pater puella, col. ult. C. de inoffic. testam.* sed quòd distinctio Jurisconsulti in *d. l. hereditatum*, tantum locum habeat in ratione legis Falcidie, non quidem in aliis quaestionibus, notarunt Imola, Alexander. & omnes in *ead. l. hereditatum* Jalon in *l. eum qui ita §. qui ita stipulatur, col. 5. ff. de verb. obligat.* Matth. de Afflict. *decisione Neapol. 34.* & eleganter Carol. Molinæus *d. q. 72.* quorum sententia ita quidem meo judicio erit probanda, ut nihilominus liberum sit cuique controversiam aliquam tractanti, discernere ex negotij qualitate, an eadem Jurisconsulti ætatum dinumeratio observanda sit extra casum legis Falcidie. Nec enim omnibus negotiis poterit ea definitio convenire, ob disparem quaestionis & rei contingentiæ rationem, quam circumspiciendissimè iudex examinare debet, ne cuiquam fraus aut injuria ex ea cum computatione fiat.

Cæterum quod attinet ad hanc materiam annui redditus, minimè poterit Jurisconsulti decisio in praxim deduci: siquidem ex ea sequeretur, annum redditum ad vitam emptoris, qui minor sit viginti annis, constitutum; eodem pretio justè æstimari, quo perpetuus æquissimè æstimaretur? secundum Carol. Molin. *de contract. d. q. 72.* Et ferè in eadem specie hoc ipsum adnotavit Joan. à Medina *de restit. c. de censu ad vitam, col. 5.* Hæc verò æstimatio profectò vanissima est, nec ulla ratione defenditur.

Sed ad *l. ipsam, hereditatum*, ut videamus quando aliis possit aptari quaestionibus, plurima sunt adnotatione digna. Primum id responsum vulgò, Venuleio adscribi, & ab Haloandio J. C. Maximo: at in Pandectis Florentinis in hunc sanè modum legitur, *Emil. Nacer. lib. 2. ad leg. 20. hereditatum.* Unde ipsius legis caput incipit à dictione computationis, ex Anton. August. *lib. 1. Emendat. cap. 4.*

Secundo, est observandum in ratione legis Falcid. legatum annui redditus perpetui, eodem pretio æstimari, quo æstimaretur, si ejus venditio fieret. *lib. 1. §. item si Reipub. ff. ad leg. Falcid.* Nec enim potest habente tempore, hujus annui redditus perpetui certa constare summa.

Tertio admonendum est, quoties annui legati potest ab initio certa definiri quantitas ab hærede solvenda, tunc ejus quantitatis rationem habendam quoad Falcidiæ deductionem. Et ideo si testator ita legaverit: *Lego Titio decem annis proximis annua decem: si & hæc heredibus Titij solvenda sunt, ex centum Falcidia deducetur*, quod probatur in *l. cum Titio, ad fin. ff. ad legem Falcid. & l. penales, ff. eodem.*

Quarto, ab eadem *l. cum Titio*, juxta communem ejus interpretationem, deducitur legatum annuum certæ quantitatis ad vitam legatarij relictum, tanti æstimandum fore: quoad Falcidiæ deductionem, quanti redditus annuus ejusdem quantitatis ad vitam alicujus constitutus æstimaretur. Unde si testator annua decem Sempronio ad ejus vitam legaverit, ita erit faciendæ æstimatio, quoad Falcidiæ rationem, ac si is redditus annuus ad venditionem justo pretio æstimandus foret. Responsum etenim Jurisconsulti in *d. l. hereditatum*, obtinet in legato alimentorum, vel usufructus; quod incertum est diminutionemque & augmentum habere potest: sic quidem in aliis legatis certis, etiam ad vitam legatarij constitutus, eadem Jurisconsulti decisio admittenda non erit.

Quinto, licet in annuis legatis certis vel incertis posse, quoad Falcidiam certa definiri quantitas, si ejus ratio differretur ad mortem usque legatarij; data tamen per eam cautione de Falcidia solvenda ab ejus hærede ex tota & integra summa percepta; hæc tamen dilatio Jurisconsulto non placuit, imò statim voluit Falcidiæ deductionem fieri; ideo eam mediocrem humanæ vitæ præsumptionem secutus, regulam illam statuit ad Falcidiæ deductionem.

Sextum, quod in hac quæstione erit animadvertendum, colligitur ab ipso Jurisconsulto, qui ad Falcidiæ jura, & ejus rationem usus est quadam humanæ vitæ præsumptione, quæ nec restringat, nec ampliet ipsius vitæ limites incertos: non enim ambigitur, longioris vitæ limites quandoque jure præsumi, quam inibi fuerint à Jurisconsulto constituti, cum & is in infante, quolibetve puero, tantum præsumat 30. annorum vitam, quæ alioqui longior præsumi solet, *l. ult. C. de sacrosanct. Eccles. tradidimus & nos l. 2. hujus operis, c. n. 6.* Sed quantum ad deductionem Falcidiæ, modesta est Jurisconsulti consideratio. Hæc verò ratio perpetuò observanda erit; cum semel ex ea Falcidiæ deductio fuerit: siquidem & hæc constituta est ad certitudinem ejus, quod alioqui incertum esse videbatur. Unde non oportet ex his quæ postmodum evenerint aut contigerint, eam Falcidiæ rationem variari, si semel secundum eam inter hæredem, & legatarium habita fuerit computatio.

Hinc deducitur an verum sit quod gloss. in *d. l. hereditatum, in verb. 30. annorum*, scripsit, respondens facta semel legis Falcidiæ deductione secundum Jurisconsulti definitionem, rursus majorem Falcidiam deducendam esse, vel deductam, minuendam, si contigerit legatorem minus vel plus vivere, quam ipse J. C. in eo responso definierit, quam interpretationem probarunt inibi Bart. Alber. & alij magis communiter, idem Imol. & DD. in *l. cum Titio, ff. eod. tit.* nam hæc Accursij sententia, etiam si frequentiori Doctorum calculo probata sit, mihi non placet: cum alioqui elegans Jurisconsulti responso parum efficeret, ac facillimè frustraretur, nihilque certum constitueret. Nec enim quod semel legitime factum est, retractari debet ex his; quæ postmodum acciderint. *l. nec enim, ff. de itin. actuque privat. l. sancimus, C. de adm. tut.*

Didaci Covarr. Tom. II.

*l. qui furore, & ibi Bart. ff. de testam. l. si quis alius, ff. de acq. her.* Ex quibus in hac specie hanc opin. adversus gloss. veriore esse censet Barth. Cæpol. *conf. causarum civilium 14. colum. ult. & Aymon Savilian. conf. 194. n. 6.* quidquid idem Aymon responderit *conf. 105. n. 10.*

Rursus & ab eadem radice inferitur, an probandum sit, quod idem Accursius adnotavit in *ead. l. hereditatum, in verb. computatio*, quo in loco asseverat, legatum usufructus Reipublicæ relictum ad legis Falcidiæ rationem ita æstimandum fore, ut tanti sit faciendæ æstimatio, quanti ipse usufructus triginta annis reddere poterit, quemadmodum in *l. hereditatum*, expressum est sic sanè, quòd si intra triginta priores annos Respublica non perierit, iterum ex alijs triginta annis faciendæ sit legati æstimatio. Hanc sanè opinionem falsam esse existimo tamen ab omnibus recepta sit. Unde, si usufructus Reipublicæ relictus, semel ratione triginta annorum quoad Falcidiam æstimetur, quamvis ultra quinquaginta annos Respublica inconcussa, & salva manserit, nulla erit iterum repetenda, quantum ad Falcidiæ rationem, æstimatio. Constat etenim usufructum Reipublicæ relictum usque ad centum annos durare. *l. an usufructus, ff. de usufruct. l. 26. tit. 31. par. 3.* Sed quia forsitan Respub. peribit ante centum annos, civitasque perire poterit ob proditionem aratri inductione *l. si usufructus civitati, ff. quib. mod. usufruct. amitt. ex illa consuetudine quam circa everendas urbes tradidere Budæus ibi & Ludov. Cælius, lib. 14. lect. antiq. c. 5.* constitutum est, ut quoad rationem legis Falcidiæ usufructus civitati vel Reipublicæ relictus, ex valore triginta annorum æstimaretur. Quæ quidem æstimatio mutari non debet ob id; quod lapsu temporis eidem Reipublicæ evenerit.

Hinc etiam facilius admittenda erit interpretatio Angeli & Imolæ ad *d. l. cum Titio*, quæ probat ex annuo legato ad vitam legatarij relictò, quoad Falcidiam faciendam esse æstimacionem tanti, quanti id legatum titulo annui redditus ad vitam constituti, vendi posset: & hoc quidem vivo legatario, at eo mortuo rationem habendam fore ejus quantitatis, quæ legatario ab hærede singulis annis ejus vitæ soluta fuerit. Ita etenim Angelus & Imol. posteriorem legis partem accipiunt, ut ea intelligenda sit, ubi nulla facta fuerit vivente legatario computatio: nam si ea semel facta est, ob longiorem, aut breviorum legatarij vitam, non est nec augenda nec minuenda, & licet Paul. Castr. ac Vincentius Herculanius in *d. l. cum Titio*, contrarium teneant ex communi interpretatione gloss. & Doct. in *d. l. hereditatum*, dubitetque Alex. in *d. l. cum Titio*, idem tamen Alexander in *l. cum quo, col. 2.* scribit non esse tutum recedere ab Angeli & Imolæ sententia, præsertim id verum est, quod Angelus existimat in specie *d. l. cum Titio*, ubi non fit computatio ex præsumptis vitæ limitibus, sed ex vera, communi hominum judicio, æstimacione. Et præterea constat adhuc interpretationem Accursij ad *d. l. hereditatum*, falsam esse, licet Imola eam receperit.

Quod verò hoc in ipso capite tradidimus, ex *l. 3. §. item si reipublica*, deducentes valorem annui redditus perpetui ad rationem unius pro viginti quinque, incertum quibusdam videbitur attenda Bartol. sententia in *l. annua, §. à Titia, de annu. legat.* quo in loco Bart. scribit legatum annuum civitati aut Reipublicæ relictum, etiam in perpetuum, restringendum esse ad centum tantum annos: ea ratione, quòd legatum annuum, & usufructus paria jura habeant *l. in singulos, ff. de annu. legat.* Sed usufructus legatum Reipublicæ relictum centum annis tantum durat. *l. si usufructus municipibus, ff. de usufruct.* ergo legatum itidem annuum Reipublicæ relictum etiam hoc expresso, quòd perpetuò duret: centum annis finitur,

idem Bart. respondit in d. l. si ususfructus, quem secuti sunt Alex. in l. 3. §. ult. ff. ad leg. Falcidiam, idem Alex. conf. 60. lib. 1. Alex. idem col. i. Vincent. Hercul. col. 2. & Lancel. Decius in l. 2. ff. solut. matrim. Anchar. & Barb. in ult. col. in c. ult. de testam. Anan. conf. 39. Cardin. conf. 66. Bolognin in d. Anania conf. Catell. Cotta in memorialibus, dictione, perpetuum, qui post Cardin. Alex. & Ananiam in dictis reiponlis hanc opinionem testantur magis communem esse. Quibus obijciuntur plura, & primum textus in l. annuam, & l. annua, in fin. & l. cum quidam, ff. de annu. legat. quibus definitum est, legatum annuum Reipublicæ relictum, perpetuò deberi: quod si dixerit, perpetuò, esse intelligendum usque ad centum annos, profectò ea interpretatio minimè conuenit nec legislatoris, nec testatoris orationi & verbis. Nam si legatum annuum privato relictum à testatore sit: ita quidem ut ejus hæredibus, in infinitum & perpetuò durat, ultra centum annos. l. annalibus, & ibi gloss. C. de legat. idem erit fortiori ratione, si Reipublicæ annua decem legentur perpetuò; siquidem in his, quæ ad privato um legata his viventibus debita, & morte eorum finitura pertinent non ita plena & ampla sit interpretatio, sicuti in legatis temporalibus Reipublicæ relictis, l. hereditatum, ff. ad leg. Falcid. igitur legatum annuum Reipublicæ relictum hoc expresso, ut perpetuum sit, non erit ad centum annos restringendum, Secundo, opinio Bart. obstat tex. in d. l. hereditatum, vers. denique, & in d. l. 3. §. item si Reipublicæ, ff. ad leg. Falcid. in quibus locis ad rationem legis Falcidiæ legatum annuum Reipublicæ relictum dissimili modo æstimatur, quam legatum ususfructus. Nam legatum annuum æstimatur usque ad quantitatem, quæ ejus ratione legatario viginti quinque annis solvenda est: legatum verò ususfructus ita quidem æstimatur, ac si Reipublica non amplius, quam triginta annis duratura sit. Unde constat, inter legatum annuum & legatum ususfructus Reipublicæ relictum, maximum esse discrimen, cum, si legatum annuum Reipublicæ relictum centum annis finiretur, ejus fieret æstimatio eo pacto, quo sit in legato ususfructus, juxta d. l. hereditatum, non ea ratione, qua sit in d. §. item si Reipublicæ. Tertio, quamvis longissimum tempus vitæ sit centum annorum, l. ult. C. de sacrosanct. Eccles. Et quod in privatis morte extinguatur, in Reipublica centum annis non ulterius duret. d. l. si ususfructus. Et legatum annuum privato relictum, morte ejus finiatur, l. 4. de annu. legat. & l. si in singulos, ff. eod. tit. tamen id obtinet, ubi datur à Jure tanta annui legati & ususfructus similitudo, ut nulla valeat differentia ratio constitui: fateor etenim legatum annuum, & legatum ususfructus paria esse, quoad hoc, ut morte finiatur utrumque: at dissimilia sunt, quantum ad reliquos extinctionis modos, cum, etsi legatum ususfructus capitis diminutione pereat, non sic pereat legatum annuum, d. l. si in singulos, quo fit, ut cum circa extinctionem ipsam hæc duo legata dispari jure tractentur, præterquam quoad mortis effectum, minimè quoad alia paria ceteri debeant. Quarto, ne Bartolum secutus dixeris, quoad extinctionem legatorum, idem efficere in Reipublica centum annorum limites, quod in privato mors ipsa, d. l. si ususfructus, considerandum est, id procedere, nisi manifesta discriminis ratio detur inter usumfructum, & annuum legatum, in ususfructu etenim legato Reipublicæ, idè statutum est, quod centum annis finiatur, ne proprietates apud heredem sit inutilis, non sic est in legato annuo, cum proprietates bonorum testatoris omnino sit apud heredem utilis & integra, qua item ratione fit, ut si ususfructus Titio, & ejus hæredibus legatur, tantum is pertinet ad primum legatarij heredem, l. antiquitas, C. de ususfruct. at si annua decem legentur eidem Titio, & ejus hæredibus; legatum hæredibus, & heredum

hæredibus, debetur absque ulla temporis præfinitione, d. l. in annalibus, ubi Bald. Salic. & DD. latius Alex. in l. G. illus, §. etiam, col. 3. ff. de liber. & posthum. Quintò, illud etiam adversus communem adducitur, quod annuum legatum potest absque ulla temporis præfinitione relinquere, l. si cum præfinitione, ff. quando dies legat. ced. Et per dictionem, Perpetuò, qualibet temporis definitio tollitur, l. pure, §. ult. de doli except. l. cum debere columnam, ff. de servitut. urbanor. prædior. inde sanè deducitur, legatum annuum perpetuò relictum, nullum habere temporis limitem. Quamobrem in hac controversia ex præmissis primò inferitur, legatum annuum Reipublicæ, civitati, Ecclesiæ, aut Collegio perpetuò relictum, minimè extingui centum annorum decursu: sed ultra procedere donec ipsa Reipublica finiatur. Quam sententiam contra Bart. probant, Barbat. conf. 20. lib. 4. Jas. in l. in annalibus. C. de legatis. Idem Jas. in l. 2. n. 1. & ibi Ripa n. 3. ff. solut. matrim. Bartol. Socin. in d. l. 3. §. item si Reipublicæ, n. 6. ff. ad legem Falcid. idem Jas. in l. videamus, §. de ferre, n. 9. ff. de in lit. jurand. eandem opinionem præmittunt omnes, qui Rogerium sequuntur, quorum mentionem statim faciemus. Secundo, ex his deducitur, legatum ususfructus expressim perpetuò Reipublicæ, vel civitati, aut Ecclesiæ relictum, centum annis finiri, quod refragante Barbat. in d. conf. 20. lib. 4. à præcitatis auctoribus unanimi consensu probatur, quamvis mihi non displiceat Barbat. responsum in ea specie, de qua fuit consultus. Tertio inferitur, legatum annuum civitati vel Ecclesiæ relictum, etiam simpliciter, minimè finiri centum annis, imò perpetuum esse, ita ut maximè differat à legato ususfructus, & ultra centum annos debeatur, secundum Rogerium, Accursium, Albericum, & Cuman. in l. annuam, ff. de ann. legat. Dynam in l. in singulos, in 2. ff. eod. tit. Angelum, Cuman. & Socin. in d. §. item si Reipub. n. 7. Panormit. in c. ult. ad fin. de testam. Ripam in d. l. 3. n. 3. idem Alberic. in l. an ususfructus, ff. de ususfruct. scribens, vidisse se frequentissime in praxi hanc sententiam servari, quæ mihi verior videtur, licet contrariam expressim tenuerint hi, qui opinionem Bartol. in d. l. si ususfructus municipibus, à me proximè adductam sequuntur, & in specie Accursius, Bart. & Lancelot. in ead. l. si ususfructus. Jacob. de Ravenna in d. l. annuam, & ibi Lancelot. Dec. dicens, hanc opinionem communem esse, quam & Imol. asserit. in d. §. item si Reipublicæ. Quarto, hac in controversia constat, legatum annuum simpliciter privato relictum, ejus morte finiri, l. 4. ff. de annu. legat. l. si in singulos, ff. eod. l. cum Titio, ff. ad l. Falcid. idque in dubio verum est, quia legatum annuum censetur causa alimentorum relictum, l. cum hi, §. si in annos, ff. de transactionibus, legatum verò ad alimenta, hæredibus legatarij non debetur l. si cum præfinitione, ff. quando dies legat. ced. Et deinde idem probatur ex eo, quod legatum annuum pro primo anno est purum, sequentibus verò conditionale, d. l. 4. conditionale autem legatum non transmittitur, ante conditionis eventum, ad hæredes, l. unica, §. si autem aliquid sub conditione, C. de caduc. tollend. igitur legatum annuum in dubio non transmittitur ad hæredes, sed morte finitur. Idem apparet ex d. l. in annalibus, C. de legatis, ubi DD. tradunt hanc questionem, & Alberic. in d. l. 4. Anton. Rubi. conf. 23. Quintò, secundum ea, quæ proposita sunt, satis aperte colligitur, in d. §. item si Reipublicæ, probari, annuum redditum, etiam perpetuum, justo pretio æstimari ad rationem unius pro viginti quinque. Quod si opinio Bartoli in d. l. si ususfructus municipibus, quoad legatum annuum admittatur nihil amplius probabitur, in d. §. item si Reipublicæ, quam quod annuus redditus ad centum annos æstimandus erit ad pretium unius pro viginti quinque.

## CAPUT X.

## De justo pretio annui reditus redimibilis, &amp; de ipso redimendi pacto.

## S U M M A R I A.

- 1 *Pactum de retrovendendo pars pretij censetur, ipsamque justam estimationem minuit.*
- 2 *Annui reditus redimibiles, quo pretio justè constituentur.*
- 3 *Interpretatio Regia constitutionis, quæ de his annuis reditibus tractat.*
- 4 *Emphyteusis, cujus origo non appareat, an præsumatur perpetua vel temporalis.*
- 5 *Annui reditus in dubio an sit iudicandus perpetuus, an redimibilis.*

**S**uperest modò tractare, quod sit justum pretium annui reditus, qui ad voluntatem primi venditoris redimendus est. Qua in re primùm erit constituendum justum pretium annui reditus perpetui, juxta ea, quæ proximo capite tradita fuerunt: & deinde adnotandum erit, pactum ꝑ de retrovendendo diminuere justum pretium, quo res ipsa absque ea pactione æstimanda foret. Pactum etenim appositum in favorem venditoris, pars pretij censetur, *l. fundi partem, ff. de contrah. empt.* Sic res minoris est æstimanda, cum venditur aliquid cum onere, sub aliave conditione, quam si liberè venderetur, text. quem ad hoc notat Panorm. ibi, *in c. cum Joannes, de fide instrum.* Atque ita in hac specie pacti revendendi adnotarunt Abb. *in cap. in aliquibus, num. 2. de decimis*, idem Abb. & DD. *in cap. ad nostram, de emptio*, Cajetan. *2. 2. q. 77. art. 1.* Carol. Molin. *de contract. q. 5. n. 116. l. 1. §. si hæres, ff. ad Trebellian.* & inibi Socin. Jas. & Ripa, omniumque latissimè Andr. Tiraquel. *lib. 2. de retract. in præfat. nu. 20.* Hæc verò diminutio justipretij ratione hujus pacti, non temere faciendâ est, sed arbitrio boni viri, rectique ac discreti moderatoris. Quidam sanè opinantur, non esse ob hanc pactionem diminuendam integram tertiam partem, sed paulò minùs esse constituendam diminutionem, quod Socin. tradit. *in cons. 16. col. ult. lib. 1.* saltem ultra ipsam tertiam partem, non erit admittenda diminutio justipretij, sicuti eleganter tradit ipse Carol. Molin. *d. q. 5. n. 117. & 35. n. 297.* Quod si hæc viâ fuerit emptoribus annui reditus iniqua æstimatione maximeque utilis ipsis venditoribus, illud profectò certum erit utcumque utamur benigna æstimatione, quòd pactum redimendi hos annuos reditus non potest justè diminuere reditus perpetui pretium ultra dimidium ejus partem, quod pulchrè ostendit idem Carol. *q. 5. nu. 117. & n. 120.* Ego verò hac in controversia illud existimo justum ꝑ annui reditus pretium, etiamsi is constituitur adjecto redemptionis pacto, quod communi provinciæ usu taxatum & definitum fuerit, auctore Guid. Pap. *cons. 180.* cujus sententia comprobatur ex his, quæ tradidimus de annui reditus perpetui æstimatione, scribit etenim Guido, iniquum esse pretium annui reditus etiam redimibilis, quando id minus sit, quàm ad rationem unius pro viginti? quia ita hos reditus emi consuetum erat in Delphinali provincia. Idem pretium apud Germanos justum & æquum censeri, ut minus iniquum judicetur, testatur Conrad. *de contract. q. 84.* Et Wormatiensi statuto publicè comprobatum esse, asserit Carol. Molin. *d. q. 5. nu. 117.* Sed & in aliquot Germaniæ civitatibus itidem usu receptum fuisse, ut annui reditus redimibiles constituantur ad rationem unius pro quindecim, testatur Conradus *d. q. 83. conclus. 2.* idem apud Gallos olim servatum esse, scribit Carol. Molinæus *d. q. 5. n. 125.*

Quin & Joan. Andr. *in specul. tit. de usur. 1. additione*, censet, duodecim esse moderatum pretium pro uno redimibili, Sic & nostra græte apud Regia Gallorum tribunalia in praxi obtentum est, ut emptio annui reditus redimibilis, facta ad rationem unius pro duodecim toleretur: si verò fiat ad rationem unius pro decem aut undecim, reducatur ad pretium unius pro quindecim: si denique annuus reditus constitutus fuerit ad æstimationem unius pro octo aut novem, minorive pretio, quàm decem, omnino illicitus & reprobatus contractus judicetur, quemadmodum commemorant Andr. Tiraquell. *lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 6. n. 19.* Carol. Molin. *de contractib. q. 10. nu. 146. & q. 5. n. 122.* & Rupellanus *lib. 1. Instit. Forensium, c. 34.* qui expressim asserit, quòd si minoris quàm decem solidorum annuus solidus ematur, reliquis solutis in sortem impuratis, fors ipsa redditur, perimiturque obligatio, tanquam si is contractus pignoratitius fuerit. Idem sanè colligitur ex testimonio Tiraquelli & Caroli; tria etenim hic ad sunt, quæ hoc ipsum fieri justissimè persuadent, modicum pretium, pactam revendendi, annui reditus pecuniarij emptio, quæ suspicionem maximam usuræ inducunt. Nec locus erit electioni, quam constitutio *l. 2. C. de rescind. vendit.* præbet decipienti re ipsa, quia ea decitio non est admittenda in contractibus usurariis, nec in suspectis, auctore Bald. *in rubric. C. de usurar. in fin.* cui accedit Carol. Molin. *de contractib. quest. 14.* Cæterùm apud Hispanos in provincia Beticâ, & aliis quæ citra Tagum huic Granatensi prætorio, institutione Regia, parent & subsunt; annui reditus redimibiles frequentissimè constituuntur ad rationem decimæ, eaque constitutio pluribus hujus Senatus sententiis sapissimè comprobatur, propter communem hominum æstimationem, quæ tamen non admodum æquam habet compensationem. Et ideo mihi justior semper visa fuit horum redituum redimibilium æstimatio ad rationem duodecimæ vel quatuordecimæ, quæ Hispani ultra Tagum utuntur frequentius, tametsi nec omnino damnaverim eam, quæ ad decimæ rationem constituitur.

Est tamen apud nos non levis controversia, an ꝑ lege Regia definitum sit justum pretium annui reditus in pecunia cum pacto redimendi constituti? Nam quidam censent, constitutum esse justum pretium hujus annui reditus ad rationem unius pro quatuordecim, idque deducere conantur à lege, quam Carolus Cæsar primus Hispaniarum Rex Madritio conventu sanxit, anno 1534. *l. 127. (hodie l. 4. tit. 3. lib. 5. Recopil.)* ubi reditus annui constituti in frumento, vino, vel oleo cum pacto redimendi in nummarium reditum commutantur, tantumque annua pecunia æstimatur, quanti decimaquarta pars pretij illius præstationis valet, & sic ad rationem unius pro quatuordecim: quod referendum est ad pretium, quo emptâ fuit ab initio ea annua præstatio. Ergo istud pretium unius annui nummi ad rationem quatuordecim definitur ea lege. Idem probari videtur lege decima inter eas quæ Tolerti conditæ fuerunt anno 539. (hodie *l. 4. tit. 15. lib. 5. Recopil.*) quæ Madritiam legem extendit ad annuos reditus in aliis speciebus constitutos, & inquit libellus Principi oblatus, ita oportere statui, ne quis consequatur pro quatuordecim ultra unum, nec in gallinis, nec alijs rebus. Unde constat, legislatoris intentionem eam fuisse, ut annui justo pretio æstimentur ad rationem unius pro quatuordecim. Alij verò arbitrantur, has Regias constitutiones minimè defini certum pretium, quo justè annui reditus emanant, cum hæ constitutiones tantum tractaverint de pretio annui reditus redimibilis; quoties is semel in frumento, vino, oleo, aliisque similibus speciebus constitutus, in pecuniarium mutatur, non autem cum hi reditus ab initio in pecunia constituuntur, idque in specie adnotavit Joan. à Medina *de restitut. c. de censib. fol. 178.*

col. 3. cui interpretationi suffragantur duo. Primum, quod ex annua præstatione frumenti vel olei, emptor hujus redditus, propter varium harum rerum valorem, facileque augmentum, creberrimam item annonæ inopiam plus petceperit, quam si tunc cum contraxit, nummariam annuam pensionem emisset: quo fit, ut in compensationem majus pretium modò tempore commutationis pro nummaria præstatione constituatur, quum ab initio contractus constitueretur. Secundum, quum emptio annui redditus redimibilis, frumenti tamen, vel olei, aliarumve rerum similitum, maxime suspecta sit, majoremque fraudis & iniquitatis suspicionem habeat, quam si annua præstatio in pecunia solvenda empta fuerit; propterea quod harum rerum pretia in Republica frequentissime augentur & variantur, potest certum pretium, certave æstimatio tempore emptionis fieri, & ideo aptior est ad excessum justi pretij, & ad deceptionem hæc emptio, quàm illa, quæ de nummaria præstatione tractat. Et licet hæc posterior ratio sufficiens non sit, ut omnino hic contractus damnetur, ea tamen persuasit hujus redditus commutationem, lege Regia fieri. Sic & eadem ratione sæpissime Patricius Senatus arrestis & decretis, annuos redditus frumentarios cum pacto redimendi constitutos, in pecuniarios commutandos esse censuit ad appretiationem unius pro quindecim ejus summæ, quæ data fuit pro ipso annuo frumenti redditu, electionem itidem tribuens debitori, vel solvendi frumenti redditum, aut pecuniariam pensionem, ad æstimationem unius pro quindecim, sicuti testatur Carol. Molin. de contract. q. 21. & Imbert. Rupellan. li. 1. Instit. Forens. c. 34.

Cæterum (post tertiam hujus operis editionem) anno Domini 1563. Rex ac Dominus noster Philippus II. in totius regni Comitibus, quæ Madritii habuit, c. 127. priorem opinionem Regio decreto probavit ac definit, esse iustum pretium redditus annui redimibilis ad rationem unius pro quatuordecim; sic denique, ut contractus nullus sit, nec executioni mandari possit, si minori pretio constituatur redditus ille, quàm ad rationem definiti pretij: imò & ad eam diem constitutus, per eandem legem & decretum ad pretium unius pro quatuordecim reducitur. [Hæc de redditu annuo redimibili. Sed & de illa quæstione, an hoc pretium à lege definitum sit necessarium, quoties redditus annuus jam constitutus ab emptore venditur alteri, legito Carol. Molin. in tract. de contract. q. 62. qui probat efficaciter, injustum esse hunc secundum tertiumve contractum, si minori pretio fit. Eandem quæstionem tractat Anton. de Corduba in lib. de casibus conscientie q. 97. quem legere oportet, id quandam hac in controversia distinctionem, eamque diligenter expendere an vera sit.]

Sed & illud opportunè quæritur, quid dicendum sit, ubi constat, redditum annuum nummariam deberi alicui, & constitutum ei fuisse: dubium tamen est, an is habeat eam legem & conditionem, ut redimi possit, vel præsumendum sit eum redditum perpetuum esse, absque pacto de retrovendendo constitutum? Et sanè in hac dubitatione, cum hic contractus, quo annui redditus emunur, apud veteres non fuerit admodum receptus, mirum cuiquam videri non debet, hanc quæstionem paucis in locis examinatum esse; adhuc verò eam deducemus ad veram, ni fallimur, resolutionem, ex his, quæ in similibus controversiis decisæ sunt. Nam circa contractum ¶ emphyteuticum, si de emphyteusi privata per scripturam aut præscriptionem appareat, ac dubitetur, sine perpetua an temporalis, in hoc dubio perpetua præsumitur, secundum Angel. in auth. de non alien. §. emphyteusim. Guliel. de Cuneo, & Angel. in l. qui luminib. ff. de servit. urb. præd. idem Guliel. & Angel. prior, inquam, in l. cum notissimi, §. ult. posterior in l. male agitur, C. de præscrip. 30. vel. 40. annor. Angel. in l. prætor. §. 1. ff.

de edendo. Bald. col. 2. & Jaf. n. 160. in l. 2. C. de jurè emphyteut. nisi consuetudo regionis aliud induxerit, quia juxta eam dubij contractus erunt intelligendi, l. si fundus, ff. de evictionib. l. licet in prima, C. locati, quibus similiter accedit text. in l. vel universorum, ubi gloss. ff. de pignor. act. l. si certus, §. recte. ff. de aq. plu. arcend. gloss. in l. penult. C. de fideiussoribus. Sicuti & eadem interpretatio admittenda omnino est, quæ deducitur ab ipsius contrahentis consuetudine & utu, quod probatur in d. l. vel universorum, & d. §. recte, imò hæc prior est altera, quæ à regionis usu deducitur, auctore Angelo in d. l. 2. col. penult. quem Jalon inibi sequitur, n. 160. licet Angelus ipse sibi parum constans, probare conetur, adhuc in dubio præsumendum esse, quod emphyteusis privati ad vitam tantum emphyteutæ concessa sit, tametsi nec concedentis rem in emphyteusim, nec regionis communis usus huic interpretationi suffragatur: jure etenim communi ita fore dubium contractum interpretandum, non admodum verè Angelus opinatur. Unde advertit ipsum frequentiori calculo, probatur ejusdem Angeli opinio, in d. §. emphyteusim, atque hæc sunt intelligenda de emphyteuti, qua transfertur dominium utile, cujus translationis ea est natura, ut perpetuò fiat, & facta censetur, l. ult. C. de legat. l. obligationum ferè, §. placet, ff. de alien. & obligat. Item ea præsumptio, quæ adsumitur juxta priorem Angeli sententiam, in utilitatem & favorem tendit ejus, qui canonem & annuam emphyteuticam præstationem solvit, cum is asserat, annuam præstationem perpetuam esse, sicuti fatetur dominij utilis translationem perpetuò in eum factam fuisse. Quid autem dicendum sit in emphyteusi Ecclesiastica, tradidimus 2. hujus operis lib. 6. n. 6. Superest igitur scitò perpendere, an ¶ & eadem communis sententia in redditu annuo observanda sit: quod apud me omnino dubium est, quia in hac annui redditus constitutione non tractatur de translatione utilis dominij, quæ cum in emphyteusi perpetua sit, aut præsumatur, quemadmodum modò explicavimus, itidem ipsam annuam præstationem perpetuam facit. Deinde in hac quæstione annui redditus, agitur de præsumptione in damnum & præjudicium solventis annuam præstationem adsumenda. His accedit, quod annui redditus nummarij emptio odiosa & suspecta est, siquidem & olim pluribus visa fuerit illicita, sicuti cap. 7. ostendimus. Et ideo non omnino procedit argumentatio & emphyteusis, de qua communis omnium sententia agit, ad contractum istum annui & nummarij redditus. Quibus profectò adducor, ut in hac quæstione aliquot ad ejus resolutionem prænotanda esse existimem.

Primum illud certum & expeditum apud me est, quod annua pecuniaria præstatio constituta jure proprii census, nempe in favorem ejus, qui dominium rei transtulit in alterum, qui pensionem solvere tenetur, & eam super eadem re constituit, perpetua erit præsumenda, licet non appareat de hac qualitate, nec de constitutione hujus redditus, sed tantum constet, eam solvi ex eo, quod res, super qua constituta censetur, data fuerit à creditore debitori. Ex hoc etenim cum dominij translatio perpetua sit, erit eodem jure perpetua censenda ipsa annua ac nummaria pensio. Quod auctoritate Angeli & aliorum, qui ejus sententiam frequentissimo consensu sequuntur, probari commodè & justè potest. Secundo, considerandum est, in dubio, ubi non apparet, an creditor debitori tradiderit rem super qua redditus annuos constitutus censetur, præsumendum esse, ipsam rem creditoris fuisse, traditamque debitori cum eo onere annuæ præstationis, præsertim quoties ea annua præstatio census nomen habet. Est etenim hujus dictionis hæc propria significatio, secundum canonicas sanctiones, sicuti traditum fuit hujus lib. cap. 7. nisi appareat aliquo pacto mentio pretij: nam tunc censetur annuus redditus pecunia constitu-

zus, quia pretij mentio emptionem & venditionem arguit, l. 1. ff. de contrahend. emption. §. pretium, Insti. de emptio. quod in specie ista probat Carol. Molin. de contract. q. 20. n. 213. Tertio, si minime deprehendi possit, quæ sit annui redditus origo, & ex præmissis præsumendum sit, annuam præstationem in pecunia constitutam fuisse, tunc ex frequentiori regionis usu, & contrahentium consuetudine, adsumenda erit conjectura ad definiendum, sitne ea annua præstatio perpetua, an redimibilis, idque ex Angelo in d. l. 2. distinctione deducitur. Quarto, quoties de jure annuæ præstationis apparet, & ejus origo aut constitutio constat per scripturam, aut per testes, qui præsentibus contractui fuerunt; nec tamen per scripturam vel testes possit apparere, conventum fuisse inter creditorem & debitorem, quod is redditus redimibilis esset; tunc præsumendum est, redditum esse perpetuum, ea ratione, quod hæc annui redditus constitutio, venditio & emptio sit, in quibus numquam erit præsumenda pactio revendendi, nisi ea probetur, l. 2. ubi Doct. communiter, C. de pact. inter empt. & vend. Quod si pretium hujus annui redditus admodum modicum sit, ut attentio constitutionis tempore admodum iniqua sit annui redditus perpetui æstimatio, fortassis & tunc præsumemus, annuum redditum redimibilem esse, etiamsi in scriptura constitutionis non fuerit pactio redimendi expressa, modò in ea dictum non sit, hanc annuam præstationem perpetuam constitui. Imò ubi pretium annuæ præstationis iniquum est juxta regionis & aliarum circumstantiarum condiciones ad perpetuam præstationem, magisque conveniens redditui redimibili; tum erit & hic redditus judicandus redimibilis, etiamsi pactum fuerit, eum perpetuum fore, auctore Carol. Molin. de contractib. q. 5. n. 128. propterea quod hi redditus odiosi sint, & usurarum succedanei, atque omnino requiratur ad eorum tolerabilem usum, pretij & æstimationis justitia, ne in usurarum fraudem constituantur. Quintò, ubi annui redditus constitutio tantùm ex diutina præstatione probetur, decem inquam, continuorum annorum juxta l. cum de in rem vers. ff. de usur. l. litibus C. de agricol. & censu. lib. II. quarum decisionum & nos meminimus lib. I. hujus operis, c. 17. n. 3. modò ea præstatio annua ex titulo & causa constituti redditus fiat, secundùm communem omnium traditionem; tunc sanè præsumendum erit, redditum esse redimibilem, & sic quod levius & minus est, præsumeretur, l. semper in obscuris, ff. de reg. jur. l. numeris, l. qui concubinam, §. cum ita ff. de legat. 3. c. ex parte, de censibus, nisi præstatio annua facta fuerit ex causa redditus annui perpetui; nam si prius, vel alia qualibet præstatione sit expressa causa redditus perpetui, ea præstatio in vim confessionis, probat plenè, donec error in contrarium probetur: cum, etsi facta fuerit extra judicium; parte tamen præsentis & acceptante plenè probet, l. Publica §. ult. ff. de deposit. l. cum de indebito, §. ult. ff. de probat. l. generali er, C. de non numerat. pecun. idem text. in l. plures apochis, C. de fide instrum. l. optimam, C. de contrahen. & committen. stipulat. cum his, quæ Decius tradit in c. cum super, colum. 1. de offic. deleg. & in cons. 665. & aliis, quæ hanc ultimam distinctionem adducens; scribit eleganter Carol. Molin. de contractib. q. 20. n. 108. & n. 112. Ex quibus ipse arbitror, judicem hac de causa cogniturum, debere omnino quamlibet qualitatem, legem & contractus conditionem diligenter, atque omnes conjecturas exactè rimari, quo facilius judicare valeat, sitne præsumenda annua præstatio perpetua, an temporalis & redimibilis.

IN O T I A.  
JOANNIS UFFELI J. C.  
C A P I T U L U M X.

Num. 2.

Nec locus erit electioni, quam constitutio leg. 2. C. de rescind. vend. præbet decipienti reipla, quia ea decisio non est admittenda in contractibus usurariis & suspectis.

Accedit Gaspar Roderic. lib. 1. de annuis redditib. q. II. num. 1. & 34.

Num. 3.

Quod emptio annui redditus redimibilis, frumenti tamen vel olei, aliarumve rerum similium, maximè suspecta sit.

Tradit ulterius Felician. de Solis tract. de censibus lib. 1. c. 4. n. 9. 10. & 11. ex natura rei necessarium esse, ut pretium quo emitur & venditur jus annui redditus, consistat in pecuniâ numeratâ; usque aded, ut id in aliâ re constitui non possit; etiamsi contrahentes à principio speciem pretio æstimaverint. Prætereà annui redditus constitutionem vitari, si contractu perfecto, specie taxatâ quantitate detur venditori in solutum, vel si emptor simul pretium & rem aliquam dederit, d. c. 4. n. 12. & 13. quin & idem Auctor contendit census non posse creati ex quantitate & pecunia antè debita, sed tales esse nullos, sive forum exterius, sive interius spectetur; quod nimirum in constitutione redditus præsentia & numeratio pecuniæ temporanea ipsi formationi contractus requiratur, & d. lib. 1. c. 8. n. 13. 14. & 15. Felician. c. 9. n. 6. & 7. Verior tamen opinio Gasparis Roderici videtur, de reddit. l. 1. q. 13. n. 2. & 3. dum vult pecuniam ex quacumque causa debitam, in pretium emptionis reddituum converti posse, fraude cessante; subjungens ita judicatum in Regio Senatu Gallico. Improbatur autem ibid. & aliquot n. seqq. quasdam reddituum constitutiones, cum aut suppellex, vel merces, vel nomina litigiosa loco pretij dantur, quæ latius apud eum cum suis distinctionibus lector poterit requirere.

Verfic. Sed & illud opportunè.

Dubium tamen est, an is habeat eam legem & conditionem, ut redimi possit.

De hac quæst. vide etiam Leonin. consil. 52. per tot.

Num. 5.

Verfic. Quintò

Tunc sanè præsumendum erit redditum esse redimibilem.

Quæ decisio quoque procedit, licet redditus Ecclesiæ esset debitus probat & sequitur Leonin. d. consil. 52. atque ita ibidem aliquoties judicatum refertur.

## CAPUT XI.

Quo tempore ex lege Regia possit retrahi res vendita sub annuo reditu redimibili.

## SUMMARI A.

- 1 Dies à lege datus ad retrahendum rem venditam sub conditione, currit ab eventu conditionis.
- 2 Dies datus ad retractum, ubi venditio pure concepta fuerit, currit à die contractus, etiam ante traditionem, & pretij solutionem.
- 3 Alienatio dominij tantum utilis non facit locum retractui.
- 4 Venditio usufructus non efficit, ut proximior consanguineus possit eum retrahere.
- 5 Respondetur questioni principali, & examinatur natura contractus, de quo hic agitur.
- 6 Dilatio translationis dominij, donec pretium solvatur, non facit contractum conditionalem.
- 7 Proprietas vendita usufructuario jure sanguinis, absque ipso usufructu retrahitur.
- 8 Dominus directus & utilis an habeat jus retractus, & ibidem intellectus Regia constitutionis 74. Tauri.

**T**ertius cum fundum haberet, ipsum Sempronio vendidit, constituto centum aureorum pretio, hac adjecta pactione, quod interim dum centum aurei venditori non fuerint soluti, emptor decem annuos aureos super eodem fundo constitutos jure annui reditus redimibilis solvat: cui conventioni acceperunt & aliæ contractus leges, quæ solent adscribi his annuorum redituum venditionibus: præsertim reservatio dominij directi, donec reditus redimatur, translato tantum utili in emptorem. Contingit tandem pretium conventum solvi, ac annuam præstationem redimi biennio, aut anno jam elapso à tempore contractus: quæritur, an intra novem dies à redemptionis die possit proximior cognatus rem ipsam trahere: cum à tempore contractus jam elapsi fuerint tres menses, vel anni, ac denique tempus ipsum lege Regia definitum. Sic & eadem questio proponitur, quoties fundus aliquis datus alteri fuerit pro decem annuis solvendis jure & titulo census, redimibilibus tamen ad rationem decimæ. Vidi semel in hoc Granatensi prætorio quæstionem istam variis judicum advocatorum sententiis discussam: eam ob id utrimque adductis rationibus examinabo, nihilominus quid mihi jure verius visum fuerit exponens, ea quidem protestatione, ut libertimè in contrariam iturus sim sententiam, ubi ex causæ & controversiæ allegationibus aliquid sese obtulerit, quod palinodiam canere recto justitiæ tramite me ipsum cogat. Et sanè locum fore retractui intra novem dies à tempore redemptionis, quamvis à die venditionis transierit annus, probatur pluribus rationibus.

Primum etenim constat, saltè quoad dominium directum; hanc venditionem conditionalem esse: siquidem dominium directum retentum à venditore, non aliter in emptorè transfertur, quam si centum aureos pretij conventi solverit idem emptor: solutis itaque centum aureis, dominium directum in emptorem ex venditione transit, non prius, *l. qui heredi*, §. ult. ff. de cond. & demonstr. *l. qui absente*, §. 1. ff. de acquir. possess. *l. ei qui ira hereditatem*, ff. de cond. instir. c. super eo. & ibi gloss. de cond. appof. *l. hec venditio*, ff. de contrahen. empr. Bart. in *l. si is qui pro emptore*, qu. 4. principali, ff. de usucap. † Dies autem à lege ad retrahendum dati in contractibus conditionalibus, currit à die eventus conditionis, text. in *l. Titius*,

§. procedit autem, ff. de excusat. tutor. tex. item insignis in *l. 1. §. annuus*, ff. quando de peculio action. & c. à quo Gulielmus de Cuneo, & Alberic. in hac propria quæstione hoc ipsum adnotarunt. Idem Alberic. in 1. parte statut. q. 97. ad fin. Bal. in tract. Protomis. col. 5. vers. sed quæro. Math. de Afflict. in eod. tract. §. licet enim supra diximus, colum. ante penult. vers. sed an si vendita. Optimè And. Tir. li. 3. de retr. §. 1. gloss. 10. n. 45. Nec refert, traditionem rei venditæ factam esse ante eventum conditionis, nam & ea traditio in dubio facta censetur sub eadem conditione, non pure & simpliciter, sicuti ex Bart. deducitur in *l. sub conditione*, ff. de solutionib. ad fin. Cujus distinctio, ad hanc rem omninò & diligenter est adsumenda cum his, quæ Tiraquellus adducit *d. §. 1. gloss. 2. n. 28.* Et hæc quidem vera sunt: quamvis etiam in venditione conditionali, idem retractus currere à tempore contractus, non ab eventu conditionis, senserit Guid. Pap. q. 257. Quod si venditio pure facta fuerit absque ulla conditione, † tempus datum à lege ad retrahendum jure sanguinis, currit à die venditionis, etiam ante pretij solutionem, etiam priusquam res tradita fuerit: nec enim computatur id tempus à die traditionis, secundum Signorol. *conf. 81. col. 2.* Alber. in *l. si filius familias*, §. cum fundum, ff. de verb. oblig. ver. item facit ad alium, optimus text. in *l. sciendum*, §. ult. ff. de adil. edict. Montalvus idem notat in *l. 13. tit. 10. li. 3. Fori.* quod item sensere Cyn. & Salyc. in *l. contra*, C. de inoffic. testam. Expressim hanc sententiam veriorè esse censent ipse Tiraq. *d. §. 1. gloss. 10. n. 108. & n. III.* contra Bald. in tract. Protomis. col. penult. vers. 2. quia non constat. & in simili specie Matth. de Afflict. in eodem protomis. tract. §. tota hæc lex col. 8. vers. sed ponamus, & idem in §. ut infra 30. dies col. 2. qui Baldum omninò sequitur. Igitur ex his deducitur, in hac, quam tractamus, quæstione, diem datum à lege Regia ad retrahendum jure sanguinis rem à consanguineo venditam, non currere statim, sed ab eo die, quo per redemptionem census res quoad dominium utile & directum, evenire conditione transit in ipsum emptorem.

Secundò, hæc eadem sententia alia itidem argumentatione probatur: Proximior itidem agnatus in prædicta specie non est admittendus, nec jure admitti potest ad retractum ante consolidationem dominij directi & utilis, † quia ubi dominium tantum utile transfertur in emptorem, & manet directum ante venditorem, non est locus retractui, quemadmodum patet in eo, qui dat propriam rem in emphyteusim, vel in locationem ad longum tempus, ea ratione, quod res non exeat de familia, nec de cognatione, inò finita emphyteusi aut locatione, ad ipsam familiam omninò redit. Quamobrem cessat ratio ultima, & finalis Regiæ constitutionis, quæ proximiori cognato permittit rem venditam à consanguineo intra novem dies retrahere. Sic sanè in locatione ad longum tempus non esset retractum admittendum, asserunt Nicol. Boer. in consuetud. Bituricen. rub. de retract. §. 1. vers. item non habet. & Tiraq. lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 14. n. 79. & sequentibus. cum ad ipsum locatorem finito locationis tempore res locata redire debeat. Eadem ratione, quoties res datur in emphyteusim, non est locus retractui, quemadmodum adnotarunt Stephan. Bertrand. *conf. 7. lib. 1.* Tiraq. lib. 1. de retract. §. 33. gloss. unica, nisi fiat contractus emphyteusis in fraudem legis, quod tradit Marth. de Afflict. *dec. Neap. 72.* unde infertur, non esse lege Regia admittendum agnatum proximiorè ad retrahendum rem, quæ fuerit alteri data ad perpetuum censum, quem redimere licet, cum ex communi contrahentium usu in hoc contractu dominium directum maneat penes venditorem, utili tantum in emptorem translato, quod proprium est emphyteusis: & eà ratione hic contractus leges & jura



jura contractus emphyteutici habet. Imò et si facta conventionem forma contractus emphyteutici, vel census perpetui, postmodum pactum sit, quòd ea pensio perpetua, redimatur pecunia, & redempta fuerit, non est locus retractui, modò fraus cesset; secundum Matth. de Afflict. d. dec. 72. n. 8. ita asserens in Regio prætorio Neapoli pronunciatum fuisse. Ego verò et si videam legem Regiam minimè obtinere, ubi res fuerit data in emphyteusim ad pensioem perpetuam, vel jure census itidem perpetui, ita quidem, ut ejusdem rei dominium directum penes venditorem maneat: tamen quoties ea pensio ex pacto redimibilis est, non possum mihi persuadere, utcumque ea redemptio contingere possit, quin & retractui locus sit, cum res avita & patrimonialis ex ea causa ad externos deveniat, cognatis exclusis, quòd Regiæ constitutioni admodum est contrarium, & id statim apertius probabitur. Imò etiam si receptum sit frequentissima omnium sententia, retractam jure sanguinis non posse competere proximiori cognato ac rem datam in emphyteusim aut censum perpetuum, quòd item explicuit Carol. Molin. in consuet. Paris. §. 23. q. 16. & 17. profectò æquius est, & Regiæ constitutioni admodum conveniens, quòd proximas ad hunc retractum veniens, & cum eodem onere rem recipere volens omnino admitatur, præsertim cum hæc datio in emphyteusim quædam sit alienatio, l. ult. C. de reb. alien. non alien. l. 1. ff. si ager vectig. Atque ita semotis consuetudinibus visum est Ferrono in consuet. Burdegal. rubr. de retract. §. 25. Quòd si juxta receptam opinionem agnatus proximior non potest rem ratione translatis utilis dominij, ante directi translationem perfectam retrahere, non currit ei tempus à lege datum ad retrahendum, cum nisi is ager impeditus ex natura ipsius contractus emptionis & venditionis, l. ult. C. de annal. except. Nec jure probari poterit, idem à lege datum ad retrahendam currere interim, dum ipse proximior agnatus, et si retrahere vellet, minimè admitterent, impediente ipsa natura contractus.

Cæterum his, quæ modò adduximus, accedit, quòd nec retractui locus sit, ubi tantum ususfructus rei patrimonialis venditus fuerit, cum in ususfructus venditione ratio legis cesset, manente semper proprietate penes venditorem, & ususfructu, extinguendo morte usufructuarij, aliisque modis jure expressis, & item ea ratione, quòd usufructus verè inter immobilia, fundos & agros, de quibus Regia lex tractat, minimè computetur, l. 1. §. qui servum, ff. ad Syllaniam. l. qui falsis, §. ult. in fin. ff. de injur. atque in hac materia de retractu, ita expressim asserunt Alex. cons. 52. lib. 1. num. 2. Andr. Tiraq. in lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 7. n. 54. & seq. contra Matth. de Afflict. in tract. protomis. col. 10. vers. item quero. & Chassan. in consuet. Burgund. rub. 10. §. 1. vers. adverte, n. 14. Quibus sanè sit, ut tempus lege Regia definitum ad retrahendam rem à consanguineo venditam in specie quæstionis propositæ, currat à die redemptionis, quòd consolidatur dominium directum cum utili.

Tertio, eandem sententiam probare & instruere possemus ratione quadam, quæ tacite objectioni responderet. Nam si quispiam dixerit, utile dominium non posse retrahi post novem dies à die translationis ejusdem; licet directum possit jure sanguinis haberi ex retractu intra novem dies à tempore, quo reditus redemptus fuerit, annuaque præstatio extincta, dominiumque directum utile acquisitum; quia dominium utile non est retrahendum, nisi intra diem præfinitum, & computandum ab ejusdem dominij utilis translatione: id profectò tollitur ex eo, quòd dominium directum jure retractus acquisitum intra novem dies ab annui reditus redemptione, utile secum ratione consolidationis, & ut potentius, trahit: siquidem hæc dominia semel consolidata distingui non possunt, l. si tibi, ff. quib. mod. ususfruct. amit. l. in ejus, ff.

de legat. 2. & tunc dominium directum, quòd potentius est, utile consequitur societatis causa. Unde qui dominium directum jam utile consolidatum retrahit, ipsum etiam utile dominium simul cum directo habet omnino.

Cæterum contraria sententia, & quòd in specie quæstionis propositæ, novem dies à lege dati ad retrahendam rem avitam, seu patrimonialem, currant à die ipsius venditionis, pluribus poterit persuaderi.

Primum etenim ejus opinionis sum, ut existimem, prædictum contractum non esse contractum census, nec venditionis conditionalis, etiam quoad dominium directum, sed esse potius contractum venditionis puræ, ac simplicis traditionis, factæ quidem fide habita pretij, & sic titulo venditionis; in hunc sanè modum, ut interim, dum pretium solvitur, emptor fructibus rei fruiturus, solvat annuam præstationem redditum ejus quantitatis, qui justè constitui poterat pro pretio ipsius rei jam equidem convento cum redimendi pactione: quam denique pactionem licitam esse probavimus auctoritate l. curabit, C. de actionibus empti. hujus libri. c. 4. n. 6. Nec quidquam oberit, quòd in hisce contractibus expressim venditor excipiat sibi, ac retineat dominium directum rei venditæ, donec pretium conventum solvatur: nam hæc clausula ab imperitia tabellionum, contractuum naturam & discrimina ignorantium processit. Etenim in hoc contractu, de quo agimus, reservatio dominij directi quædam est hypotheca, non denique communis, sed eam qualitatem habens, ut super eo fundo jure cujusdam servitutis annuus reditus sit constitutus. Hoc verò probatur apertissimè: siquidem in hoc contractu dominium utile & directum, certo justoque pretio estimatur idque pretium statim solvitur, cum ad rationem unius pro decem illicò annuus reditus redimibilis super eo fundo constituitur, qui quidem reditus obtinet vim præsentis solutionis, nec verè dici poterit, habitam fuisse fidem pretij: imò hæc annuæ præstationis obligatio & promissio majorem utilitatem affert, quam præsens ipsa solutio venditori attulisset. Quòd si hæc venditio censeretur facta habita fide pretij, adhuc & terminus ipse ad retrahendum à lege datus, non à die solutionis pretij, sed à die venditionis curreret, textus insignis l. 72. Tauri. cujus decisio jure Cæsarum comprobatur, quia jam perfecta est venditio, quæ sit habita fide pretij, & quòd ad effectum retractus, etiam ante dominij traditionem, dies contractus ipsius, non dies traditionis rei consideratur. Quæ quidem eò tendunt, ut inde manifestum sit, in quæstione & themate hujus capituli, terminum retractus à die ipsius venditionis, non à die redemptionis annuæ præstationis, currere. His profectò libenter addiderim, per venditionem annui reditus super re propria ipsius venditoris constituti, non transferri in emptorem dominium directum, sed tantum hypothecam, juxta l. fundus quem, ff. de annuis legat. & in specie notat Specul. tit. de locat. §. nunc aliqu. vers. 86. & idèd tunc retractui jure sanguinis locus non est: auctore Joan. Lup. in l. 70. Tauri, num. 27. Quòd satis aperti juris est, quando in ea venditione dominium directum in emptorem annui reditus non transfertur expressim: sed et si in contractu adjectum sit, quòd dominium directum in emptorem transferatur, adhuc opinor idem esse: cum ea translatio dominij directi potius fiat ad tutiorem annui reditus solutionem, & ratione hypothecæ, quam veri dominij translationis: nec enim ullum pretium pro directo dominio datur, nec id venditur; sed tantum annuus reditus, qui justè estimatur certo fundo, aliave re constitutus. Atque ita censeo contractus istos fore interpretandos, ne passim concedamus tabellionibus, conventionum jura verborum copia mutare.

Secundò, in eisdem opinionis confirmationem facit, quod etiam præmittimus, in hac specie contractus venditionem factam fuisse cum reservatione dominij expressa, donec pretium conventum solutum fuerit: nihil tamen ea clausula impedit, quin statim dies dati ad retrahendum, currant à die contractus, etiam nondum soluto pretio: quia ea conditio naturalis est contractui. §. *vendita*. *Instit. de rerum divis.* Notat Bald. in rubr. *C. de contrahend. empt. q. 13.* Et in specie duo ad retractum ita adnotarunt Matth. de Afflict. *dec. Neapol. 338.* & Andr. Tiraq. *lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 2. n. 34. 35. & 37.* nihil etenim pactum istud operatur, nec contractum conditionalem facit: cum id quod expressum est, ipsius contractus naturæ sit proprium, *l. condiciones extrinsecas, ff. de condit. & demonstr. l. continuus, §. cum ita, l. interdum, ff. de verborum obligat.* unde etiam si Tiraquellus huic contractui conditionis vim tribuere visus sit, verè tamen nullam conditionem habet, quæ effectum contractus impediatur; ipsaque venditio pura est, tamen si dominium translatum non fuerit. Sic denique constat, hanc dominij directi retentionem, donec pretium conventum solutum fuerit, minimè mutare ipsius contractus potestatem.

Tertiò, hæc ipsa opinio constat ea ratione, quòd in hac specie contractus, statim fuit pretium solutum ipso die contractus, cum loco pretij fuerit constitutus annuus reditus, qui iustè cum redimentali pactione emi & constitui poterat ex eo pretio quòd conventum est ad rei venditæ æstimationem. Etenim fingitur uno actu, pretium solutum fuisse venditori, & eundem venditorem id pretium dedisse emptori pro annuo reditu redimibili, arg. *l. certi conditio, §. si nummos.* & §. *ult. cum l. seq. & l. singularia, ff. si cert. per. q. 10* sit, ut omninò manifestum sit, hanc venditionem puram esse, & statim soluto pretio peractam fuisse. Et idèd dies datus ad retrahendum ab ipsius contractus tempore currit, non à die redemptionis.

Quartò idem apparet, quia etsi dicamus, hunc contractum censualem esse statim à die ipsius conventionis non expectata redemptione, proximior consanguineus rem venditam retrahere potest ex eo quidem, quòd census detur non sub pensione perpetua, sed sub redimibili. Quod expressim scribit Tiraq. *de retract. li. 1. §. 33. gloss. unica* cui ratio elegans suffragatur, quam tradidit Matth. de Afflict. *in tract. protomisios, §. licet enim supra diximus, col. 6. versic. sed quare de quadam utili questione.* Nam secundum eum, si in hoc casu retractui locus non esset, fraus legi & retractui fieret passim ac facillimè, si quidem emptor rem in censum accipiens à domino sub pacto redimibilis pensionis clanculàm pretium solveret, pensionemque redimeret, & ea cautela consanguineos à jure retractus excluderet. Eandem sententiam veram esse censent Chassanæus *in consuetud. Burgund. tit. de retract. §. le vendeur, in pr.* ac rursus Tiraq. §. *1. gloss. secunda, n. 35.* Quòd si à die conventionis & venditionis, potest proximior agnatus in hac specie rem ipsam datam ad censum redimibilem jure retractus habere, nullo pacto verè dici poterit, à die redemptionis hunc terminum fore computandam.

Quinta ratio ex præcedentibus colligitur, si consideremus in hac questione, & ejus specie plures contractus sub unius nomine contingere. Unus quidem est venditionis fundi pro centum aureis, qui purus est ac perfectus. Alter verò constitutionis census juxta ipsius pretij quantitatem, ad rationem unius pro decem cum pacto redimendi: & hic à priori distinguitur, cum in eo sit venditor is, qui in priori emptoris nomen habuit: nec refert, quòd hi contractus fiant diversis scripturis, vel una, modò fiant statim ac simul modico intervallo constituto, *l. lecta, ff. si cert. per. at si sunt diversis scripturis hi contractus.* eodem tamen

fere tempore, absque intervallo, censet esse plures contractus Signorol. *de Homodis, cons. 139.* quo in loco existimat, diem datum à lege ad retrahendum, statim à tempore contractus currere.

Sextò, eandem sententiam, argumento sumpto ab absurdo evitando, in hunc modum probamus. Nam si retractus admitteretur intra novem dies à tempore redemptionis annui reditus, pro eodem pretio quo res vendita fuit, sequeretur gravis injuria, quæ emptori fieret. Etenim ipse emptor, ut fundum & rem immobilem haberet pro pretio centum aureorum, constituit annuam præstationem redimibilem, & eam solvit tribus vel quatuor annis ante redemptionem, & præterea pretium ipsum aureorum; & idèd si acceptis tantum centum aureis à proximior consanguineo, rem ipsam reddere tenetur emptor, amitteret prorsus annuas præstationes, quas ante redemptionem annui reditus solveret, quod proculdubio ab omni æquitate & jure alienum est. Fit igitur, ut retractus in eo contractu, de quo disputamus, vel admittendus non sit intra novem dies à tempore redemptionis annui reditus; vel, si admittatur, solvendum omnino atque consignandum sit pretium ipsum principale simul cum annuis præstationibus ante redemptionem solutis, quorum prius mihi potius arridet, propter eas rationes, quas hoc loco adnotavimus.

Septimò, ut hæc ipsa opinio faciliùs persuaderi valeat. Admonendum est, tamen proprietatem alicujus rei usufructuario venditam, jure consanguinitatis retrahi posse ex lege Regia absque ipso usufructu, qui quidem manebit penes ipsum emptorem: licet per venditionem sit proprietati consolidatus usufructus, secundum Cynum, Angelum, & Paul. *in l. si maritus, C. de inoffic. testam.* & Tiraq. *lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 7. n. 64. opt. text. in l. dominus, in pr. ff. de usufruct.* Tandem ex hoc jure retractus proximior consanguineus minimè evincet usufructum. Quamobrem in hac presenti dubitatione, etiam si locus esset retractui, tantum is obtineres quoad dominium directum: maneretque utile penes ipsum primum emptorem, nec posset ab eo evinci jure consolidationis, atque ita cessaret quod ultima ratione prioris opinionis probare conabatur. Quòd si dixeris etiam dominium utile posse lege Regia à proximior consanguineo retrahi, id quidem etiam si verum sit, procedit, ubi retractus intra novem dies à translatione dominij utilis proponitur, non aliàs. Non me latet, maximum discrimen à quibusdam forsan constitui posse inter hunc contractum, quo res venditur reservato dominio directo, donec pretium solvatur, vel annua præstatio loco pretij constituta redempta fuerit; & eum, quo usufructuario proprietas venditur; cum in priori venditione dominium utile vendatur, & transferatur statim respectu directi, ex ratione *l. 1. §. qua oneranda, ff. quarum rerum actio non detur*: & ob id unus contractus esse videatur quoad dominium utile & directum, *l. cum antiquitas, in principio, C. de testament.* Si quidem utrumque simul in eadem conventionem deducitur, licet translatio directi ex causa differatur. Unde apparet, venditorem tempore contractus ipsius, ex quo dominium in emptorem transmittitur, utrumque dominium, directum & utile habuisse. At in posteriori contractu, eo tempore, quo proprietates per conventionem venditur usufructuario, ipse usufructus non pertinebat ad proprietarium. Nimirum igitur si à consanguineo proximior usufructus non possit retrahi, cum lege retractus id tantum retrahendum est, quod venditor tempore contractus habebat & vendidit. Quod item probatur in *l. à liberto ff. de bon. libert.* & quia pretium proprietatis tantum solutum fuit ex ea conventionione. *l. cum in fundo, §. uxor. ff. de jure dor.* Sed tamen utrumque sit, licet teneamus, quòd tutius est, in priori specie contractus dominium utile simul & directum evinci posse jure retractus; id quidem obtinebit intra novem dies à tempore contractus.

tractus, non ab ipsa redemptione census computandos, cum ex ea conventionione, & eo contractu pure facta sit venditio domini utilitatis & directi: tamen si translatio directi domini sit dilata in diem redemptionis census, & annui redditus. Sic denique ab hac septima ratione illud colligemus, contractum istum, de quo agimus, factum fuisse ad translationem utriusque domini utilitatis & directi, pretiumque ad estimationem utriusque constitutum esse, ut tandem utrumque dominium retrahi possit lege Regia intra diem ab ea definitum, computandum sane ab ipso die contractus. Etenim ut ingenuè fatear, verius esse censeo, quod in hoc casu dominium utile, simul & directum, retrahi valeat, atque ita non idem hic esse observandum, quod in venditione proprietatis usufructuario factæ, circa legem retractus ex Cyno, Angel. & Paul. Castrensi. adnotavimus.

Octavo loco videbitur fortasse quibusdam, quæstionem istam decisam esse lege Regia, §. 74. est inter Taurinas constitutiones (hodie l. 13. tit. 11. lib. 5. Recopil.) qua sancitum est habentem dominium directum vel utile tantum, jus retractus habere, ita quidem, ut is præferatur proximiori consanguineo: & tamen juxta hujus quæstionis speciem constat, emptorem solventem censum redimibilem, annuamque præstationem, utile saltem dominium habere ab initio contractus, atque ita de directo esse inter eum & cognatum venditoris quæstionem, ipso consanguineo proximiori petente jure retractus rem ipsam ratione venditi directi domini per extinctionem & redemptionem annui redditus. Ergo proximior nequaquam poterit obtinere adversus habentem jam diu utile rei dominium, cum is, si directum consanguineo venderetur, posset jure quidem in eodem pretio retrahere, argumento l. vendicante. ff. de evict. Si verò dixeris legem Regiam 73. (hodie l. 13. Supradictam) non procedere, ubi ex eodem contractu procedit alienatio directi simul & utilis domini, quasi tunc habens utile dominium ex emptione spem habeat ob eundem contractum, & directum consequendi; & ea ratione præferendum fore proximiorum agnatum, ne alioqui fraus fiat legi; tunc sanè respondebitur hoc verum esse, modò terminus datus à lege currat, & computetur ab ipso contractus die, quo quidem facta est utriusque domini alienatio, licet directi translatio dilata sit in tempus redemptionis annui redditus, & sic in diem, quo verè ac omnino sit ultima solutio pretii conventi.

Sed & si quis adversus sextam rationem dixerit, annuas præstationes non iniquè exigi ab ipso emptore interim dum pretium non fuerit solutum loco quidem fructuum, quos è re ipsa perceperit. arg. l. curabit. C. de act. empt. id profectò æquum est, quando annuæ præstationes non excedunt fructuum estimationem deductis expensis, & idè etiam si res retrahatur, non erunt à proximiori cognato annuæ præstationes emptori reddendæ: at si annui redditus ab emptore soluti fructuum estimationem exceßerint, iniquum erit, eum excessum à proximiori consanguineo retrahente rem ipsam venditam minimè solvi, catu, quo retractui locus sit.

Quibus tandem effectum est, ut isthæc posterior sententia æquior, jure verior, & Reipublicæ magis conveniens ad tollendas injurias, quæ in commutationibus & contractibus accidere solent, omnino videatur. Quamobrem ea meo judicio potius, quàm contraria in praxi servabitur, nisi quandoque ex negotii qualitate visum fuerit iudicibus fraudem conventioni subesse, eamque contigisse ad effugiendum retractum, qui jure sanguinis lege Regia permissus est; etenim tunc prior opinio potiores partes obtinebit.

Non oberunt huic posteriori sententiæ ea, quæ in prioris confirmationem adducta fuere. Primum etenim cessat, quia in hoc contractu hæc venditio, nec quoad dominium utile, nec quoad directum condicio-

nalis est. De utili satis apparet, nec negari poterit: de directo autem probatur ex his, quæ adnotavimus in prima, secunda, tertia, ac quinta, & septima rationibus posterioris partis, quibus constanter probari conati sumus, nullam subesse huic conventioni conditionem.

Secundum minimè item obstat, cum ejus fundamenti ratio, etiam si vera sit, de quo inibi actum fuit, obtinet in re, quæ datur in emphyteusim, vel censum ad rationem perpetuæ pensionis, non ubi pensio ipsa ab initio contractus redimibilis sit. At in hac specie contractus de quo disputatum est, pensio est redimibilis, & ea ratione censetur statim dominium utrumque jure alienatum, quemadmodum in probatione secundæ opinionis passim contendimus.

Tertium, eadem ratione deficit, præsertim ex notatis in septima postremæ partis ratione. Quia statim dominium directum per ipsam conventionem alienatum est.

CAPUT XII.

De donatione omnium bonorum, quæ fit reservato usufructu.

SUMMARI A.

- 1 Pauli Castrensis sententia latè examinatur, de donatione omnium bonorum reservato usufructu.
- 2 Intellect. l. penult. §. ult. ff. de pignor. circa pecuniam mutuo receptam, an ea veniat in generalem bonorum hypothecam.
- 3 Reservatio alicujus rei, quæ fit in donatione omnium bonorum, qualis debeat esse.
- 4 Donatio omnium bonorum presentium tantum jure Regio minimè valida est. Et ibi interpretatur l. 69. Tauri.

Donatio omnium bonorum presentium & futurorum jure Cæsarum adò improbatum, ut quibusdam visum fuerit, eadem ratione donationem omnium bonorum presentium tantum, minimè valere, etiam si juramenti religione sit ea donatio confirmata, de quibus nos scripsimus in rubr. de testam. 2. part. n. 3. & pluribus sequentibus. Nunc sanè tractabitur opportunè, an omnium bonorum donatio, quæ fit retento à donatore usufructu, valida sit: hac etenim cautela usufructus retineri solet, ut ea donatio valeat. Quam equidem quæstionem tradens Paul. Castren. in l. ult. num. 10. C. de pact. in ea est sententia ut opinetur, donationem istam minimè validam esse, eò quod per eam tollatur libera testandi facultas, & fraus fiat legi prohibenti omnium bonorum donationem. Etenim donator de jure usufructus testari non valet, cum id morte finiatur: de ipsis similiter fructibus testari nequit, ubi donatio fit omnium etiam futurorum bonorum; siquidem tunc eveniunt fructus è re donata percipiendi, in ipsam donationem, è rebus compertum est, donationem istam non valere. Idem tenuerunt ipse Paul. conf. 56. n. 8. li. 2. Dec. n. 32. Curt. Jun. n. 58. Purpur. nu. 252. in d. l. ult. Dec. conf. 30. n. 3. & conf. 251. n. 3. Philip. Corn. conf. 176. lib. 2. col. pen. Franc. à Ripa lib. 3. re p. cap. 14. n. 4. Carol. Molin. addit. ad conf. Alex. 56. lib. 5. littera B. Quorum ratio exactè & diligenter perpensa insinuat hanc opinionem planè procedere, ubi donator simpli iter sibi retinet usum fructum, quemadmodum Ripa advertit, ex hoc deducens, aliud esse, cum donator sibi reservat non tantum usum fructum, sed fructus percipiendos à re donata: tunc etenim secundum eum donatio valebit, quia donator testari poterit de fructibus percipiendis ab eo vivente. Idem expressim Purpur. adnotavit in d. l. ult. n. 253. sic & Curt. Jun. d. n.

58. & *conf.* 25. Pauli sententiam secutus eam intelligit, ut donator usufructum sibi ad vitam reservaverit. His accedit quod Bart. in *conf.* 76. respondit, scribens, ad hoc, ut omnium bonorum donatio valeat, non esse satis à donatore usufructum, ut de eo in vita disponere possit, retineri, cum non habeat ex hac ratione liberam testandi facultatem. Hoc ipsum sub ambiguo Roman. notat in *l. stipulatio hoc modo concepta n. 42. ff. de verb. oblig.* quo in loco Alex. n. 18. Jac. n. 10. & S. c. *conf.* 126. col. ult. li. 1. Bart. opinionem in specie probant, & sequuntur: atque item omnes, qui Pauli sententiam veterem esse existimant, responsum Bartoli facilius admittunt: etenim colligunt ex hoc simplicem usufructus retentionem ceteri factam de fructibus futuris quoad dispositionem inter vivos, non quoad testamentum. Quamobrem donatio omnium bonorum, casu quo à jure improbetur, secundum eos, non censetur valida ex simplici usufructus retentione, quemadmodum Paulus Castrensis, & hi qui eum sequuntur, existimant. His sanè rationibus prior hæc opinio defenditur. Ex contrario, quod donatio omnium bonorum, etiam futurorum valeat si donatarius sibi usufructum simpliciter reservavit, asserunt Alex. n. 18. Jason. col. 7. in d. *l. stipulatio hoc modo concepta.* Aretin. *conf.* 54. col. 3. Jac. de S. Geor. in d. *l. ult. n. 39. C. de pactis,* & inibi Andreas Alciat. Quibus ad stipulatur, quod donator de fructibus percipiendis ratione usufructus testari poterit. Hos etenim donatarius minime habebit donationis titulo, nec in eam hi fructus veniunt, licet inter bona futura donatoris numerentur; si quidem restringitur omnium bonorum etiam futurorum donatio, ut in eis fructibus, quos donator causa reservati usufructus è re donata perceperit, locum non habeat. Nam res ipsa consentiente donatario alienata, & deinde redempta, in bonorum futurorum donationem non revertitur, sicuti deducitur ex *l. ult. de remiss. pign.* quo in loco probatur, rem ab initio hypothecæ obligatam & subjectam, semel tamen consentiente creditore alienatam, minime in eandem hypothecam redire, etiamsi debitori iterum acquisita fuerit, quamvis hypotheca bona presentia & futura complectatur. Sic & fructus semel à donatore excepti, ne in donationem (ut competitum est ex ejus mente) veniant, licet ab eo postmodum acquirantur, donatio minime obvenit, nec ad eum pertinebunt. Quod idem probatur in *l. penultim. §. ultim. ff. de pign. ubi* Jurisconsultus scribit, pecuniam à debitore mutuo acceptam ab alio, quam creditore, in hypothecam bonorum presentium & futurorum venire, cum ipse debitor priusquam pecuniam mutuo acceperit, pignori obligarit quidquid in bonis haberet, habituræ esse; quasi secus sit in pecunia mutuo accepta per debitorem ab ipsomet creditore, cum ob eam causam hypotheca constituitur secundum Roman. in *singul. 605.* Qua quidem ratione fit, ut licet donatio futurorum bonorum contineat fructus percipiendos per ipsum donatorem ex alia causa, non tamen continebit fructus percipiendos ex causa reservationis factæ in eodem donationis contractu. Denique mihi illud satis probatum est ob specialem donatoris exceptionem, & reservationem fructuum percipiendorum à re donata, ipsos fructus futuros minime in donationem ipsam venire, nec contrarium potest ulla justa ratione defendi. Id verò, quod ex Romano adnotavimus in *d. l. penult. §. ultim.* expressim tenuerunt Richard. Bald. & Alber. in *l. obligatione generali. ff. de pign.* idem Alber. in *d. §. ult. & Ant. Fanensis in tract. de hypothec. & pign. 2. par. man. 2. n. 12.* quorum interpretatio communis est, eaque ratione constat, quia pecunia mutuo accepta ab eo creditore, cui obligatio hypothecaria fit: eo animo accipitur, ut ea libera sit ad negotia tractanda, & eorum expeditionem: unde alienum est à mente debitoris, cujus voluntas necessaria est ad hypothecam,

quod ea pecunia obligatione hypothecaria sit expendita.

Item eadem Alex. & aliorum opinio manifestè probatur ex eo, quod usufructuarius, qualis donator est, fructus omnino sibi acquirit, & de eis testari potest, eosque ad hæredes transmittit, juxta *l. defuncta. ff. de usufruct.* cujus & nos meminimus *lib. 1. hujus operis, cap. 15. n. 3.* Ergo planè deducitur fructus istos qui expressi à donatione excipiuntur, non comprehendendi sub futurorum bonorum appellatione.

Imò & idem erit, ubi usufructus à donatore retinetur expressim ad ejus vitam, cum ea conditio sit natura usufructus, licet expressa non fuerit, & idè nihil mutat usufructus proprias leges & condiciones. Ex quo colligitur nihil referre ad veritatem & rationem decisionis Pauli Castren. quo usufructus reservetur à donatore, simpliciter, vel expressim eà adjuncta clausulâ, *qua & fructus percipiendos donator sibi excipiat:* utroque etenim casu vel falsa, vel vera erit Pauli opinio adversus Ripam & Purpurat. Sic sanè falsum est, quod Curt. Jun. opinatur, scribens eandem Pauli sententiam tunc obtinere, cum donator sibi reservavit usufructum ad vitam. Nam sive simpliciter reservatio usufructus fiat, sive ad vitam, minime mutatur reservationis jus. Et profectò mihi verior apparet opinio Alexand. adversus Paulum ob eas rationes, quas modò expressi.

Verum adhuc obtinebit sententia Pauli tribus equidem casibus. Primò, quando reservationis usufructus facta fuit à donatore, ut de eo possit donator in vita disponere, juxta responsum Bartoli, quod, ni fallor, frequentiori calculo receptum est. Nam & tunc per eam reservationem expressim à donatore factam, ad eum effectum, ut de usufructu possit inter vivos, & in ejus vita disponere, ipse donator abdicat sibi potestatem testandi etiam de fructibus percipiendis ex re donata. Quamobrem propter eam abdicationem locus est prohibitioni legis, quæ vetuit, donationem omnium bonorum fieri, ne donator maneat privatus libero jure testandi. Quo fit, ut meritò in hac specie donatio improbetur.

Secundò, Pauli sententia obtinebit, ubi usufructus, in donationis contractu reservatus, esset necessarius ad alimenta ipsius donatoris ejus conditione inspecta. Nam tunc, cum nihil superesse possit ad exercendam à donatore testandi facultatem, optimè deducitur, donationem nullam esse. Hoc probatur auctoritate Aretin. in *d. conf. 54. col. ult.* qui respondit, donationem omnium bonorum nullam esse, etiamsi donator aliquid reservaverit pro alimentis: siquidem in ea specie omnino tollitur testandi libertas, quæ sanè ratio efficit, quod omnium bonorum donatio jure ipso nulla censetur. Quam sententiam probat Boët. *dec. 204. n. 44.* & Aymon. *conf. 222. n. 2. lib. 2.* ubi latè conatur defendere opinionem Alex. adversus Paulum Castrensem.

Tertiò, eadem ratione, & procul dubio fortiori, donatio omnium bonorum erit reprobanda, etiam reservato usufructu, si ipse usufructus ita modicus sit, ut nec ad alimenta congrua donatoris sufficiat, sicuti donatio omnium bonorum nulla judicatur, quoties id, quod à donatore reservatur, ita modicum est, quod vix ad alimenta sufficiat, vel testamentaria ejusdem rei dispositio elusoria, vana & ferè inutilis sit: adeo quidem ut nemo sit, qui hæreditatem adire velit secundum Paul. & Alex. n. 18. Claud. col. *penult. in d. l. stipulatio hoc modo concepta.* Purpur. in *d. l. ult. n. 25. C. de pact.*

Quibus accedit, quod, ut donatio omnium bonorum valida sit ex reservatione alicujus partis bonorum, oportet eam reservationem omnino liberam esse ad testandum, ita quidem, ut si testandi libertas diminuta sit donatio nulla judicetur. Etenim cum omnium bonorum donator centum sibi reservaverit ad

testandum.

testandum, & disponendum de eis pro anima, respondit Ripa *lib. 3. respons. 14. n. 4.* donationem minime validam esse. Sic & Decius *consilio 203. & conf. 251.* asseverat, omnium bonorum donationem improbari, etiam si pars aliqua patrimonii fuerit reservata, ut de ea donator in vita, vel in morte disponat, quasi sublata sit libera testandi facultas, si donator in vita de bonis reservatis disposuerit. Ergo, ut ingenuè fatear, quid in hac re sentio, non video qua ratione responsum hoc Philippi Decii defendi jure possit. Nam si donator ibi reservasset ex omnium bonorum donatione simpliciter fundum aliquem mediocris æstimationis, non negaret Decius donationem validam esse: & tamen dubium non est, nec esse verè poterit, donatorem posse in vita ipsius de hoc fundo disponere, & id vendere, ac consumere; nec ex hac consumptione donatio prior irrita fit, cum ex ea donatione non fuerit sublata libera testandi facultas, sed potius ex ipsa consumptione, quamobrem Ripa dubitavit de responso Decii, & id iustissime improbat Alciat. *in d. l. ult. C. de pactis ad fin.* Sic post primam hujus operis editionem legi responsum Aymonis *in d. conf. 222. qui n. 10.* Decii opinionem falsam esse censet. Eodem pacto ipsius Ripæ sententia falsa videtur, quia per eam reservationem non minuitur testandi libertas, etenim donator, qui reservavit sibi centum aureos, ut pro anima disponderet, non cogitur præcisè de eis pro anima testari, poteritque liberè disponere, cum reservatio ipsa facta fuerit in ipsius donatoris favorem & utilitatem, qua ratione per eam non restringitur libera disponendi facultas, quemadmodum Alciat. *in d. l. ult.* censet per text. in *l. donationes. § species. ff. de donat.* Nec ita est accipienda retentio quorundam bonorum facta à donatore ad disponendum pro ipsius anima, ut intelligamus ea bona in aliam causam expendi non posse, vel donatario acquiri, aliter fiat eorum dispositio, præsertim quod si donator in ultima voluntate pro anima de eisdem bonis reservatis disposuerit, mutari & revocari poterit ea dispositio ad libitum testatoris, si quidem ejus contemplatione facta fuerit, additaque donationi bonorum reservatio. Deinde ea interpretatio in dubio adsumenda est, quæ ad subvertendum actum minime tendat. *l. quoties ff. de reb. dub. at si reservationem prædictam præcisam fore censeamus, & ex ea tolli testandi liberam voluntatem interpretemur, inutilis, nullusque erit contractus ipse, quod à voluntate contrahentium satis abhorret, & idè æquior ac benignior est sensus verborum observandus.* Hinc etiam deducitur Bart. opinionem *in d. conf. 76.* ambiguam esse; nam si reservatio facta est in donatoris favorem, vitæ mentio non mutat ejus liberam dispositionem, poteritque donator de bonis reservatis testari, maxime quia verba illa, *in vita disponere*, etiam testamentariæ dispositioni conveniunt, cum testamentum in vita testatoris fiat, tamen si effectum post ejus mortem habeat. Quod si dixeris, eam clausulam ejus Bart. meminere, donationi adjectam, cum habere sensum, quod de bonis reservatis donator possit inter vivos absque testamento disponere, non autem in ultima voluntate, nec in aliam causam, quàm in donatione expressam, posse ea bona impendi (quod difficillimè probabitur, nisi apertissime à mente donatoris deducatur) tunc fatebor utique per eam donationem sublata fuisse liberam testandi facultatem, & ex ea causa donationem ipsam omnino nullam esse, qua in re verba contractus diligentissime sunt examinanda, ne quid contrarium donatoris voluntati præsumatur.

Cæterum quæ circa Pauli Castrensis sententiam adduximus, jure Cæsareo, quod omnibus commune est, locum obtinent, at jure Regio in ea Hispaniarum parte, quæ Castellanis legibus subdita est, quæ prædicta majorem ambiguitatem habere videtur, propter *l. 60. Tauri, (l. 8. tit. 10. lib. 5. Recopil.)* qua statutum

est donationem ꝑ omnium bonorum, etiam præsentium tantum, nullam esse: etenim ante eam constitutionem jure civili Romanorum frequentiori omnium consensu receptum erat, donationem omnium bonorum præsentium tantum validam esse, sicuti monstravimus *in Rubr. de testament. 2. part.* notant Bart. & omnes *d. l. stipulatio hoc modo concepta, n. 5. ff. de verb. obligat. Dec. conf. 30.* Et sanè etiam stante Regia lege sæpissimè apud suprema hujus regni tribuna lia communis sententia adversus Paul. Castr. recepta videtur, cum his quidem interpretationibus, quas paulò antè tradidimus: mihi tamen, quoties lege Regia erit jus dicendum, potius applaudet Pauli opinio, quæ etsi jure Cæsarium justè improbetur, Taurina verò constitutione potissimum probatur, quod pluribus rationibus verum esse ostendam, quò certior sit hæc interpretatio.

Primò siquidem constat, jure Regio donationem omnium bonorum, præsentium tantum, nullam esse: atque idè manifestissimi juris erit, hanc donationem omnium bonorum usufructu retento, esse nullam omnino, si probavero per eam omnia bona præsentia donari: id verò colligitur eo, quod donatio omnium bonorum juxta communem intellectum ad præsentia omnia bona pertineat, ita equidem visum est Bartolo & aliis *in d. l. stipulatio hoc modo concepta*, reservatio autem usufructus non mutat hanc conditionem, quia fructus percipiendi ad futura bona pertinent, ipse autem usufructus non potest inter præsentia bona donatoris censei, cum usufructus pertinens ad donatorem tempore donationis, causalis sit: is verò qui reservatur, formalis, qui constitui non potest donec in donatarium transferatur dominium, & sic post donationem ipsam. Igitur usufructus formalis, qui per donatorem reservatur, non erat penes ipsum tempore donationis, atque ita ad bona ejus præsentia minime tunc pertinisset, dicens forsitan hanc rationem idè debilem esse, quod statim unico actu donatio fiat, & inter bona præsentia donatoris formalis usufructus constituitur, & item retineatur. Et præterea per reservationem usufructus non fiat nova usufructus acquisitio, sed tantum mutatur qualitas ejusdem, cum ex causali mutetur, & transeat in formalem. Causalis autem erat penes donatorem tempore donationis, ergo & formalis quoad substantiam rei itidem apud eundem donatorem extabat ante donationem, saltem ejus tempore: quamobrem prima hæc ratio minus congrua apparet. Unde secundò urgentius considero, quod DD. omnes, qui à Paulo Castrensi recesserunt, fatentur in hac specie donationis omnium bonorum retento usufructu, factæ, donationem ipsam verè esse omnium præsentium bonorum: quippe qui censeant ipsum jus usufructus nihil impedire, quin hæc donatio omnium præsentium bonorum sit, quia de eo testari donator non valet: at tamen defendunt hanc donationem ex eo, quod de fructibus futuris, qui causa usufructus reservati fuerunt, testari donator possit: palam igitur fit hanc donationem jure Regio nullam esse, cum sit omnium saltem præsentium bonorum donatio. Tertio, hanc ipsam sententiam Regiæ legis mens plaudè probat, etenim ex eo Regia lex improbat omnium bonorum præsentium donationem, quod velit ad effectum validæ donationis aliquid ex bonis præsentibus reservari, de quo donator ipsemet tempore donationis testari valeat, quasi nolit lex tolli liberam testandi facultatem donatori, etiam si statim post donationem mortis periculum & discrimen sit subiturus. Quo fit, ut etiam si teneamus jus usufructus formalis esse de bonis præsentibus, non sufficiat ejus reservatio, quia id jus morte finitur, nec de eo testari donator posset; fructus autem percipiendi nihil ad effectum donationis validæ pertinent, quamvis reserventur, cum ea reservatio jure Regio sufficiens non sit,

Quarò in ejsdem opinio nis comprobationem faci, quod iure Regio duo requiruntur, ut omnium bonorum donatio valeat. Primum, reservatio alicujus partis ex bonis presentibus, quemadmodum *d. l. 69. satis expressum est.* Secundum exigitur quod ea reservatio fiat de re, quæ cedat in testamentariam dispositionem donatoris Nam & iure Cæsarium secundum communem omnium sententiam in *d. l. stipulatio hoc modo concepta.* id, quod reservatur à donatore, ut donatio omnium bonorum valeat, oportet, ut ejus conditionis sit, quod donator de eo testari valeat, ne tollatur libera testandi facultas; alioqui vana ac frustranea esset in hac specie reservatio. Et profecto illud maxime iudicium animos persuadere debuisset, ut Pauli Castrensis opinionem in praxi saltem iure Regio reciperent, quod in his omnium bonorum donationibus usufructus reservatio fit in manifestissimam legis fraudem. Aliquot præter hæc scitu digna in hac materia lector diligens observabit apud Jasonem in *l. à divo Pio. §. in venditione, ff. de re jud. col. 2. & in l. 1. §. si quis ita, n. 18. ff. de verb. oblig. & cons. 169. lib. 4. Curt. Junior. cons. 15. & 25. Gozad. in cons. 87. Aymon. cons. 139. ad fin.* præter alia, quæ & ipse adnotavi in *rubr. de testam. 2. part. & adnotarunt DD. d. l. stipulatio hoc modo concepta & in d. ult. C. de pact. Matth. notab. 137.* Et in ea quæstione, quam in *d. §. in venditione.* Jaso. explicuit, omnino legendi sunt idem *Jal. cons. 65. 4. dubio, lib. 1. & cons. 194. idem in d. l. stipulatio, col. penult. Dec. cons. 414. atque Andr. Tiraquel. in l. si unquam. C. de revoc. don. verb. bona, num. 7.*

## NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT X.

## Num. 1.

Verfic. *Nam res ipsa consentiente donatario, &c.*

Arbitratus Fachin. *lib. 8. controv. c. 89.* (quamquam ejsdem cum Auctore sit sententiæ) argumenta tamen ab eorum ex *l. ult. C. de remiss. pign. tum ex l. penult. §. ult. ff. de pign. ad confirmationem suæ opinionis adducta, non admodum urgere: nam quod ad primum attinet responderi posse, creditorem jus hypothecæ admittere in ea re, quæ eo consentiente debitor alienavit, atque adeò absque novo consensu illam semel extinctam reviviscere non posse. Eadem quidem ratio atque idem jus in fructibus, si illi probarentur à donatore excepti, sed quod excepti fuerint probandum esse, non præsupponendum; quoniam illud est de quo disputatur. Quod verò ad alterum attinet argumentum, negari posse similem esse casum qui adfertur de pecunia mutuata ab ipso creditore; quia pecunia esset obligata creditori qui mutuavit, tunc non liceret debitori qui eam accepit, expendere, distr. here, ac uti tamquam sua secundum intentionem contrahentium mutuam. Atque adeò non liceret ei præjudicare hypothecæ creditoris quam haberet in pecunia eam consumendo quod est contra naturam mutui; at hoc in casu donatori liceret uti, frui rebus donatis, juxta reservationem sibi factam, licet de fructibus perceptis testari non posset. Existimat itaque Fachin. firmiter esse argumentum pro confirmatione prædictæ sententiæ, quia videlicet dum donator sibi usufructum reservat videtur sibi in consequentiam servare jus quod competit usufructuario, cum ei sit annexum, nec intelligi possit aliquem usufructum habere, nisi sit usufructuarius; sed usufructuarius fructus facit suos,*

ac proinde eos transmittit ad hæredes suos, ergo & iste donator reservasse sibi intelligitur hoc jus faciendi fructus suos, & sibi acquirendi ac transmittendi ad suos hæredes, Fach. ubi supra.

## Num. 2.

Verfic. *Imò & idem erit.*

Ut profecto mihi verior apparet opinio Alexandri.

Auctorem sequuntur Molina *de justit. & jur. tom. 2. disp. 280. vers. dicendum est.* Ant. Gomez. *li. 69. Taur. n. 3. Jul. Clar. lib. 4. sentent. §. donatio q. 19. n. ult. Gutier. c. 11. Molina lib. 2. de primogen. cap. 10. n. 19.*

## Num. 3.

Verfic. *Quibus accedit.*

Nam si reservatio facta est in donatoris favorem, vitæ mentio non mutat ejus liberam dispositionem.

Neque enim ita strictè accipienda sunt illa verba, *ut possit in vita disponere:* quasi denotent dispositionem inter vivos tantum: sed latius, ut hunc sensum habeant, quod donator velit sibi salvum esse dum vivet, pro libitu suæ voluntatis de bonis disponendi, scilicet contrahendo, donando, testando, uti maxime voluerit, tanquam rei suæ moderator & arbiter. Fach. *lib. 6. controv. cap. 90. versic. ego puto.*

## Num. 4.

Verfic. *Ceterum.*

Taurina verò constitutione potissimum probabatur; quod pluribus rationibus verum esse ostendamus.

Hanc Covarr. opinionem tanquam novam & parum probabilem rejicit Molina *lib. 2. de primogen. cap. 10. n. 22.* cum quo consentiunt Gutier *cap. 11. de juram. com. & Anton. Gomez. l. Tauri 69. nu. 3.* Argumenta autem quibus nititur Covarr. solvit Lud. Molin. *de justit. & jur. tom. 2. disput. 280. vers. ad primum.*

Verfic. *Quarò in ejsdem opinionis.*

Aliquot præter hæc scitu digna in materia.

Ad hæc corollarii vice notandum donationem hæreditatis non valere, tum quod illa pacto dari nequeat, tum etiam quod hæreditas sit successio in universum jus quod defunctus habet tempore mortis, ita ut bona omnia præsentia & futura contineat, quæ ratione libera testandi facultas contra leges & bonos mores impediretur. Communem tradunt, Fach. *lib. 6. controv. c. 94. Molin. tom. 2. disp. 280. versic. dubium est utrum.* Julius Clarus *lib. 4. sentent. §. donatio, n. 6.*

Sed quid si bonorum omnium præsentium & futurorum reciproca sit donatio, & hoc quoque casu donationem invalidam esse tenet Molina & ab eo citati *d. disp. 280. vers. Ant. Gomez. loco citato.* Verum cum ea vim permutationis vel venditionis magis habeat quam donationi comparetur, haud malè sustineri posset hujusmodi donationem validam esse, præsertim quod donatio omnium etiam bonorum præsentium & futurorum ex causa onerosa permittaur. Molin. *dict. loc. vers. dudum postremo est.* & hinc promissio.

missionem mutuam de succedendo valere tradit Gail. lib. 2. *pract. observat.* 126. n. 6. 7. 8. cum per stipulationem causa donationis inter vivos concepta sit, eò quod sit obligatio descendens ex contractu de presentibus inter vivos celebrato, licet post mortem effectum sortiatur: quamvis secus se se habeat si simplex promissio per pactum de successione reciproca interveniat, quod id futuræ successione, & propterea inutile censetur. Gail. *dict. loc.* etsi nihil veter, quo minus particularè pactum de quibusdam rebus post mortem invicem relinquendo subsistat aut etiam universale inter milites. *l. licet. C. de pact.* Principes, Barones; adèque Nobiles Germaniæ, ut hoc modo familiæ conserventur. vide Gail. *d. lib. 2. p. 127.*

Circa prædicta observandum est, hæreditatem donatione causa mortis indifferenter relinqui posse quòd alia jure testandi non impediatur, cum natura sua revocari valet. Fachin. *d. li. 6. controv.* 95. Molin. *d. disp.* 280. *vers. Dubium etiam est*, præterquam quòd hæres institutus quotam suam deducere possit. Fach. *ibid. ubi sup. n. 7.*

Quæri hic etiam potest, an donatio omnium bonorum presentium & futurorum, ne quidem valeat quoad partem, quemadmodum in donatione, quæ quingentos solidos nulla insinuatione facta excedit? responsum est, & communis DD. sententia habet, ne quoad partem quidem valere. Ant. Gomez *ad l. Taur.* 69. n. 2. Gutier. *cap. 11. n. 3. de juram. confirm.* Jul. Clar. §. *donat. q. 20. n. 2.* tamen ibidem addat contrarium disputando defendi posse. Neque eadem hic est ratio, quæ in donatione ultra quingentos solidos non insinuata, quia in illa nihilominus de jure præscriptus terminus est, intra quem subsistat; non ita in donatione omnium bonorum presentium & futurorum. Molina *disp.* 280. *vers. dubium est utrum.*

Illud etiam decidendum est, si quis simpliciter donaverit bona sua, vel etiam verbis generaliter conceptis omnia bona sua, hujusmodi donationem valere, cum nec bona futura illa veniant. Jul. Clar. *lib. 4. sent. §. donatio. q. 20. n. 3. & 4.* Atque idem quoque obtinet, si bona omnia mobilia & immobilia donata sint. Clar. *d. q. 20. n. 5.* An autem donatio omnium bonorum presentium & futurorum, mobilium & immobilium valida sit, eoque nomine jura & actiones quæ tertium genus bonorum constituunt, comprehendantur; vide Molinam *dict. disp.* 280. *vers. Utrum autem.*

Sed an quæ de invaliditate donationis bonorum omnium presentium & futurorum dicta sunt, etiam obtineant si Ecclesiæ donatum fuerit? de jure non valere, veriùs existimat Jul. Clar. quamquam testetur, à contraria & communiter recepta opinione, propter favorem Ecclesiæ se in judicando aut consulendo, non audere recedere. *d. §. donatio. qu. 20. num. 4.*

Postremò hoc sciendum, donatorem hunc omnium bonorum presentium & futurorum, reservato sibi usufructu, non teneri ad cautionem idoneam de utendo, fruendo arbitrio boni viri, & restituendo rem finito usufructu, quam aliàs usufructuarii præstare tenentur, cum taliter donans ex sua liberalitate conveniatur, idèdque mitius cum illo agendum sit. *l. ad res donatas, ff. de adilit. edict.* Barth. Socin. *in l. omnes, in tertio notab. ff. de except.* atque ita in Camera Imperiali decisum refert Mynsing. *cent. 5. observat.* 36. Quod similiter obtinet, quando vassallus sive feudatarius investitus habet usufructum, id est fruitionem quandam utilem & plenam, quia ab eo pariter non exigitur usufructuaria cautio, Mynsing. *d. loc.*

## CAPUT XIII.

Quid consuetudo possit circa fructus beneficiorum absentibus conferendos.

## SUMMARI A.

- 1 Distributiones quotidiana, an veniant appellatione fructuum beneficiorum.
- 2 Distributiones quotidiana etiam ex consuetudine absentibus dari non debent.
- 3 Residentia & personalis presentia in ipso choro differunt valde quoad perceptionem fructuum.
- 4 Lex improbens consuetudinem, an reprobare censetur præteritam tantum vel futuram simul.
- 5 Sublata consuetudine, an & immemorialis revocatio sit.
- 6 Distributiones quotidiana simplices, & non duplices, dantur habenti in eadem Ecclesia duo beneficia.
- 7 An absentium distributiones presentibus ad crescant.
- 8 Infirmi qualiter excusentur a presentia in choro, & percipiant distributiones quotidianas, & quid de excommunicatis.
- 9 Consuetudo an valeat excusare quem à residentia, ut is percipiat reditus principales beneficii.
- 10 Clerici habentes beneficia Ecclesiastica, qua pena cogantur horas canonicas dicere.

FRUCTUS beneficiorum Ecclesiasticorum Jure Pontificio bifariam considerantur. Quidam etenim in genere constituti sunt, ut ex titulo canonico ac legitimo habenti beneficium competant, & reddantur. Alii verò distributione quadam, veluti diurnum & horarium stipendium, his qui quotidiano ministerio in celebrandis officiis divinis subserviant Ecclesiæ, distribuuntur. Horum ratione tractari solet, an hi fructus ex consuetudine absentibus acquirantur: qua de re traditum est à Juris Canonici professoribus; dubitationem istam in duas distinguendam esse partes quarum prior de quotidianis distributionibus, posterior de aliis Ecclesiasticorum beneficiorum redditibus tractabit. Etenim † quotidianæ distributiones potissimè differunt à reliquis beneficiorum redditibus, imo appellatione fructuum beneficii Ecclesiastici non veniunt quotidianæ distributiones. text. opt. in *c. unic. de cleric. non resid. in 6.* & in *c. ult. §. in illis. de concess. præb. eod. li.* Idem pluribus rationibus & auctoritatibus probari poterit, quæ hoc in capite à me erunt adnotandæ. Præsertim tamen illud admonendum est, quod cum alioqui in impetratione beneficii, quæ à summo Pontifice fiat; valor ejusdem sit omnino exprimendus, juxta *reg. Cancell. 21. & 60. ac 62.* & tradita per Ludov. Gomez *in præfat. ejusdem regul.* post gl. & DD. in *Clem. 1. de præb. Fel. in c. causam quæ. 3. col. de testib. eundem Abb. & Ripam n. 76. in c. ad aures. de rescrip. Dec. conf. 159. Selvam 3. part. de benefic. q. 12. Oldr. conf. 216. qui, an valoris mentio sit necessaria Jure Canonico, seclusis cancellariæ Apostolicæ regulis latissimè inquirunt, & diligenter examinant; attamen satis erit, valorem Romano Pontifici significari secundum eorum æstimationem reddituum, qui absque quotidianis distributionibus ex eodem beneficio percipiuntur: nec enim augēt beneficii valorem distributiones quotidianæ, nec id, quod pro anniversariis datur, cum hæc ratione personalis operæ & laboris dentur, argum. text. *l. cum duob. §. si in coeundo, ff. pro scio. & in l. 1. 2. respo. ff. si mens. falsa mod. dixer.* Ex quibus in hac specie hoc ipsum adnotatur Oldrad. *conf. 118.* Rota in antiquis 766. & novis 134. Anch. in *Clem. 1. de præb. Jo. Andr. in Specul. Rubr. de concess. præb. Barb. in c. ult. col. antepen. de pecul. cler. gl. in reg. cancell. 60. Fel. in d. c. ad aures, n. 4. Philip. Probus late in d. c. unio. de cler. non resid.**

resid. n. 37. & 57. Ripa li. i. resp. c. 5. Patil. conf. 33. li. 4. col. 1. Joan. Staphyl. de litteris gra. & justit. fol. 29. col. 2. Gomez. in tract. de expectativis. n. 104. quorum opinio communis est, & probatur à text. in d. c. unio. à quo & ipse aliam in distributionibus quotidianis conclusionem adnotavi in c. cum officiis. de test. n. 4.

Ad quæstionis igitur responsonem ex Bonifacii VIII. constitutione proponitur conclusio prima. Consuetudine induci non potest, quod ÷ distributiones quotidianæ absentibus & minimè ministrantibus dentur, ita enim statutum est in d. c. unio. de cler. non resid. in 6. ex pluribus quæ Doctores inibi tradiderunt; nam harum distributionum ea est propria natura, ut his, qui verè interfunt divinis officiis competant, non aliis: & idè nec his debentur, qui sistè residere consentent, nempe Canonicis, juxta juris permissionem existentibus in Episcopi servitio & ministerio. c. de cætero. de non resid. item nec his, qui literis operam dantes, in aliqua litterarum bonarumque artium juris divini & humani Academia ad majorem Ecclesiarum utilitatem, Jus ipsum divinum, vel humanum Pontificium tamen, profitentur: hi siquidem distributiones quotidianas non recipiunt, sicuti notatur in c. licet de præbend. ubi gloss. Abb. & Doct. Quibus ad stipulatur, quod habens à Romano Pontifice privilegium, ut fructus beneficii etiam absens recipiat, non poterit distributiones quotidianas ex eo habere: textus & ibi gloss. communiter recepta in cap. ult. de rescript. lib. 6. gloss. & ibidem Doct. in c. 2. de privileg. cod. lib. tradit idem Joan. Staphyl. de litteris gratia & justit. fol. 92. col. 1. etiam si dispensationis & privilegii auctoritate speciali serviat is Ecclesiæ per vicarium: nam in hac specie distributiones quotidianæ nec absenti (quia personale ministerium Ecclesiæ non exhibet, nec vicario, quia is Canonicus non est) minimè debeatur, auctore Calderin. conf. 1. tit. de cler. non resid. in quo verba Principis privilegium concedentis omnino sunt expendenda, ne quid adversus ejus concessionem fiat. Sic, quamvis Princeps proprio rescripto jubeat absenti reddi fructus beneficii, ac si is præsens esset, non ex hoc ei debentur distributiones quotidianæ: gloss. omnium consensu probata in d. c. unio. de cler. non resid. in 6. & inibi Probus n. 50 & idem erit, ubi Princeps absenti permittat fructus recipere, & ei deberi, statuatur, ac si resideret ipse: adhuc enim ex hac indulgentia fructus beneficii distinctos à distributionibus percipiet, non ipsas distributiones quotidianas. Quod adnotavit post alios Gulielm. Castador. dec. unica. de cler. non resid.

Atque hæc jure procedere videntur, licet gloss. contrarium censent in c. cum dilectus, de cler. non resid. Scribunt si quidem Anton. & Dec. in c. cum omnes, de constit. Domin. & Francus d. cap. unio. maximum esse discrimen inter ÷ residentiam, quæ quidem dicitur, cum quis eo loco habitat, in quo Ecclesia est, cujus beneficium habet, appellaturque ab aliis præsentia: & alia ex parte inter essentiam, cum obtinens beneficium ipsis divinis officiis celebrandis præsens est, & ministerium eorum celebrationi, ac altari exhibet: gl. in d. c. unio. in verbo, affuerit. Ex qua hi Doctores adnotarunt, Jure Pontificio ad percipiendos & adsequendos fructus beneficii solam residentiam absque ministerio personali, & præsentia in divinarum officiorum celebratione, sufficere; non sic ad obrinendas quotidianas distributiones, quas quis, nisi interfuit divinis officiis, habere non potest. Hoc probatur argumento à speciali in d. cap. unio. secundum Domin. & Franc. ibi. Verùm priorem hujus distinctionis partem falsam esse censent Hostiens. in summa, tit. de cler. non resid. §. 2. 2. quæst. 27. Astensis lib. 6. tit. 34. Sylvestr. in verb. residentiam, in princip. Andr. ab Exca in d. cap. cum omnes, n. 58. existimantes, nequaquam sufficere ad obrinendos beneficii redditus, etiam absque quotidianis distributio-

nibus, ipsius clerici residentiam, nec præsentiam habitationemve in loco ubi est Ecclesia ipsa: sed oportere, quod ipse clericus habens beneficium serviat Ecclesiæ, officia Ecclesiastica exerceat, altari ministrat, faciatque ipsemet ea, quæ ad Ecclesiæ regimen & cultum necessaria sunt. Quorum opinio in beneficio, cui imminet cura animarum, probari videtur in c. conquerente. c. relatum. c. quia nonnulli de cler. non resid. Et profectò plurimum applaudent consideranti legis naturalis & divinationem, Conciliorum, sanctorumque Patrum decreta, cum ex his appareat decimas, cæterosque Ecclesiasticos redditus non alia ratione, nec alio jure habentibus sacerdotia, beneficiaque Ecclesiastica præstari, quam si & operas in ministerio Ecclesiæ impenderint, quæ ab ipsis canonicis indicæ & institutæ fuerint, quemadmodum ante nos diligentius & doctius alii tradiderunt. Nec tamen inficior priorem sententiam non statim damnamam esse: modò sacerdotes, & alii clerici, quibus beneficia collata fuerint, omni conatu & opera curent præsentibus quidem, quod Ecclesiastica officia, ac reliqua munera, quæ commodè per alium expediri possunt, solemniter, diligenter, & absque ullo periculo ministrentur: ea verò quæ ipsorum propriam industriam exigunt, ipsemet tanquam operarii digni mercede, non per vicarium, sed proprio labore subeant, sic tandem fiet, ut, cum præsentibus sint, etiam vicarium habere possint, nec fraudent oves sibi commissas propria præsentia & industria, ob quæ stipendium à Christianis integrum accipiunt. His equidem & aliis prima conclusio probatur præter auctoritatem, quam habet ex Bonifacii VIII. constitutione. Hæc verò aliquot interpretationes patitur ad ejus apertorem intellectum.

Prima sanè in hunc modum proponitur, ut tandem consuetudine effici non possit, quod quotidianæ distributiones debeantur absentibus, qui non interfunt divinis officiis, nisi consuetudo id induxerit in eo casu, quo de jure dubium est, an absentibus distributiones quotidianæ debeantur. Etenim si contigerit aliquis casus, in quo Jure Pontificio scripto non sit expeditum, absentibus non deberi quotidianas distributiones, imò ex eodem jure sit ambiguum, an debeantur: poterit consuetudo legitime præscripta hanc ambiguitatem interpretari & declarare: cum nihil novum, nec juri contrarium aperte sit per eam inductum, secundum Bald. inter concilia Cardin. conf. 53. Dec. in d. c. cum omnes. 1. lect. col. 1. & Exam. ibi n. 50. Rochum Curt. in cap. ult. de consuetud. fol. parvo. 15. col. 2. not. 3. limit. Qui autem sint casus, in quibus Jure Pontificio controversum sit, nec quidem expeditum, absentibus & his qui divinis officiis non fuerint præsentibus, deberi quotidianas distributiones, deducitur ex notatis in d. c. unio.

Secunda prædictæ constitutionis interpretatio eam quæstionem habet, num ea constitutio servanda sit, ubi consuetudo fuerit post eandem constitutionem inducta, & legitime præscripta: Nam videtur ex ea constitutione, quæ consuetudine tollit, sublatam fuisse præteritam consuetudinem, non futuram; cum ÷ constitutio reprobans consuetudinem, præteritam tantum, non futuram improbet, gloss. in Clementi statutum. de elect. in verb. consuetudine. quam Imola inibi sequitur, quamque dixere singularem esse Abb. in cap. ult. col. ult. de consuetud. idem conf. 7. col. 4. lib. 2. Bald. in l. ult. C. de pact. pign. Roman. singul. 180. dixit ordinariam Jason. in l. si mihi & tibi. §. in legat. 1. & lectio. ff. de legat. 1. commendat Abb. in c. 2. n. 7. de probatio. & in cap. in Lateranensi, col. 1. de præbend. notat Anchar. conf. 51. optimus textus in cap. 1. de constitut. in 6. Quo in loco glossæ contrariam sententiam probat in specie cap. unio. de cleric. non resid. existimans verbo expressa non posse novam judici constitutionem, quoties jus ipsum consuetudini



ini resistit: sicuti in d. c. unico, resistit. Atque ita satis aperte secundum hanc partem intellexit glossa prædictam constitutionem. Quia in re prænotare oportet aliquot conclusiones, ex quibus constet hujus dubitationis congrua resolutio. Prima conclusio: lex vel canon, consuetudinem aliquam iniquam & irrationabilem decernens, non tantum præteritam, sed & futuram damnat, ita quidem, ut & futura consuetudo minimè admittenda sit, quippe quæ sententia legis appareat iniqua, cap. ult. de consuet. sensit hoc Innocent in cap. ex parte. vers. sed disting. de consuet. sensere item Dominic. in cap. 1. col. ult. de constitut. in 6. & alii, quibus sequens propositio omnino placet. Secunda conclusio: consuetudo etiam futura procedere nequit adversus canonem vel legem, quæ ipsam consuetudinem simpliciter reprobaverit, nam & eam sensim judicat iniquam esse. Ita sanè censent Abb. in d. c. 2. n. 7. de probation. Dominic. & Franc. in c. ult. de constitut. in 6. Bart. in l. ult. ff. de legat. 2. Aret. in l. 3. ff. de testam. Bald. in d. l. ult. de pact. pignorib. Andr. Tiraquel. lib. de retract. in præfat. n. 18. & 19. idem tenent, asseverantes hanc opinionem communem esse Felin. & Dec. uterque. n. 1. in d. cap. 2. de probatio. Rochus Curt. Jaf. in d. cap. ult. folio parvo 52. col. 4. Jafon. in l. de quib. ff. de legib. n. 55. Alex. & Jafon. in l. si mihi & tibi §. in legatis, ad finem. ff. de legatis. 1. Tertia conclusio: consuetudo ex nova causa potest induci contra legem derogantem etiam expressim futuris consuetudinibus, quod existiment Anton. col. 26. Abb. col. ult. Rochus Curt. fol. 53. col. 2. in d. cap. ultim. de consuetud. Dominic. in d. cap. 1. col. ult. Abb. n. 8. & Dec. n. 11. in d. cap. 2. de probation. Quorum opinio communis est, ac vera quidem, ex eo quod nova causa tollit iniquitatem, quæ inesse videbatur ipsi consuetudini eo tempore quo lex eam ut iniquam reprobavit. Quarta conclusio: poterit simpliciter consuetudo constitui, & vires obtinere adversus legem, quæ licet consuetudinem revocaverit, eiq; derogaverit, non tamen eam reprobat, damnat, nec reprehendit; etenim ex eo, quod lex quidquam statuerit, non obstante consuetudine, cui expressè derogat, non tam reprobat, irrationabilem aut iniquam esse judicat, sed eam tollit, quemadmodum solent tolli veteres leges ex causis, quæ juxta temporis qualitatem, & rerum vicissitudinem justæ legislatoribus apparent: nec ex hoc leges antiquatæ, iniquæ censentur, imò poterunt iterum in praxim & negotiorum definitionem adduci, si Reipublicæ administrari placuerit. Non oberit, quod in legibus & canonibus posterioribus mentio facta sit consuetudinis ad ejus derogationem; cum ea mentio fiat ad effectum, ut constet, per leges has tolli consuetudinem; siquidem alioqui per legem generalem à Principe statutam non censentur sublata consuetudines regulariter, quæ ante ipsam legem vim consensu populi habebant. textus in cap. 1. de constitut. in 6. ubi Domin. Franc. & Gomez. n. 86. & pluribus seq. & Abb. in cap. ult. col. fin. & ibi Rochus fol. 55. col. 3. de consuetud. Bart. in l. de quibus. 10. opposit. n. 5. & ibi Jafon. ff. de legibus. Nec huic sententiæ præjudicat Jurisconsultus in l. 3. §. divus, ff. de sepul. br. viol. Quia quidquid pravè inibi commentus sit Accursius, ea responsio procedit, ubi post legem Principis generalem, sit municipalis constitutio, vel inducitur consuetudo propria alicujus civitatis; & ei peculiaris, & juxta quem sensum non probat Jurisconsultus, per legem Principis generalem tolli municipales constitutiones, & particulares locorum consuetudines; sed post legem Principis generalem non posse contrariam municipalem statui, quod ad aliam questionem pertinet, quæ huic loco minimè convenit. Illud verò omittendum non est, ideò in d. §. divus. municipalem legem tolli, quia ea bonis moribus, quibus tunc ad Reipublicæ utilitatem Ethnici

utebantur, adversabatur, vel saltem ea lex iniqua erat inspectis Principum prohibitionibus, quibus veritum erat, intra urbes ipsas civitates mortuos sepeliri. l. mortuorum. C. de relig. & sumpt. funer. hsecunda, tit. 13. part. 1.

Hac denique resolutione quatuor his adseritionibus proposita, deducitur primò intellectus & examinatio gl. in Clement. ult. verb. quamvis. de reb. Eccl. quæ censet, per hæc verba, & similia, † sublata quacumque consuetudine, aut non obstante quacumque consuetudine, etiam immemorabilem, ut hac interim distinctione utar, consuetudinem revocatam & sublata m censeri; item gl. in Clement. 1. in verb. quacumque de foro compe. quas Felin. sequitur in c. dilecti. col. 3. de major. & obed. Anton. col. 3. & Panor. 3. notab. in cap. cum ex offic. de præscript. Joan. Andr. & Abb. in c. cum instantia. de censib. idem voluit Card. in d. Clem. ult. ubi simpliciter absque dictione universali per legem tollatur consuetudo. Contrarium tandem voluerunt, etiam apposita dictione universali, Bald. in l. unica C. de annua. col. 2. Bald. & Angel. in l. omnes, in fine. C. de præscript. triginta annorum. Alex. in l. nemo potest. col. ult. & ibi Ripa n. 115. ff. de legatis. 1. Felin. in rubr. de præscript. col. pen. Florian. in l. an usufructus, ff. de usufr. per illum textum. Matth. de Afflict. decis. 254. & alii citati per Tiraquell. lib. 2. de retract. §. 1. gl. 2. n. 23. Quibus suffragatur, quod, licet servitutes non habentes continuam possessionem, non præscribantur. l. servitutes prædiorum, ff. de servit. id tamen non intelligitur de præscriptione immemorabili. l. hoc jure. §. ductus aqua. ff. de aqua quotid. & astiu. Etenim quamvis Cald. sententia falsa sit, & adhuc dubia item appareat glossæ in d. Clement. un. & in d. Clem. ult. à plerisque recepta opinio; adnotandum tamen erit, utramque Cardin. glossæ sententiam omnino veram esse quoties consuetudo à lege, ut iniqua & irrationabilis damnatur ac reprobat: nam tunc damnata eodem pacto censebitur quævis consuetudo, etiam immemorialis centenariaque. Quod manifesta ratione constat & colligitur ex Arcino in l. cum stipulatus sim à Proculo. col. 3. ff. de verborum obligat. Rocho in d. fol. 35. col. 3. Felino in d. cap. cum ex officii, n. 13. & Tiraquell. 2. gloss. n. 25. Ex quibus idem erit, si perpena mente legis derogantis consuetudini, eadem ratio vere obtineat etiam in ea, quæ processit à tempore, cujus initii nulla est hominum memoria. Et fortassis, ubi lex præteritæ consuetudini, etiam immemorabili, derogat, etiam futuris immemorabilibus derogare censebitur, ex eo, quod non solent leges novæ immemorabilibus consuetudinibus derogare, nisi quoties irrationabiles visæ legislatoribus fuere, si frequentiore usum consideremus.) Secundò hinc colligitur vera interpretatio text. in d. cap. unico. de cleric. non residen. in 6. ut denique per eam constitutionem etiam futura tollatur consuetudo, cum ob iniquitatem & abusum inibi consuetudo improbetur. Quod expressim ad eandem constitutionem adnotavit Philippus Probus n. 40. Tertio, eadem ratione inferitur, eam consuetudinem intelligendam fore in generali consuetudine, non in ea, quæ ex peculiari & speciali causa in aliqua Ecclesia inducta fuerit, ob justam aliquam rationem sicuti contingere poterit, si in Ecclesia consuetum sit, quotidianas distributiones absentibus deberi, modò hi absint causa studii, vel ad breve tempus, secundum Dec. nu. 2. col. 1. & lectio. 2. Andreas ab Exca n. 50. in d. cap. cum omnes. Sic & quarto, eadem constitutio minimè servanda erit, ubi post eam sanctionem ex consensu Romani Pontificis fuerit consuetudo inducta, quod distributiones quotidianæ dentur absentibus à divinis officii. Panormitan. consil. 94. lib. 1. & Andr. ab Exca in d. c. cum omnes, n. 52. oportet tamen hanc consuetudinem ali-

qua ratione & causa ab iniquitate defendi, cum alio-  
qui iniqua esse videatur.

6 Tertiò, eadem constitutio, quæ de distributionibus quotidianis tractat, ita erit intelligenda, ut si simplices quotidianæ distributiones, non duplices, debeantur & dentur ei, qui officiis divinis interest, & præsens est ratione duorum officiorum, non enim magis præsens est is, qui simul Archidiaconus & Canonicus est, quàm is qui tantùm canonicatum habet. Et idèd sat erit, quod is simplices habeat distributiones, nempe ut Archidiaconus, vel ut Canonicus, cum illæ dentur ob personalem præsentiam, ita equidem voluit Anton. in cap. cum olim de re jud. quem sequuntur Rochus Curt. in c. ult. de consuetud. fol. parvo 49. col. 4. & Ludoy. Gomez. in tract. de expectativis, n. 54. Contrarium, imò quod is qui simul Canonicus & Archidiaconus sit, obtinere debeat ob præsentiam personalem, duplices distributiones, eas inquam, quæ Archidiacono tantùm, & Canonico tantùm deberentur, tenent Joan. Andr. Abb. & Felin. in d. cap. cum olim. Bal. & Card. ei subscribens conf. 53. pro quibus est textus elegans l. Titia. §. qui Marco. ff. de annu. legat. ubi Jurisconsultus scribit, quod si legentur libertis annua alimenta, & Marco centum, debebuntur Marco alimenta annua, & simul centum, si Marcus libertus sit quam responsionem singularem esse asserit Bald. in cap. cum in iure. de lectionibus. tractatque de ejus intellectu Bar. in l. questum. §. pen. ff. de fundo instrum. & idem probatur ex eo, quod potest quis duplici officio fungi, modò exercitium unius alteri non contradicat, aut repugnet, vel alterius usum non impediatur l. si consul. §. ibi gloss. ff. de adopt. l. fistulas §. 1. ff. de contrahend. empt. l. tertio. ff. de ritu nupt. l. accipientis ff. auctor. tut. l. quisquis C. de postul. l. hac parte. C. de prox. sacri. scri. lib. 12. l. ult. C. de assess. latè post alios Decius in cap. 3. de probat. Saltem privilegio Principis, etiamsi jus obstet, id licitum esse constat, & idèd qui simul, Archidiaconus, & Canonicus est in eadem Ecclesia, duplicem vocem in electionibus habet, ut Archidiaconus inquam, & ut Canonicus. textus in d. c. cum olim. ubi Abbas & Doctores per gloss. inibi & est communis opinio secundùm Felinum ibidem. Quamobrem quidquid dixerit Antonius, opinio Joannis Andreæ verior est, saltem cum Aretinus in d. cap. 3. de probationib. dubiam esse censeat Joannis Andreæ sententiam: ea obtinebit, si per consuetudinem fuerit recepta juxta primam d. cap. unici. interpretationem, idemquè notant Bald. & Card. d. conf. 53. Decius in d. c. cum omnes, 1. lectio. col. 1. ex ea ibi n. 52. quamvis Rochus Curt. in d. c. ult. de consuet. fol. 49. col. 4. teneat adèd esse veram Antonii sententiam, quod nec contraria consuetudine possit admitti: quod ego falsum esse procul dubio opinor.

8 Quartò, quod de distributionibus quotidianis decisum est, ita quidem erit accipiendum, ut si absentium partes, & quæ eis, si præsentibus forent, deberentur distributiones, non cæteris præsentibus, sed ipsi Ecclesiæ competant, & ad eam pertineant, secundùm eam distinctionem, qua passim Doctores utuntur, & ipse hîc exponam. Nam si nullus ex Ecclesiæ ministris intersit divinis officiis, omnes quotidianæ distributiones, quæ eis forent dandæ, si præsentibus fuissent, ad Ecclesiam ipsam pertinent secundùm Domin. & Franc. post alios in decis. cap. unico de cleric. non resident. in 6. & Guiliel. Cassador. decis. unio. ejusd. tit. Quod si Canonici aliquot divinis officiis intersint, alii verò absentes fuerint, tunc in quotidianis distributionibus receptum est, eas, quæ absentibus, si præsentibus forent, omnino competere, præsentibus adcrecere. gloss. in Clement. ut hi, qui divinis, de atat. & qualitat. in verb. dimidia in ipsis verò fructibus principalibus à quotidianis distributionibus distinctis, absentium partes in Ecclesiam ip-

sam conferunt, & ei debentur, gloss. in Clement. 2. in verb. suspensos. de vit. & honest. cleric. quas quidem glossarum opiniones, & distinctionem hanc ultimam sequuntur inibi Doctores. Francus post alios in cap. ult. col. penul. de rescript. lib. 6. in d. cap. unico. col. pen. & si. gloss. in pragmat. sanctio. tit. de tenentibus capitulum tempore Mistra. in verb. neque. Felin. in cap. Apostolica, n. 12. de exception. Est item text. pro ultimo distinctionis membro in cap. penult. Et ibi Innocent. Henric. Abb. & alii de cleric. non resident. Ex quibus constat distinctionem hanc omnium consensu probatam esse opinio tamen gloss. in dist. Clement. ut hi, qui divinis, obtinet, ubi statuto, vel consuetudine Ecclesiæ certa quantitas est distribuenda inter eos, qui horis Canonicis & divinis officiis præsentibus fuerint. Etenim tunc pars, quæ absentibus ob præsentiam deberetur, potius præsentibus competit jure non decrescendi, quàm adcrescendi. At si ita res instituta sit, ut cuilibet Canonico, qui præsentibus horis Canonicis fuerit, detur certa ac definita quantitas, eo casu portio absentis, non cæteris præsentibus dabitur, sed apud ipsam Ecclesiam manebit, Hic si quidem locus non est juri adcrescendi, quia præsentibus certa debetur quantitas, absentibus verò nulla, secundùm Imol. & alios in d. Clement. ut hi, qui divinis. gloss. in d. pragmat. sanct. in ver. neque optimus text. in l. si Titio. ff. de legat. 2. Et præterea hoc suadetur ex eo, quod in hac specie nulla est conjunctio, inter Canonicos, nec rei, nec verborum; & idèd expeditum est, jus adcrescendi non esse ad hanc redituum distributionem considerandum. Quod verò diximus, ad Ecclesiam pertinere eam portionem, quæ absentibus, si præsentibus fuissent, deberetur; tunc obtinet, cum ex patrimonio Ecclesiæ, cui ministratur, dantur redditus & quotidianæ distributiones ipsis ministris, nulla facta divisione redituum inter ipsam Ecclesiam, & ejus ministros: quasi aliud dicendum sit, ubi patrimonium Ecclesiasticum in duas sit divisum partes, quarum una ipsius Ecclesiæ, ad ejus fabricam, vestes, aliaque ei necessaria, propria sit, altera verò ad ministrorum victum, & laboris mercedem sit destinata. Nam si patrimonium, & distinctos redditus ministri habuerint, quidquid diximus in præmissa distinctione ad Ecclesiam pertinere, id verè cedit in patrimonium commune ipsorum ministrorum. Et sanè, ni fallor, etiam in redditibus principalibus distinctis à distributionibus quotidianis, idem erit quod & in ipsis quotidianis distributionibus, quoties certa redituum quantitas constituta sit, & destinata ad hoc, ut inter ipsos ministros dividatur: etenim eo casu portio absentium, portiones præsentium & personaliter ministrantium auget. Unde in hac quæstione tantùm est constituenda differentia: seclusa glossarum & Doctor. sententia in hoc, an sit ex redditibus Ecclesiæ certa quantitas destinata ad ipsorum ministrorum victum, & laboris mercedem, vel sit statutum, ut cuilibet ministro detur certa annua præstatio. Priori equidem casu sive in distributionibus quotidianis, sive in principalibus redditibus beneficiorum, absentium portiones præsentibus debentur & adcrecent; in posteriori verò absentium partes apud ipsam Ecclesiam manent, eique jure omnino debentur.

Quintò, ad prædictæ constitutionis intellectum, inquirendum, an ministris Ecclesiæ, qui morbo impediti, personaliter ministrare non valent, quotidianæ distributiones debeantur; Nam & Francus in d. cap. unico. existimat, consuetudine fieri posse, ut quotidianæ distributiones absentibus debeantur, ex causis tamen in hac constitutione exceptis atque ita intelligendum esse, quod Romanus Pontifex in d. cap. unico. à regula excipit, ut secus sit, ubi nulla de hoc adest consuetudo: quia censet eo casu etiam infirmis quotidianas distributiones non deberi: ita ipse Francus

cus in §. qui verò. 1. & 2. colum. Ego contrariam sententiam opinionem, exillimo jure communi scripto, absque illa consuetudine, quotidianas distributiones clericis & infirmis dandi: quod probatur in *decis. cap. unico*. ubi à regula, quam præfiserat Pontifex de distributionibus quotidianis minimè dandis absentibus à divinis officiis, excipit ipsos infirmos, qui morbo impediante non potuerunt divinis officiis personaliter interesse. Idem apparet ex *l. arboribus. §. de illo. ff. de usufructu*. quo in loco gloss. adnotavit famulo infirmo salarium esse præstandum etiam eo tempore, quo ægrotus sit. Quam opinionem tenuerunt Innoc. Joan. Andr. & Barbat. in *cap. 3. de loc. n. 25. Dom. in d. §. qui verò. Hostiens. & Specular. citati per Aufier. decis. Tholos. 268.* quibus accedit text. in *l. 4. §. Stichus si heredi. ff. de stat. lib.* ubi conditio servandi certo tempore, censetur evenisse & contrigisse si eo tempore servitium impendi non potuit morbo impediante, etiamsi tempus sit numero dierum certum & definitum, nec tamen certum in specie optimus ad idem text. in *l. 1. §. Divus. ff. de var. cognit.* Hanc tandem opinionem asserit esse communem Imol. in *decis. cap. de locat. num. 10.* Cæterum contrarium adnotant Franc. in *d. §. qui verò. gloss. in l. penult. C. de contic. ob caus. & in d. l. 1. §. Divus.* pro quibus est text. in *l. si uno, §. item cum quidam ff. loc.* ubi qui locavit operas suas, non recipit mercedem ejus temporis, quo morbo impeditus, eas præstare non potuit, morbo inquam, impeditus, vel alio casu fortuito. Ad idem inducitur textus in *l. si pecuniam. in princ. ff. de condit. caus. dat.* Cui convenit *Regia l. 44. tit. 14. part. 5.* quæ expressim tractat de impedimento ægitudinis. Ex quibus tandem hæc posterior sententia verior apparet secundum Imol. in *d. cap. 3. de locat. nu. 10.* post Anton. & Anchar. ibi Bartol. in *d. §. Divus.* & in *d. §. item cum quidam.* & in *l. opere ff. de usuf. leg.* ubi Dynus, Oldradus, Jacobus Arenæ, & Alberic. idem tenent. Idem Alber. in *d. §. Stichus.* & in *d. §. de illo Aufier. d. decis. 268.* Card. & Imol. in *cap. 1. de cleric. agror.* ubi Panor. eandem opinionem secutus fatetur, eam communem esse quod itidem asserant Baptista de S. Severino in *l. diem sancto. ff. de offic. ass. qu. 48.* & Sylvest. in *ver. familia, §. 2.* tenetur tamen dominus famulo ægrotanti cibaria & modicas ac tenues expensas exhibere. Bart. in *l. si cum dotem. §. si autem. ff. soluto matrimon.* & in *l. in rebus. ff. commodat.* Abb. in *decis. cap. 1.* Aufier. 8. Sylvest. in *præcitat. loc.* Non obstat textus in *decis. §. de illo*, quippe qui tantum probat, quod in servo ægrotante retineatur usufructus, licet is inutilis sit, quod parum ad nostram questionem attinet, deinde responsio Jurisconsulti in *d. §. Stichus.* specialis est favore liberatis, Acuti & in *d. §. Divus*, favore & peculiari privilegio Advocatorum illud obtentum est propter excellentiam officii, & ingeniosam professionem. Item non oberit textus in *d. cap. unico.* ex quo distributiones quotidianæ infirmis dantur, qui tamen non possunt personaliter Ecclesiæ ministrare: nam in eo casu non tantum ob laborem personalem, sed & propter officium & dignitatem debentur distributiones, aliisque Ecclesiastici redditus. Unde ex ea decisione efficax argumentum sumi non poterit ad mercedem famulo infirmo præstandam. Sic *l. Regum cap. penult.* Amalecita servum dereliquit quod is ægrotare cepisset; igitur licet famulo infirmo salarium minimè debeatur, ministris tamen Ecclesiæ, qui impediante morbo non possunt divinis officiis interesse, quotidianæ distributiones dandæ sunt.

Secundò, hoc ipsum erit intelligendum, quando ægrotus fuit absentis vera causa, cum is, qui modò ægrotat, solitus sit tempore rectæ veletudinis officiis divinis interesse. Quod si ægrotus minimè consueverit, usus integra veletudine, horis canonicis in-

teresse, nequaquam percipiet durante ægrotus ne quotidianas distributiones Joan. Andr. Cardinal. & A. b. in *cap. ad audientiam de cler. non residen* Joan. Anot. Dom. & Franc. in *decis. cap. unico.* & al. ff. in *pragmat. sanctio. tit. quo tempore quisque debeat esse in choro. vers. percipiunt.* Corlet. in *singul. verb. i firmus abb. in c. plerumque, de rescript.* & Felin. dicens ita omnes tenere in *c. Apostolica. n. 12. de except.*

Septimò, quotidianæ distributiones non tantum simpliciter ægrotantibus debentur, sed etiam his, qui ex propria culpa in morbum inciderunt: etenim hi, quamvis propria culpa sint impediti, hoc tamen impedimentum nec ab homine, sed ab ipso Deo illatum fuit, nec denique in id culpa ægrotantium præcessit, ut in morbo non possint personaliter ministrare; quod constat ex his, quæ à me adnotata fuerunt *hujus operis lib. 2. cap. 16. nu. 9.* tamen si Philip. Probus in *dict. cap. unico. n. 17.* teneat, quotidianas distributiones minimè dandas esse infirmis & ægrotantibus, quibus ex propria eorum culpa morbus evenit.

Octavò, non tantum ægrotis debentur quotidianæ distributiones sed etiam & aliis qui absunt à divinis officiis propter aliquam urgentem causam & necessitatem, vel ob evidentem Ecclesiæ utilitatem: quod expressim statutum est in *decis. cap. unico in 2. ejus parte.* Circa cujus decisionem adjuvanda est ea distinctio, an Canonicus, vel habens Ecclesiasticum beneficium absens sit à loco, vel oppido ipso, in quo Ecclesia est, an præsens. Hoc etenim casu distributiones quotidianæ omnino debentur his, qui vel morbo, aliave necessitate, aut Ecclesiæ utilitate impediti sunt horis adesse canonicis, divinisque officiis interesse: illo verò minimè his debentur, nisi hoc consuetudine fuerit obtentum textus in *cap. cum non doceat. electio in 6.* adjuncta interpretatione textus in *cap. unico. §. 1.* secundum gloss. Joan. Andr. & Doctores ibi, præsertim Dominic. cujus resolutionem sequitur Franc. à Ripa in *tract. de peste, in 2. part. n. 145.*

Nonò hinc deducitur, quod absens à loco beneficii tempore pestis, licet fructus præcipuos & principales percipiat, non tamen habebit quotidianas distributiones, nisi consuetudine obtentum sit, eas absentibus ex justa causa dari, quod in specie respondit Ripa in *dict. 2. part. n. 145.*

Decimò eadem ratione, verus intellectus constat ad id, quod scribit Cald. *consil. 17. tit. de præben.* asseverans, quod Canonicus expulsus à civitate propter seditiones absque ejus culpa à contrariæ factionis hominibus, percipere debet distributiones quotidianas: quem secuti sunt Felin. in *d. cap. cum omnes. n. 22.* & Philip. Probus in *d. cap. unico. n. 22.* Etenim hoc verum est, ubi consuetudo definit, quod absentibus, ex justa causa dentur quotidianæ distributiones.

Undecimò ex his colligitur, Canonicum injustè in carcerem inclusum in eodem oppido, etiam semota consuetudine, percipere posse distributiones quotidianas, & eas ei debitas esse: cum is absque ejus culpa in eodem loco existens, ubi Ecclesia est, impediatur adesse divinis officiis, atque ita in hoc conveniunt omnes, quos ad sequentis illationis probationem citabo.

Duodecimò hinc etiam deducitur, quid dicendum sit in eo, qui ob excommunicationem, qua interdictus est, non adfuit divinis officiis. Nam in quæ excommunicatus, fructus & redditus beneficii, qui durante excommunicatione eidem fuerunt denegati, omnino repetit. gloss. in *cap. super causa. 2. q. 5. gloss. in c. pastoralis. §. verum de appell.* & inibi Abb. Imol. & Doctor. communiter, quemadmodum Decius testatur. Eandem sententiam tenent Domin. in *c. contumaces 50. dist. & Felin. in decis. cap. Apostolica. nu.*

12. Iustè verò excommunicatus, hos fructus & redditus amittit: cum ei iustissimè ob excommunicationem denegentur. gloss. in l. inter quos, damni, ff. de damno infecti. gloss. communiter recepta in d. §. verum. Regia l. 3. r. 9. part. 1. a leò sanè ut, quamvis depositò & suspenso à beneficio propter crimen, ex redditibus beneficij alimenta sint exhibenda, ne is cogatur mendicare gravatus inopia in opprobrium ordinis clericorum, gloss. & Doctores in decis. §. verum. gl. in ver. admiserant. in c. cum Vintoniensis, de elect. Abb. in d. cap. Apostolica, col. 3. & Fel. ibi, n. 9. qui idem intelligit, nisi clericus suspenso fuerit propter contumaciam: tamen excommunicato nihil ex redditibus Ecclesiæ datur, etiam si is egenus & pauper sit, cum possit respiciens à contumacia, tandem ab excommunicatione immunis effici, quod frequentissimo omnium consensu receptum est post gloss. in d. §. verum. Idem erit in eo, qui actu & solemniter depositus sit, & exautoratus militia sacerdotali: nam & hinc minimè exhibenda sunt alimenta ex Ecclesiæ redditibus, auctore Felin. in cap. ex parte, de accusatione. Cæterùm iniquè excommunicatus tunc demum quotidianas distributiones exigere poterit, cum tempore ipso excommunicationis, præsens fuerit in loco, ubi beneficium habebat, eratque solitus divinis officiis ante excommunicationis impedimentum adesse, secundùm Felin. in d. c. Apostolica, n. 12. quamvis Domin. in d. c. contumaces, teneat contrarium: cuius opinio vera est, in eo, qui ante excommunicationem non consueverat divinis officiis adesse. Etenim is nequaquam habebit quotidianas distributiones ejus temporis, quo iniquè fuerit excommunicatus. Obiter tamen illud non præmittam, quòd iustè vel injustè excommunicatus, etsi non possit percipere, nec percipiat redditus beneficii, nec distributiones quotidianas; tenetur tamen horas canonicas privatim & occultè dicere ratione beneficii, gloss. in c. presbyterum, 28. dist. & ibi Doctr. Cardin. in Clement. 1. 6. opposit. de regul. Hieron. Gigas de pensioib. q. 64. Dec. in cap. intelleximus, n. 5. de judic. Abbas & DD. in cap. 2. de cleric. excomm. Joan. de Ligniano in Clement. dignum qu. 3. de celeb. miss. Alber. de Ferrar. in tract. de horis canon. quest. 12. & 13. Et idem est omnino dicendam ratione ordinis sacri in clerico depositò, vel suspenso, aut excommunicato secundùm eòdem, etiam si quis fuerit solemniter & actu degradatus. Sylvest. in verb. degradatio, quest. 8. nam licet depositus & priuatus beneficio non teneatur ratione beneficii horas canonicas dicere, ut explicat Cardin. in §. 1. distincti. 91. artic. 8. tamen ratione ordinis sacri, si quem habet, manet is clericus addictus obligationi has privatim canonicas horas dicendi. Nec eum excusat, quòd redditus Ecclesiasticos non recipiat, cum id ejus culpa contigerit: & per Ecclesiam minimè steterit, quin ipsi redditus eidem clerico beneficium obtinenti darentur. Quod ita post alios explicat Palud. in 4. dist. 15. quest. 5. artic. 1. col. 2. licet contrarium adnotaverit Briardus post Arian. quodlib. quest. 4. proposit. 5. Sic & licet Ecclesiasticum beneficium admodum tenue sit; nihilominus tenetur, qui id obtinet, & accepit, horarium hoc officium etiam privatim dicere. Quod adnotant gloss. ibi communiter recepta in cap. 1. de celeb. miss. ubi textus. Idem probat gloss. apertior in cap. clericus victum. & inibi DD. 91. dist. Card. in Clem. de celeb. miss. Albert. de Ferrar. in tract. de horis can. quest. 8. gloss. in pragmat. sanctim. tit. qualiter hora Canonica sint dicenda. in verb. teneantur. Martin. ab Azpilcueta, quem præceptorem habuisse Salmanticae semper in maximam duxi meae felicitatis pattem, in c. quando de consecr. dist. 1. notab. 7. n. 27. Imò & excommunicatum, qui Ecclesiæ, ac beneficii redditus minimè percipit, teneri ad solutionem pensionis & subsidij, quòd Episcopo, aut Roman. Pontifici charitatis gratia solvendum est, tenet ex-

pressim Hier. Gigas in d. q. 64. & id prænotate videntur Bart. Alber. Ang. & Paul. Cast. in l. inter quos §. damni. ff. de damno infecti. contra gloss. ibi, quòd Bald. sequitur in l. ult. col. 1. C. de bon. auctoris jud. poss. atq; præter eum ejusdem gl. sententiam probat Cuman. ibidem ad hoc inducens textum in c. quia diversitatem, de concess. præb. Quo in loco Panorm. scribit, n. 11. quòd ubi non ipsa culpa, sed pena culpæ est causa proxima & immediata impediti, minimè imputatur ei, qui culpam contraxit. Ad idem optima gloss. in regul. imputari, de regul. juris. in 6. Sic sanè culpa, quæ excommunicationem præcessit, non est immediata causa impediti, quo excommunicatus impeditur fructus Ecclesiæ percipere, & ex is onera subire: sed ipsamet excommunicatio, quæ quidem culpa non est, sed pena culpæ. Unde verior apparet opinio glossæ Cuman. & Abb. quam Bartoli, & aliorum qui contrarium probare conati sunt.

Décimo teriò, illud est omnino considerandum, quòd diligenter examinata ratione constitutionis in decis. cap. unico, de cleric. non resident. in 6. apertissimè deducitur: nempe consuetudinem utcumque legitime inductam, qua obtentum sit, Canonicas distributiones quotidianas debere consequi, si initio celebrationis divinorum officiorum & Canonicarum horarum adfuerint, licet statim à choro & Ecclesiâ exierint, ad alia quidem negotia divertentes: vel esse iniquam, vel fortè intelligendam cum Canonicis ab horis Canonicis & choro discesserint ex aliqua causa quæ licet omnino iusta non sit honestam aliquam occupationem inducat; ita quidem ne temerè ad ortum, forsàn ad illicita, Canonici divertant. Quòd colligo ex Palud. in 4. dist. 16. q. 5. conclus. 9.

Posterior hujus capituli pars in eo statu controversiam habet, an consuetudo efficere valeat, quòd Canonici & alii Ecclesiastica beneficia obtinentes, possint iustè fructus principales, & verè redditus beneficiorum absentes ab eis recipere? & profectò gloss. in c. cum omnes. & cap. ult. de constitut. gloss. in d. cap. unco. & item alia in cap. ult. verbo fructibus. de rescript. in 6. & cap. gratia eod. libr. & in cap. dudum. in 2. de elect. expressi asserunt, posse auctoritate consuetudinis redditus beneficii ab absentibus percipi. Quam quidem opinionem ad eò veram esse censuit Innoc. in cap. ex tua de cleric. non resid. vers. item oportet, ut existimet eam consuetudinem excusare à residentia, & ministerio Ecclesiæ exhibendo etiam per vicarium: siquidem & consuetudo potest inducere, quòd absentes à beneficiis & Ecclesiis, earum redditus percipiant, quamvis nec per vicarios serviant altaris ministerio. Quòd verum est in beneficiis simplicibus, quibus animarum cura non incumbit, modo Ecclesiâ non patiatur defectum in ministerio: tunc etenim consuetudo ista, quæ immunem redderet clericum habentem beneficium, à ministerio etiam per vicarium præstando, nequaquam jure procederet: quippe quæ esset Ecclesiis admodum gravis & & damnosa text. in cap. 1. de consuetud. atque ita in hac specie scribens Host. Abb. Felin. & Dec. in decis. cap. cum omnes. Joan. de Selva in tractat. de benef. 4. part. quest. 2. (illud verò piè & cautè observandum erit, Ecclesiæ dignitatem esse considerandam, ejusque conditionem ac qualitatem, ut rectè judicare possimus, an ex absentia ministrorum patiatur defectum in Divini cultus ministerio, juxta decorem illum, qui eidem Ecclesiæ conveniat, ac debeatur. Video enim hac in re plerosque falli; & vix mihi persuadeo, hanc Innocentij sententiam admittendam fore: præsertim post Tridentinæ Synodi decretum sess. 24. cap. 12. vers. prætereà obtinentib. cum videam tot Canonicos, atque ita dignitatem habentes ab eorum Ecclesiis ita liberè abesse, ut minimè possit eorum absentia decoti & auctoritati Divini cultus non obesse.) Etenim decreto Tridentino omnibus

nibus statutis, constitutionibus & consuetudinibus derogatum est apertissime, quibus liceret Canonicis ab Ecclesia Cathedrali abesse ultra nonaginta dies, & id non alia ratione, quam ut tenerentur novem mensibus residere; sive Ecclesia pariat defectum in ministerio, sive non. Exigit enim ratione officii hanc residentiam sancta Synodus, ut omnes ministri cujuslibet Ecclesie; qui ad ejus ministerium instituti sunt, eidem serviant: cum hæc fuerit planè instituentis voluntas. Quâ ratione omnibus est per idem decretum derogatum consuetudinibus quibus antè obtentum erat, posse Capitula Ecclesiarum Cathedralium permittere, ut ipsis visum fuerit, aliquem Canonicum à servitio & ministerio Ecclesie abesse. Hæ quidem consuetudines ad abusum pertinere videntur, nisi ex causis justis detur licentia abeundi: justis quidem, à jure communi, vel Ecclesiarum validis statutis expressis; aut saltem eisdem similibus. Alioquin si liberè Capitulis est permittendum abeundi licentias concedere, ob quamlibet causam, etiam si ad propria cujusque negotia pertineat, existimabunt Canonici justam: cum de eorum propria re agendum sit. Ut tandem sibi ipsis invicem licentia abeundi concedatur, & frequentissime absque ullo examine, an sit vel vera causa, vel justa. Nam etsi hoc ipsum privilegio competeret, propter abusum esset omnino privilegium ipsum rescindendum, & jus commune in usum revocandum.

Cæterum in sacerdotiis & beneficiis, quibus animarum cura imminet, Joan. Imolensis, prout à quibusdam citatur, in *cap. ult. de rescript. in 6.* censet itidem valere consuetudinem, quæ permittat, absentem operâ vicarii Ecclesie ministrantem, redditus Ecclesiasticos habere, & consequi. Hanc sententiam nec falsam, nec omnino veram esse, audet asserere Decius in *cap. cum omnes.* tamen si eam defendere conetur inibi Andreas ab Exea n. 18. At ipse existimo eam falsam esse secutus Panormit. in *cap. extirpanda. §. quia vero. col. 16. de prebend. Domin. Arch. & Præpolit. in cap. sacerdotibus 31. distinct.* Dominic. in *cap. ult. de rescript. in 6. super gloss. fructibus.* Felin. in *d. cap. omnes. n. 33.* & Selvam *benefic. d. q. 2.* Quibus suffragatur quod Episcopi, alique inferiores Prælati & Pastores jure divino tenentur ad personalem residentiam: cum ex jure divino teneantur pascere gregem sibi commissum. Nam & decimæ dantur Christianis ipsis sacerdotibus; ut ei spiritalia ministrent, & sint in hac Domini vinea operarij digni mercede, *Matthæi & Luca cap. 10.* quod minimè eis convenit, si per vicarios eas operas exhibuerint: ac potius ipsi vicarij erunt operarij, quibus Domini nostri Jesu Christi verbum conveniat. Et præterea personæ industria in his eligitur: quod apertissimum est; quæ igitur fieri potest, ut is cujus ad negotium arduum eligitur industria, alterum substituat? Quibus equidem rationibus, & aliis jure firmioribus probant hanc personalem residentiam jure divino institutam esse, Cajetan. 2. 2. *quest. 185. art. 5.* Joan. Driedo. *de libert. Christ. pag. 204.* omnium diligentissime, eruditione, pietate, Christianisque moribus insignis vir Barth. à Miranda in ea controversia, quam hac de re apud Tridentum habuit: cui adversus Ambrosium Catharinum subscripsit Domin. à Soto, vir omnium censura & judicio in schola Theologica admodum illustris, in *calce ejus operis, cui titulum fecit. de natura & grati. & idem lib. 10. de just. & jur. quest. 3. art. 1. & seq.* (Eandem opinionem sequuntur Hieron. Gigas in *tract. de residentia. c. 2.* Leonardus Venerus, Franc. Torrensis, atque item Francisc. Cordubensis editis hac de controversia tractatibus, & Gentianus Hervetus in *c. 1. 70. distinct.* & probatur à Concilio Meldensi, *cap. 5. apud Ivonem pars. 5. cap. 100.* Probat & eandem

opinionem Francisc. Vargas in *lib. de juris d. axiom. 12.*) Quod si jure divino necessaria est residentia Prælatorum, & aliorum inferiorum Pastorum personalis industria, & opera: non video qua ratione consuetudo valeat ab ea obligatione quemquam immunem reddere, nec excusare. Etenim consuetudo contra jus divinum nullam potestatem habet juxta communem omnium resolutionem in *cap. quanto. de consuetud.* cum legi divinæ consuetudo hominum usu inducta minimè possit derogare. Nec tamen inficior, aliquot ex causis posse Episcopos ac sacerdotes, quibus commissa fuerit animarum cura, quandoque ab Ecclesiis abesse, & à locis, in quibus ipsæ Ecclesie sunt constitutæ. Fateor enim, posse Ecclesie Pastorem justissime excusari à residentia, aliquot casibus deductis ex legis divinæ interpretatione; quæ tandem interpretatio declaret tunc legem divinam minimè obligare Ecclesiarum Prælatos ad residentiam.

Hi verò casus cautissime sunt expendendi, atque ita quidem quod nec legi divinæ, quæ obligationem residentiam induxit, fraus fiat: nec hi Prælati statim damnentur ex eo, quod ab Episcopopatibus & Ecclesiis ob communem Reipublicæ utilitatem, aut Ecclesie propriæ commodum abientes operam dant expediendis negotiis, quæ ita commodè per alios expediri non possunt. (Cæterum hac de re promulgatum fuit Tridenti decretum quoddam sub Pio IV. Pont. Maximo *sess. 23. anno M. D. LXIII.* quo præter alia, illud piè ac sanctissime asseritur, nempe consuetudinem istam, de qua modò disputabamus, quoad Ecclesias Cathedralis, & alias, quibus animarum cura incumbit corruptelam esse: atque a legibus, etsi immemorabilis sit, neminem excusare posse.)

Utrumque tamen sit, illud certissimum est † clericos non residentes in Ecclesiis, quibus præsent, aut in quibus beneficia Ecclesiastica obtinent, teneri omnino ad dicendas preces horarias à Romano Pontifice, & Ecclesia, Prælatisque institutas: alioquin hi tenebantur restituere fructus beneficij, quos perceperunt eo tempore, quo à dicendis precibus Canonicis cessarunt. Quod notant Calder. in *c. 1. de celebr. Miss. Domin. in cap. ult. de rescript. in 6. 1. notab.* quorum opinio verior est secundum Decium in *d. c. cum omnes. 2. lectu. col. 2.* & Hadrian. in *4. sentent. in tract. de restit. in quest. an clericus teneatur restituere, quidquid ultra victum de redditibus beneficii. consumpserit. vers. pro responsione.* Ripam in *l. ult. §. 66. C. de revoc. donation.* probat, Angel. *versic. hora canonica §. 11.* Eandem opinionem censet tutiorem esse gloss. in *pragmat. sanction. tit. qualiter hora canonica sint dicenda, col. 2.* Et licet contrariam sententiam quod non teneantur hi clerici ad fructuum restitutionem, probare conantur Abb. & Cardinal. in *d. cap. 1. Præp. in summa. 44. distinct.* Sylvest. in *verb. clericus. 4. quest. 23.* & Felin. in *cap. postulasti. n. 7. de rescript. post alios, quorum opinio communis est.* Synodus tamen Lateranensis sub Julio II. *sess. 9.* priorem opinionem proprio decreto comprobavit: modò clericus beneficium sex mensibus jam obtinuerit. Hujus Decreti meminere Joan. Bernard. Præsul. Calaguritanus in *pract. crim. cap. 49.* & Martinus ab Azpilcueta in *cap. quando. de consecr. dist. 1. notabil. 7. n. 31.* habeturque canon iste expressim inter acta Concilij Lateranensis, *d. sess. 9.* Quamvis Carolus Molinæus in *consuet. Paris. tit. 1. §. 30. n. 35.* asserat non constare, nec apparere ita statutum fuisse in Lateranensi Synodo, nec id majoribus receptum esse, imò nequam convenire Reipublicæ, quod ita statuatur: ne laqueus injiciatur multitudini. Sed & Domin. Sot. *lib. de justit. & jur. quest. 5. art. 6.* etiam si meminerit Lateranensis Concilij, admonet tamen, non omnino receptum esse hujusmodi decretum: atque

idèd cautè quidem, & secluso rigore ita interpretandum, ut ad omissionem quamlibet horarum, nempe unius aut duorum dierum, fieri non debeat restitutio.

## CAPUT XIV.

Traditur brevis interpretatio l. Invitum, C. de contrah. empt.

## SUMMARI A.

- 1 Exponens publicè res proprias venditioni, cogitur eam justo pretio vendere.
- 2 Meretrix publica, an sit cogenda quemlibet admittere & de violentia ei illata.
- 3 Cogitur quis vendere proprias res, qua ad victum pertinent, quoties Respub. a gravatur annona inopiâ.
- 4 Intellect. l. 2. C. de patrib. qui filios distr. & quonam pacto possit pater filium vendere?
- 5 Intellect. ad text. in c. 1. de empt. quod peregrinis res ad victum necessariae justo pretio vendantur, & an elemosyna sit in præcepto: item & an cogatur quis eam pauperibus exhibere.
- 6 Cives an præferantur exteris in emptione frumenti tempore publice inopis.
- 7 Favore religionis, ad Ecclesiam construendam vel ampliandam, cogitur quis rem propriam vendere justo pretio.
- 8 Favore utilitatis publica, cogendus est privatus res proprias justo pretio vendere.

Regula juris est, ea profectò æquissima, qua definitum extat, neminem invitum cogendum fore propriam rem vendere. l. invitum. C. de contrahend. empt. l. nec emere. C. de jure deliber. l. invitos. C. l. c. l. nec ab initio. C. de nupt. l. dudum. C. de contrahend. empt. Regia l. 3. tit. 5. part. 5. excipiuntur tamen casus quidam quibus cogitur quis vendere justo pretio: quos tradidere gloss. DD. in d. l. invitum gloss. & ibi Aberic. & Jas. in d. l. nec emere. gl. in d. Regia. l. 3. Roman. in l. 2. n. 7. ff. sol. matrim. Matth. de Afflict. in proemio constituit. Neapol. quest. 3. Bald. & Agel. in l. si pendentes §. si quid cloacarii. ff. de usufr. Felin. n. c. 1. ult. noiab. de Judais. Burgens. in cap. 2. col. 5. de emption. & vend. Roman. singul. 777. Anton. R. b. conf. 92. Joan. Igneus in d. l. dudum. n. 78. Arnold. Ferronus in consuet. Burdegalsens. tit. 8. 10 col. Hipp. in l. 1. §. quidam deponere ff. de qu. explicat Andr. Tiraq. lib. 1. de retract. in præf. n. 15. & in §. 3. gloss. 3. n. 1. post gloss. optimam in l. Julian. §. idem Celsus, ff. de action. empt. è quibus aliquot compendio quodam attingam ad hujus questionis cognitionem: illud equidem præfatus, quod, ubi quis etiam ratione utilitatis publicæ cogendus est vendere propriam rem, ea venditio fieri debet justo pretio, quemadmodum ipse probavi lib.

2. hujus operis. cap. 3. n. 5.

Primus sanè casus, quo quis rem propriam vendere cogendus erit, tunc constituitur, cum rem ipsam venalem exposuerit publicè, & ea pertineat ad victum & vestitum hominum, etenim æquum est tunc, ac Reipublicæ conveniens, etiam cessante ejus rei inopia, quod publicus venditor cogatur justo pretio vendere res, quas venditioni exposuit; textus secundùm Abb. & Burg. col. 5. in decis. cap. 1. de empt. Item ubi Bart. Bald. & Doct. in l. 1. cap. de Episc. audi. gloss. in l. non enim. ff. rer. amotar. Hipp. in d. §. quidam deponere. nu. Dyn. & Bart. in d. l. non enim. & licet Jas. in d. nec emere, contrarium notaverit; tamen in his, quæ pertinent ad victum, procedit prior sententia secundùm Alber. in d. l. non enim. post alios hujus opinionis auctores, quorum opinio commu-

nis est: & probatur multis, quæ passim ad exemplum hujus conclusionis adnotantur: præsertim text. in l. providendum. C. de postul. gloss. l. 1. §. ait prator, in verb. habebunt. ff. eod. Quibus expressim traditur advocatos, qui advocacionis officium publicè susceperint, cogendos esse per judicem præstare auxilium, ac operas, & patrocinium litigantibus, modò eis congrua salaria & stipendia ministrantur. Notant idem Fulgos. Bald. Salic. & Paul. Castrens. in l. invitum. C. de procurat. l. nec quidquam. §. Advocatos. ff. de offic. proconf. cap. 1. de offic. jud. Quod si advocatus judici præcipienti hac in re parere noluerit, poterit judex ad certum tempus advocacionis officium ei intercedere. text. in d. l. providendum quem commendat Roman. sing. 259. optimus ad idem text. in l. 1. §. cura carnis ff. de offic. præf. urb. & in l. moris. §. sunt autem, ff. de pœnis. Regia l. 4. §. 5. tit. 19. lib. 2. ordin. Quo fit, ut falsa sit interpretatio gloss. in d. cap. 1. ubi scribit, olim potuisse cogi advocatos litigantibus patrocinium exhibere, quia advocatis salaria publicis expensis præstabantur: at hac ætate id fieri justè non posse, cum à Republica publicum stipendium advocati non habeant. Etenim hæc opinio commenticia est, siquidem olim advocatis non fuere constituta ex publico salaria: sed officio judicis justa merces laboris à litigantibus exigebatur. l. properandum. §. procul dubio. C. de judic. ubi pacto invito inter advocatum & clientulum juxta formam text. in l. 1. §. in honorariis. ff. de var. & extraord. cognit. & ea, quæ traduntur in hujus regni pragmaticis sanctionibus fol. 29. Bart. Jas. in l. sumptus, ff. de pactis. & in l. si qui. C. de postulan. cogitur tandem advocatus præstare operas & patrocinium ad justitiam in Republica adsequendam, quia munus advocacionis publicæ accepit, atque ita praxis apud Regia tribunalia hanc sententiam frequentissimè admittit & probat. Sic caupo, ac stabularius, qui semel id officium suscepit, cogitur hospites recipere. Bartol. in l. 1. ff. furti advers. naut. & in l. 1. ff. naut. caup. stabul. & in d. §. cura carnis. Quem Decius sequitur, alia ad id similia adducens in l. invitum. ff. de regul. jur. addit tamen idem esse in meretrice, quæ si publico lupanari se exhibuerit, & prostituerit, cogenda erit quemcumque ob justam mercedem admittere. Cujus opinioni adstipulatur textus in l. item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de injur. ubi probatur, meretrici non dari actionem injuriarum adversus eum, qui eam causa libidinis interpellaverit. Secundò adducitur text. in l. verum, in 2. & in l. qui injuria ff. de fur. quibus responsis constat, non teneri actione furti eum qui ostium domus meretricis, causa libidinis fregerit, etiamsi ex ea fractione furtum ab aliis fuerit commissum. Tertio, Decio suffragatur gloss. in l. unica. C. de rapt. virg. & in §. item lex Julia. Instit. de public. judic. quæ in specie adnotavi, raptum & vim illatam meretrici non puniri pœnis à jure adversus raptos statutis: quod post alios tradit Hippol. in d. lege unica. numero 19. & in singular. 150. Ego sanè opinionem Decij erroneam esse, & minimè probabilem censeo. Nam licet meretrix publicè meretricium fuerit professâ, cogi non poterit corpus proprium ad coitum invita alicui exhibere, tamen aliis id commune fecerit. Deinde meretrix non tenetur quemquam ad coitum admittere, quod probatissimum est, cum non teneatur mortale crimen cum quolibet committere; ergo consequens est, non posse eam invitam compelli ad coitum, carnalve commercium cum quolibet habendum. Quod adèd certum esse mihi constat, ut ejus latiore probationem minimè necessariam fore existimem. Quin & hanc posteriorem sententiam satis apertè tenuerunt Zas. in summa. ff. ver. rubr. si servi vendicet. Andr. Ifern. & Matth. de Afflict. in cons. Neapolit. rubr. 20. de violentia meretricibus illata, existimantes hi duo, Jurisconsultos à naturali ratione defecisse, cum contrarium responde-

responderint : etenim Iterum de Afflict. certissimum habuere, quod Jurisconsulti impunitam fecerint violentiam causa libidinis meretricibus publicis illatam. Id verò alienum esse à Jurisconsultis ostendam manifestè : si respondero eorum auctoritatibus, quos primò adduximus. Siquidem licet meretrix causa libidinis interpellata & impetita, actione injuriarum agere nequeat, ob vilem meretricis æstimationem, non ex hoc sequitur impunè ei injuriam fieri : nam qui vim ei fecerit, injuriamve intulerit, extra ordinem puniendus erit ; atque ita accipiendum est responsum Jurisconsulti in *decis. §. si quis virgines*, præsertim quia Jurisconsultus tractat de interpellatione meretrici facta libidinis causa ; quæ interpellatio honestis sceminis injuriam irrogaret, non sic meretricibus. Eodem pacto intelligendum erit quod responsum est in *d. l. verum* : etenim qui libidinis causa meretricis ostium frægerit, & ex ea fractione furtum ab aliis commissum fuerit, furti non tenebitur : quia voluntas, & animus delicta distinguunt ; damnum tamen alia ratione cogendus erit meretrici restituere. Bart. in *d. l. verum*, Angel. in *l. numquam plura. ult. col. ff. de privatis delict.* Deci. in *c. nam concupiscentiam. de constitut.* Unde obiter vincitur error Hippol. qui in *d. l. unica num. 34.* levi profectò ratione censet, posse res meretricis ab ea impunè, absque furti vitio & culpa justè auferri. Sic quamvis violentia meretrici illata, vel meretricis raptus non puniatur pœna *Constitutionis unica, C. de rapt. virgin.* eò quod ipsa corpus vulgaverit ; tamen extraordinaria pœna omnino puniendus erit, qui etiam libidinis causa vim meretrici intulerit, eamque invitam cognoverit : quod tenent Bald. in *l. ult. de rerum divis.* & Matthæus. *notabil. 102.* Quamobrem Neapolitana constitutio pœnam mortis puniendos esse statuit eos, qui vim meretricibus fecerint. Ea verò gravis est pœna, tametsi æquissimum sit, ab hac, & similibus injuriis homines arceri.

3 Secundus casus, quo quis † vendere propriam rem cogitur, à publica necessitate & inopia pender, cum etiam quis merces venales non exposuerit, nec eas publicæ venditioni obtulerit, nihilominus ad earum venditionem cogendus est, ubi Respublica annonæ inopia premitur, & equidem justo pretio à Principe vel magistratibus definito, ne quis liberè res necessarias hominum alimentis quocumque pretio, gravissimo quidem, ob rei penuriam vendat. Hoc colligitur ex *l. 1. C. de Episcop. audi.* ut Bartol. & Doctores communiter, Panorm. & alij in *cap. 1. de empr. & vendit.* optimus text. in *l. 2. ff. de nudinis*, & in simili textus in *l. 1. C. ut nemini liceat in empr. speci. lib. 10.* Bartol. in *l. annonam. ff. de extraordinar. crimin.* Luc. de Penna elegantem in *l. 1. C. quib. munerib. nemini liceat se excus. in verb. tempus. Jac. in l. 1. 2. col. ff. de legib. Matth. de Afflict. 3. q. in præmio constit. Neapol. Bald. & Angel. in *d. §. si quid cloacarij.* per text. ibi Felin. in *cap. 1. de Judais gloss. in d. l. 3. tit. 5. part. 5.* Oportet autem hanc rem cautè à magistratibus perpendi, ut tandem hac coactione, & pretij definitione tunc utantur, cum Respublica penuriam & inopiam rerum ad hominum victum & alimenta pertinentium patiantur, itidem præcavenes ne major inopia sequatur, mercibus ab his, qui eas habent, absconditis.*

Quod si quis post definitionem pretij à Republica & ejus magistratibus justè, & ex causa constitutam, merces majori pretio vendiderit ; tenebitur planè in conscientia judicio, id quod ultra pretium definitum accepit, emptori restituere, & in foro exteriori per judicem venditoris cogendus erit id restituere, imò & puniendus est pœna quadam judicantis arbitrio, veluti legis transgressor & contemptor, minimè hac in specie considerata responsione Cæsarum in *l. 2. C. de rescind. vend.* hæc hic locum non habet.

4 Huc pertinet insignis † constitutio in *l. 2. C. de pa-*  
Didaci Covarr. Tom. II.

tribus qui filios dirax. qua permittitur parentibus ob inopiam & egestatem filios vendere ; idem Regia *l. 7. & 8. tit. 17. part. 4.* nec id omnino alienum est à paterna pietate, siquidem *Nehem. cap. 5. Populus fame oppressus*, inquit, *filij nostri, & filia nostra multa sunt nimis : accipiamus pro pretio earum frumentum, & comedamus, & vivamus.* Eademque Cæsarum lex multis comprobari potest, quæ eleganter simul & doctè tradit Andr. Tiraq. *lib. 1. de retract. §. 20. num. 14.* Ex quibus, & aliis, quæ circa interpretationem *dictæ leg. 3.* variis in locis traduntur, aliquot eligere constitui, quo perfectiùs eadem constitutio intelligatur.

Primum etenim controversum est, quid sibi velit dictio, *Sanguinolentos*, in eadem lege expressa : nam Accursius dictionem istam ad patrem referendam esse censet, ut pater sanguinolentus sit, qui filios sine justa causa vendiderit, sanguine, inquam, & capitaliter puniendus. Idem Alber. in *ditionario.* Alij dictionem eandem ad filios referunt : è quibus Alber. in *d. l. 2.* filios sanguinolentos interpretatur, id est, à patre venundatos : quia eorum sanguine alantur parentes : vel quia cor parentum sanguinolentum fiat per famem : vel quia pater vendendo filium eum occidit servili quidem conditione, quæ morti similis est. Azo autem & Petrus Perticensis in *rubr. C. de infantibus exposit.* filios sanguinolentos esse censent eos, qui à parentibus exponuntur : quia parentes sint sanguine, & capitaliter puniendi. At Cynus, & Salicet. in *d. l. 1.* quasi Accursij interpretatio minimè conveniens sit, eò quod lex ipsa tractet de parentibus, qui justè & lege permitte vendunt filios ; patrem sanguinolentum inibi ob id dictum fuisse existimant, quod sanguis contradicat necessitati famis, quæ venditioni causam dat. Ceterum Alciat. *lib. 2. de verbor. sign. f. col. 48.* & Tiraquell. *d. num. 14.* has interpretationes commentitias esse opinati, arbitrantur in *l. 2.* filios dici sanguinolentos, id est, infantes recens natos, & adhuc sanguine menstruo madentes, idque probant ex Rubrica, cui, *Codicis lib. 8. titulus est, de infantibus expositis liberis, & servis : & de his, qui sanguinolentos nutriendos acceperint.* Huic convenit in Cod. Theodosiano *l. 5. tit. 7. l. 1.* quæ hos sanguinolentos appellat recens natos, de expositis agens. Sic & in *ead. lib. 5. tit. 8.* titulus est, *de his, qui sanguinolentos emptos vel nutriendos acceperint.* Qui duo tituli, ut dixi, in Justiniani Codice unica Rubrica continentur. Tandem in Theodosiano Cod. *l. tit. 9. est l. 1.* quæ ita inquit ; *Si quis à sanguine, quæ nupiam ejusmodi comparaverit.* &c. Ejus item interpretes inquit, *Si quis à sanguine emerit.* Ex quibus manifestum sit, inibi dici sanguinolentos infantes natos sic & Juvenalis *Satyra 7.* infantem à matre rubentem appellat ob recentem partum. Interpres autem Codicis Theodosiani, quia id à perisque ignoratur, fuit Anianus, auctore Tiraquello in *l. si unquam. C. de revocand. donation. in verbo, liberis, n. 32.* Quod & mihi compertum est ex interpretationibus ipsius Codicis, quæ separatim abique ipsis Theodosij constitutionibus fuere apud Germanos typis excusæ per Theodoricum Alustrensem anno M. D. XVII. quarum initio & limine adscripta est auctoritas Decretalis Alarici Regis Gothorum, cujus præceptio Anianus ipse vir spectabilis, è legibus Codicis Theodosiani, & ex libris sententiarum Pauli & Caij Jurisconsultorum, & quibusdam Cæsarum Novellis, librum illum interpretationum segregatim edidit. Eadem Alarici Regis præfatio extat in initio Codic. Theodosiani, quem nuper integrum ex decem & sex libris typis tradidit Joannes Tilius Engolismensis, omissis Pauli & Caij sententiis, & Aniani interpretationibus, quem quidem librum, non ipsum integrum Theodosij Codicem, opinabatur

olim habuisse Gratianum, qui dum ex Theodosiano Codice, aureo Decretorum libro legem aliquam interferere profiteretur, non ipsam Theodosij legem, sed Aniani interpretationem refert & scribit. Quod ex variis Decretorum locis constat, præsertim in cap. *judex criminofum*. 2. *quæst.* 1. quo in loco omiffa eleganti Constantini Cælaris constitutione Gratianus summam Aniani retulit. Sic & in cap. *quoties potest auditam causam*. 2. *quæst.* 6. ex eodem libro Codicis Theodosiani. tit. *penult. sententiarum Pauli Jurisc.* simul interpretationem Aniani, veluti Pauli sententiam & ejus verba, interferit idem Gratianus, apud quem dum legitur, *sequende audientie*, legendum est, *secunde audientie*, item dum legitur, *possessiones*, scribendum erit, *pensiones*. Idem actum est in eadem *quæstion.* 6. cap. *propter*, cum quatuor proximis capitibus, quæ transcripta fuere à Cod. Theodosiano, lib. 5. tit. 35. & sequ. *sententiar. Pauli*. Quod si Gratianus integrum Theodosij Codicem habuit, & Pauli sententiarum libros (quod fortassis magis credendum est ex c. *ab eo*. 2. *quæst.* ubi Pauli simul & Aniani verba traduntur) non video qua ratione vit diligentissimus Aniani glossemata ipsis Cæsarum legibus prætulit. Forsan ea culpa non Gratiano; sed Jvoni Carnotensi adscribenda est, qui ante Gratianum eadem Aniani interpretationes Decretis admiscuit. Aliquot etenim ex hoc errores apud Gratianum notat diligenter Anton. August. lib. 1. *emendat.* c. 8. qui probat, Gratianum etiam in hoc errasse, quod falsò Pauli sententiarum libros titulo & nomine Theodosiani Codicis citat. Ejus erroris ea causa est quod frequentissimè Codici Theodosiano publicè accesserint Pauli & Caij sententiarum libri. Qua ratione & nos libros sententiarum Pauli ex Codice Theodosiano quandoque citamus. Pauli verò, & Caij sententiis uti licet ad interpretationem & cognitionem antiquitatis; tamen si Justinianus lib. 1. C. *de veter. jur. enuc.* prohibuerit, his libris uti ad Digestorum emendationem. Sed & de Aniani interpretationibus lector poterit aliquot adnotare quæ scripserit Jacob. Cujacius in *epistola Pauli sententiis præmissa*, & Brissonius *de jure Connubiorum*, pagin. 63. Ad sanguinolentos rediens, non improbo Alciati & Tiraquelli sententiam, sed nec omnino damno eam lectionem, quam in d. l. 2. pater coactus fame filios vendens, sanguinolentus significatur. Nam licet hæc venditio ratione quadam speciali licita generalibus tamen naturæ legibus sanguinolentam parentum impietatem ostendit. Nec inficior, ita licere parentibus filios adultos jam, non tantum recens natos, ut sanguinolentos infantes, vendere; eadem siquidem omnino ratio est in his omnibus, nempe dira ipsa fames. Sed & olim lege Romuli, jure patriæ potestatis, poterat pater, etiam nullainopia coactus, filium ter vendere, si fortè à primo & secundo emptore fuisset manumissus.

Secundò, ad l. 2. non tantum in venditione, sed & in pignoris datione admittenda est: poterit enim pater fame oppressus filios pignori ex ea causa dare etiam invitos, gloss. communiter recepta in d. l. 2. Regia l. 7. & 8. tit. 17. part. 4. item l. 3. & l. 7. tit. 13. part. 5. Bald. in l. *in suis*. ff. *de liber. & posthum.*

Tertio etiam si liceat patri filium pignori dare, & vendere ob famis necessitatem: non tamen id patri licebit ob aliam utcumque similem causam, quod Accurs. censet in d. l. 2. Dynus in argum. *de reg. jur.* in 6. Alciati. post alios in d. l. *de verb. signific.* col. 40. ex hoc asseverans, non licere patri, etiam Principi filium invitum obfidem hosti dare, etiam ut se redimat.

Quartò, quod in d. leg. 2. statutum est, minimè procedit in filio clerico; hunc etenim pater vendere non potest, si sit in sacris filius hic constitutus, secundum Host. Joan. And. & communem in c. *indecorum*. de

*at. & qualitat.* Hippol. *singul.* 101. Gerard. à Petra in *singul. ult.*

Quintò, ad *ejusdem leg.* 2. interpretationem est animadvertendum, quod filius à patre venditus urgente dira fame, poterit cogere ipsum patrem, ut eum redimat & liberet, si pater feliciorum nactus fuerit fortunam. Hoc sanè deducitur à ratione d. l. 2. & in specie idem adnotarunt Bald. in cap. *ex rescript. de jurejur.* Felin. in cap. *cum d. lecta: de rescript. vers. octavo fallit.* & Hippolyt. in l. *unica*, C. *de rapt. virgin.* n. 23. probat text. in cap. *quod pro necessitate*. l. 9. l. Dec. in *regul. qua propter*. ff. *de reg. jur.* Præter hæc tamen extat Cælarum constitutio in l. 1. C. *de patrio. qui fil. distrax.* qua prohibitum est parentibus filios vendere, aut pignoris jure, donationisve titulo in alium transferre; tamen si Romulus olim legem tulerat, qua licebat patri filium vendere, etiam ter, si fortè à primo emptore & secundo fuisset manumissus: quemadmodum auctor est Dionys. Halicarn. Hanc verò legem Numa Pompilius teste Plutarcho paululum mitigavit, statim enim filium, cui pater uxorem dedisset, vendi non posse. Hinc adhuc constat vis illa maxima patriæ potestatis apud veteres: cujus meminit Jurisconsultus in l. *in suis*. ff. *de liber. & posthum.* Denique hæc adduximus, ut comprobaremus æquissimè quem cogi rem propriam vendere ob imminentem penuriam annonæ & mercium, & sic ob necessitatem cujus ratione multa in jure permittuntur, & licet quæ Doctores adnotarunt in cap. *si quis. de furt.* ubi textus elegans: Roman. in §. *de viro*. 54. *fallent.* ff. *solut. matrimonio*. Jal. in l. *principalibus*. ff. *si certum petat.* Felin. in cap. *querelam. de jurejurand.* Hippol. in l. 1. §. *præterea*. ff. *de q. n.* 116. & denique plures relati per Tiraquell. d. §. 26. lib. 1. *de retract.* gloss. 1. n. 18: Sed his omnibus opportunè addidero, hac de causa cogendos fore divites eleemosynam † pauperibus erogare, etiam coactione judicis exterioris, & in foro judiciali; in casibus quibus quis eleemosynam facere tenetur jure divino & naturali, modò hæc coactio judicis officio fiat, non jure actionis, glossa in c. *sicut in verb. esurientem*. 47. *dist.* ita intellecta à juris utriusque professoribus, præsertim Panorm. in c. *cum causam. de electio. col. ult.* Anani. in d. c. *si quis propter necessitatem. colum. fin. de furt.* Felin. in d. cap. 1. col. ult. 1. *dist.* Abb. & ibi Anton. Bugens. qui tumiles allegat c. 1. *de emptio*. Est namque similis gloss. in c. *domino sancto. in verb. necessitate*. 50. *dist.* & in cap. *exigunt*. 1. *quæst.* 7. Alber. idem notat in *dictione. eleemosyna*. Specular. *tit. de instrument. edit.* §. *nunc aliqua*, n. 66. Felin. in cap. 1. *offic. judic.* & in cap. *si qui restium, de restib.* Carolo Molinæo *de contract.* 9. 2. n. 73. & 74. Etenim quoties quis tenetur eleemosynam erogare, id contingit ex legali debito, auctore S. Thom. 2. 2. q. 118. art. 4. ad 2. igitur compelli poterit dives officio judicis & magistratus pauperibus distribuere, quæ ratione justitiæ ad commune bonum pertinentis, pauperibus elargiri tenebatur; cum ea retinens, & dare recusans omnino violet justitiam ipsam, quæ ad communem utilitatem ipsum debitorem constituit. Quod pulchrè docet Cajetan. d. art. 4. & Dominic. à Soto *deliberationis in causa pauperum*. c. 4. ratio. 2. Unde gloss. in d. c. 1. *de empt.* quæ de admonitione hac in se loquitur, ad coactionem erit trahenda & deducenda, quoties contigerit casus, in quo quis sub mortalis peccati culpa teneatur eleemosynam facere. Hoc sanè duabus tantum conclusionibus exponemus. Prima conclusio: tenetur quis sub mortali peccato, existenti in extrema necessitate eleemosynam exhibere, etiam ex bonis, quæ ei necessaria sunt ad statum, quem habet, modo ipse his non indigeat ad naturalem & propriam necessitatem sublevandam. Hæc probatur in cap. *pasce famem morientem*. 86. *dist.* & præterea quia illa extrema proximorum & privatorum necessitas præfer-



tar necessitati, quam alter habet pro suo statu & conditione sustinendis; ergo dives existenti in extrema necessitate tenetur largiri ea, quæ ei necessaria non sunt secundum naturam, quamvis pro ejus statu eis itidem indigeat. Deinde extrema necessitas pauperis facit bona divitum communia esse *d. cap. si quis propter necessitatem*. consequens igitur fit, quod dives teneatur bona illa communia pauperibus distribuere ad commune bonum: quod quidem in hunc finem tendit, ut arbitrio boni & discreti viri majoribus necessitatibus occurratur. Huic opinioni eam probantes accessere Durandus in 4. sent. dist. 15. q. 6. & ibi D. Thomas q. 2. art. 1. ad 4. quest. & Palud. quest. 3. art. 2. Joan. Major. ibi, qu. 6. vers. circa tertiam conclusionem. Cardin. à Turre Cremata in cap. sing. n. 6. 86. dist. Conrad. de contract. q. 19. concl. 3. Sylvest. in verb. elemosyna. §. 1. & 1. quest. Almain. in Vespertina. conclus. 1. corollar. 4. (Et in aurea Rosa. q. impertinenti, cas. 57. Abulensis in Matt. c. 6. q. 34. & 55.) idem sentit D. Thom. 2. 2. q. 118. art. 4. ad 2. ubi scribit ex debito legali teneri quem ad elemosynam altero ex duobus casibus, vel propter extremam alterius necessitatem, vel quod sibi superfluant bona, repetit ipse D. Thom. 2. 2. qu. 32. art. 6. dum à regula per eum proposita, quod elemosyna non sit ex præcepto quoad bona necessaria pro cujusque statu & dignitate, excipit casum extremæ necessitatis. Eandem sententiam veriorum ac magis receptam esse opinatur Joan. à Medina in tract. de elemosyna. cap. de necess. dandi elemosynam. Idem sentit Cajet. d. art. 6. (& planè fatetur eam secutus, post hujus operis unam & alteram editionem Anton. à Corduba, lib. 1. Quest. quest. 26.) tamen contrariam sententiam conentor probare, & veram esse contendam idem Cajet. in summa. verb. elemosyna. Florent. 2. part. tit. 2. cap. 24. §. 5. Abb. in cap. si vero. col. penul. de jurejur. quibus ad stipulantur, ut quibusdam visum est, ipsius D. Thomæ scripta in d. quest. 32. art. 5. & 6. quorum sensum eruditissimè explicat idem Cajetan. in opusculo de præcepto elemosyna, priorem sententiam omninò secutus. Unde ex his inferuntur duo, quorum alterum nullam habet controversiam. Primum, præceptam fuisse à Deo elemosynam erga patientes extremam necessitatem ex bonis, quæ ultra naturæ & status necessitatem alicui superfluant, atque hoc præceptum sub mortalis culpæ reatu institutum esse. Secundum, etsi dubium sit, deducitur tamen elemosynam præceptum esse sub mortali crimine in casu extremæ necessitatis etiam ex bonis quæ ad statum cujusque necessaria sunt: modò ea superflua his quæ ad naturalem necessitatem sublevandam requiruntur. Secunda conclusio: tenetur quis ex præcepto non solum extremè indigentibus, sed & aliis pauperibus penuria & egestate oppressis elemosynam facere ex his, quæ pro suo statu abundantius habet; alioquin mortalis peccati reus erit, hoc probatur ex eo, quod juxta verba Domini Luca cap. 3. jubetur quis absque ulla mentione extremæ necessitatis, si habeat duas tunicas, unam non habenti dare, & bona sua cum pauperibus communicare, quo se à gehenna ignis liberum asserat. Etenim satis est ad elemosynæ præceptum alterum ex duobus, vel extrema necessitas accipientis, vel abundantia bonorum ultra status necessitatem quoad ipsum dantem. Quamobrem hanc opinionem tenuerunt S. Thom. in 4. sentent. d. art. 1. ad 4. quest. in 2. 2. decis. quest. 118. art. 4. Richard & Paludan. in 4. dist. 15. q. 3. Cardin. à Turre Cremata in d. cap. in singulis, n. 6. conclus. 5. Sylvest. in d. q. 1. Felin. in cap. 1. ad fin. 1. dist. Latius & elegantèr Cajetan. in d. tract. de elemosyna, ubi magnis rationibus contendit, hanc sententiam ubique deduci à verbis D. Thomæ. Idem adnotavit Dominicus à Soto, in causa peregrin. cap. 8. Et licet contrarium visum fuerit Alexand. Halens. 4. part. q. 113.

Getsoni part. 2. alphabet. 32. lit. O. Panormitano d. cap. si vero. Gabrieli, & Majori, in 4. sent. distinct. 15. quest. 7. Cajetan. in tract. de indulgent. quest. 3. qui censent extra necessitatem extremam nullum esse præceptum obligationis ad mortale crimen de danda elemosyna, etiam si quis habeat bona minimè sibi necessaria pro suo statu & dignitate. Sic & Durand. d. quest. 6. Florent. d. c. 24. §. 4. & Conradus dist. quest. 19. conclus. 6. non audient nec priori, nec huic posteriori sententiæ accedere, existimantes probabile esse utrumque, non tamen certum; nihilominus tutior est D. Thomæ & sequacium opinio; saltem ubi contigerit gravis & maxima necessitas, etiam si ea extrema non sit, nec itidem communis: ita quidem, data communi necessitate; inopia; quæ maxima non sit, nec extrema, erit locus opinioni Alexandri Halens. & eorum qui ipsam sequuntur: at si inopia & egestas gravis sit ac maxima, paulò quidem minor quàm extrema, tunc admittendum est, quod priorem partem secuti adnotavere, sicuti censet Joan. à Medina in d. cap. 1. de necessitate dandi elemosynam.

Utumque res se habeat, quantum ad coactionem exterioris judicis officio incumbentem, & ab eo peragendam, arbitror ipse tunc ei locum fore, cum adsit extrema pauperum necessitas, & inopia, habeantque divites bona sibi præter naturæ, status ac dignitatis necessitatem superflua, quod omninò considerandum.

Huius tandem publicæ pietatis ratione statutum est, quod eodem pretio merces & res victui necessariae peregrinis & hospitibus exteris vendantur, quò publicè incolis vendi solent; idque munus, ac huius sollicitudinis cura Episcopis, iudicibusque Ecclesiasticis delegatur & committitur à jure ipso, text. est in c. 1. de emp. & vend. ubi Cardin. & alij text. in l. 1. c. de Episcop. audien. quo probatur, eandem curam Episcopis incumbere, ut diligenter caveant, ne & ipsis incolis res ad victum necessariae carius quàm æquum sit, vendantur. Nam etsi mihi compertum sit id munus etiam ad seculares judices pertinere. l. 1. §. cura carnis. ff. de officio præfect. urb. jure tamen, ob pietatis causam, idem Ecclesiasticis iudicibus commissum est: quemadmodum simili, & ferè eadem ratione iudex Ecclesiasticus potest punire laicum qui merces mistas alia cum specie, ignorante emptore, vendiderit, auctore Panormit. quem Burgensis ibi sequitur in d. cap. 1. de empione. Quod & Roman. scripsit in singul. 526. Imò consuetudo, utrumque sit legitimo tempore inducta, minimè valebit hanc commissionem, julque istud seculares ob hanc causam puniendi, à iudice Ecclesiastico tollere, quasi ea sit in perniciem Reipublicæ, sicuti frequentissimo omnium consensu adnotatur in d. cap. 1. maxime per Hostiens. Joan. Andr. Cardinal. Abb. & Barb. quorum opinio communis est, teste Nicolao Boerio decis. 69. n. 21. qui testatur in regno Franciæ contrarium omnino servari ex generali consuetudine, quæ curata istam iudicibus tantum secularibus detulit, abrogata Episcoporum & Iudicum Ecclesiasticorum in hac parte jurisdictione. Quam consuetudinem validam esse tenuit gloss. in d. cap. 1. cujus opinio mihi verissima videtur, cum hæc jurisdictio, quæ Episcopis jure humano competebar, contraria lege humana, atque itidem consuetudine tolli possit. Nec ulla ex hoc constat iniquitas, nec Reipubl. ulla imminet perniciēs, nec tandem quicquam irrationabile hinc oritur, modo magistratus seculares solerti cura & diligentia huic negotio incumbant ac intendant. Hoc autem apud Hispanos obtentum est, legibusque Regiis satis huic malo medetur urbiumque Prætores & decuriones non oscitantèr earum pœnas exequuntur, minimè consentientes hanc curam à iudicibus Ecclesiasticis impendi.

Ab eisdem publicæ inopiæ causa, rursus deducitur ratio ejus : quod Bartoli quandam sententiam inducentes prædicti sæpissimè in judicium deducunt ; nempe quòd tempore , quo adest annonæ caritas & publica inopia, cogendi sunt ¶ cives frumentum ex agris illius civitatis collectum, civibus & oppidanis vendere potius quàm exteris, justo tamen pretio, saltem eo, quod ab exteris in conventionem deductum fuerit, si jam emptio præcesserit : etenim secundum eos poterunt cives hoc frumentum jam exteris venditum eodem pretio accipere invitis emptoribus & venditoribus : allegatur ad hoc text. in l. 1. C. de metallariis, lib. 11. quo in loco Bart. primus omnium, & deinde Angelus, Platea, & Lucas de Penna adnotarunt colonum volentem vendere fructus, quos ex agro conducto sibi perceperit, cogendum esse eos vendere domino fundi potius quàm alteri, justo quidem pretio ; atque ita dominum fundi locatorem jus prælationis habere in emendis fructibus à re locata perceptis, idem quoque tenent Roman, in l. 2. num. 7. ff. solut. matrim. Jason in l. ult. num. 11. C. de jure emphyt. Matth. de Afflict. in præmio constituit. Neapol. q. 3. ad fin. Felin. in c. 1. de juda. Anton. Burchens. in c. 1. de emptione, num. 18. Andr. Tiraquell. in lib. 1. de retractu §. 1. gloss. 18. num. 2. quorum opinio communis est. Cæterum quo rem istam facilius expediam, primum admonendum esse opinor, opinionem Bartol. etsi receptissima sit, falsam omnino esse, nec jure probari : regulariter etenim nemo cogendus est uni potius quàm alteri vendere. l. dudum. C. de contrahend. emptio. nec Bartoli opinionem probat text. in d. l. 1. C. de metallar. quippe qui in metallis, & in fisco obtineat speciali quodam favore fisci & metallorum, ut ea penes Principem sint, non penes privatos. Ea igitur ratione metallarum à Principe obtinentes jus fodiendi metalla, & ea expurgandi, coguntur metalla justo pretio Principi vendere : eam autem constitutionem ad privatos deducere, ut coloni cogantur domino fundi, fructus ex fundo causa conductionis perceptos vendere, durum est, ab omni ratione prorsus alienum. Nam etsi emphyteuta ipsius rei meliorationes vendere voluerit, tunc cogendus est domino eas vendere, modò is solvat tantum pretium, quantum ab extraneo detur. text. in l. ult. C. de jure emphyteut. quòd si id speciale est in re emphyteutica, & in meliorationibus ejusdem rei, profectò non idem obtinebit in fructibus ab eadem re perceptis, quos colonus ipse, aut emphyteuta liberè poterunt cui voluerint vendere : quamobrem mihi, nisi aliunde id probatum fuerit, satis compertum est, dominum fundi locati non habere jure dominij prælationem in emptione fructuum ab eodem fundo perceptorum, nec quidquam refert, quòd colonus partiarus sit : & l. Regia 55. tit. 5. part. 5. & l. 74. & 75. Tauri. (hodie l. 13. & 14. tit. 11. lib. 5. Recopil.) permittant socio jus retractus, cum alter socius partem propriam venderit ; nam id obtinet in re communi pro indiviso : secus etenim, ubi res est communis, divisis tamen & signatis partibus : nam eo casu non est locus prælationi nec retractui ; legito tamen Capycium de-  
ois. Neapol. 421.

Secundò, etiamsi Bartoli opinio admittenda sit (quod negamus) ita erit intelligenda, ut tantum pretium dominus fundi teneatur pro fructibus dare, quantum ab alio reperitur, quamvis id justum excedat. textus optimus in l. ultim. C. de jure emphyteut. ubi Salicet, & Jason vers. septimo principaliter. Oldrad. cons. 4. probat idem text. in cap. potuit. de locat. & in l. penult. & ult. C. de locat. prædior. civit. lib. 11. Bartol. in l. cotem. §. agricul. ff. de publica. Joan. Andr. in speculo. tit. de empt. §. nunc dicendum, in 2. vers. sed pone statum. Andr. Tiraquell. d. §. 1. gloss. 18. n. 4. & in hac specie Matth. de Afflict. dist. quest. 3. Nec contrarium

ex Bartolo in d. l. 1. commode deduci potest : quia dum is præmittit justo pretio colonum cogendum esse vendere domino potius, quàm aliis, planè intelligit, justum pretium ab aliis dari ; & ideo non negat, venditionem fieri debere eo pretio, quod ab aliis datur vel recipitur, si id justum excedat. Etenim quamvis pretium justum semper in his commutationibus observandum sit, regulariter tamen humana lex non rescindit contractum, nec eum impedit, in quo pretium intra dimidiam justij pretij limites excedat legem justitiæ communitativæ, l. 2. Cod. de rescind. vendis.

Tertiò mihi probatissimum est, quòd, ubi Respublica inopia & penuria annonæ gravatur, possint habentes frumentum omnino cogi id civibus potius, quàm exteris vendere, ad inopiam & egestatem sublevandam, atque ita præferendos esse cives, oppidanos, ipsasque urbes exteris in emptione frumenti collecti ex agris ipsarum urbium. Quod probatur primò, quia ex causa publicæ inopiæ cogitur quis rem propriam justo pretio vendere, quemadmodum paulò ante dicebamus : magistratus autem cuilibet provinciæ præfectus potius ejus provinciæ quàm alterius curam habere debet, sicuti manifestum est : igitur cives compelli poterunt frumentum tempore publicæ necessitatis in foro publico exhibere, & vendere ipsis oppidanis potius quàm exteris.

Deinde hoc constat charitatis ordine, quo plus tenetur quis ac prius subvenire, quibus sanguine aut alia necessitudine conjungitur, teste D. Paulo ad Galatas c. 6. Dum tempus, inquit, habemus, operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Consequitur ergo, tempore necessitatis habentem frumentum, teneri quidem id potius civibus, cum quibus ei est communis patria, subvenire & vendere, quàm exteris. Præsertim quòd tenetur quis patriæ oppressæ fame, aliove malo, totis viribus operem ferre potius, quàm alteri civitati, cum patriæ plurimum debeat. His accedit Canon quintus Turonensis Concilij sub Pelagio I. in hæc verba : Ut unaquaque civitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires, ut tam vicini presbyteri, quàm cives omnes suum pauperem pascant : quo fiet, ut ipsi pauperes per civitates alienas non fatigentur. Quibus equidem verbis constat, primum subveniendum esse pauperibus ejus civitatis & Reipublicæ, in qua quisque educatus institutusque fuerit, deinde exteris. Postremò nemo unquam dubitare poterit, omnibus provinciæ civitatibus inopia & penuria laborantibus, quoad uniuscujusque famem sublevandam, æquissimum esse, & rationi consentaneum, quòd frumentum ex unius urbis agris collectum primum eidem urbi distribuatur ad alendos cives, qui agros illos colere, & colunt, ipsius civitatis onera subeunt, eamque defendunt ac tutantur. Ex quibus quòd in praxi hæctenus obtinuit, satis jure & ratione defenditur : quamvis id nequaquam probetur in d. l. 1. C. de metallar. cum ea speciale fisci privilegium contineat in metallis, nec ad ejus rationem sit necessaria publica penuria, nec inopia ; multo minus probatur ex Bartoli adnotatione, siquidem ea falsa est, quòd jam ostendimus, & si vera esset obtineret in domino fundi erga colonum : at civitas domina non est agrorum eo sensu, ut ab ea coloni eos acceperint.

Quartò præmissa hac sententia, quæ diximus in praxi obtinuisse, non est præmittendum eam tunc obtinere, cum civitas ipsa, apud quam frumentum extat à propriis agris collectum, statim, vel paulò post venditionem cum exteris conventam, intra breve tempus boni viri arbitrio, jure prælationis frumentum ipsum velit emere, ac de emptione ipsa contestetur. Etenim tunc præferendi sunt cives exteris dato eodem pretio, quòd exteri constituerant. At si cives hoc jure prælationis ex intervallo, post venditionem pri-

Primam, uti veint ob annonæ inopiam, opinor cives fore admittendos, & exteris præferendos, modò pretium eo tempore justum communi hominum æstimatione, exteris solvendum offerant, etiam si id sit majus, quam quod exteri pro frumento dederant; apparet etenim tunc ejusdem pretij quod primò datum est, rationem habendam esse, cum intra breve tempus, aut aliud à lege hac in specie definitum, jure prælationis à primo emptore res empta retrahitur: nam eo casu emptor secundus, qui præfertur primo, ejus locum obtinet; & ideo pretium ab eo solvitur solvere tenetur, ac satis est, quòd id solvatur: siquidem non est hæc posterior emptio à priori distincta, sed tantum loco prioris emptoris alter jure prælationis substituitur.

Quòd si ex intervallo, aliqua speciali causa, emptor alteri vendere rem emptam cogatur, quemadmodum in hac specie quam tractamus statutum est jure publicæ utilitatis, tunc solvendum est justum pretium, & communis æstimatio debetur: non autem id tantum pretium, quo res empta fuerit. Quia hæc emptio posterior à priori distinguitur, quandoquidem jus prælationis vel statim post primam venditionem, aut intra modicum tempus arbitrio boni viri admittendum est, nisi aliud à lege fuerit definitum; & ideo ex intervallo ratione publicæ utilitatis cogitur exteris emptor civibus vendere ad eorum solvendam inopiam, ne frumentum ex ejusdem civitatis territorio & agris collectum, pereuntibus fame civibus, in exterorum alimenta à provincia extrahatur. Hæc igitur venditio est à priori distincta: atque ea ratione fieri debet justo pretio juxta tempus, quo ipsa posterior venditio fit. Quod colligitur ex Franc. de Ripa in l. 1. col. ult. ff. de priv. credit. Hactenus de secundo casu, quo quis propriam rem vendere cogitur.

Est & tertius casus, quo quis vendere omnino compellitur propriam agrum domumve favore religionis; cum ea sit necessaria ad constructionem vel ampliationem alicujus monasterij, nam tunc dominus ipsius domus cogitur eam vendere propter publicam utilitatem, quæ ex religionis favore constat. leg. 1. ff. de justitia & jure. §. hujus studij. Huic sententiæ adimplatur primò text. in l. locum. ff. de usufruct. Sed interdum, inquit Ulpian. & solus proprietatis dominus locum religiosum facere potest. Finge enim eum testatorem inferre, cum non esset tam opportunè ubi sepeliretur. Hactenus Jurisconsultus, apertè insinuans favore religionis, absque consensu usufructuarius, posse, & cum ejus damno, locum religiosum fieri: ergo ejusdem religionis favore, soluto justo pretio, poterit domus privata ab aliquo invito auferri, ut monasterium ædificetur, aut jam ædificatum amplietur. Secundò idem probatur in l. 2. §. si usufructum. ff. de religiosis, & sumptibus funer. ubi idem Ulpian. eandem sententiam repetit, & explicat. Tertio ad idem plurimum facit textus in d. l. 2. §. locum qui huc tēdit, quòd absque consensu habentis in fundo servitutem, & eo invito locus effici poterit religiosus. Quarto idem constat ex l. si quis sepulchrum, in princ. ff. de religiosis, & sumptibus funer. Si quis sepulchrum, inquit Jurisconsult. habeat, viam autem ad sepulchrum non habeat, & à vicino ire prohibeatur, Imperator Antonius cum parte rescripsit, iter ad sepulchrum, peti precario & concedi solere, ut, quoties non debetur, impetretur ab eo qui fundum adjunctum habet. Preses etiam compellere debet justo pretio iter ei præstari: ita tamen, ut iudex etiam de opportunitate loci prospiciat, nec vicinus magnum patiatur detrimentum. Hæc Jurisc. Quintò eadem opinio fundamentum habet à l. 1. C. de commun. servo manumisso, qua cautum est, favore libertatis cogendum esse quemlibet, partem quam habet in servo vendere. Ex quo textu Baldus ibi ad finem adnotavit, testatore jubente Ecclesiam construi in loco communi, so-

Disiaci Covarr. Tom. II.

cium cogendum esse justo pretio partem vendere: sequitur Bald. Felin. in c. 1. de Judais. Jason in l. nec emere. C. jure deliber. Quibus sanè fit, ut frequentissimo omnium consensu receptum sit dominium agri, vel domus cogendum fore eam vendere justo pretio favore religionis, ut Ecclesia vel monasterium in ea domo construatur, aut jam constructum ex ea amplietur; quam opinionem expressim tenuerunt Bald. & Angel. in c. 1. ff. solut. matrim. Florian. in d. l. si quis sepulchrum. & in d. §. locum. Felin. in cap. omnes. penult. col. 1. dist. Batt. Capola tit. de servitut. urbanor. prædior. c. 82. de sepulchro, asseverans ita seipsum obtinuisse Veronæ. idem Math. de Afflictis in præmio constitution. Neapolit. q. 3. n. 10. dicens sic pronunciatum fuisse in prætorio Regis Neapolit. in favorem monasterij D. Hieronymi, idem ante alios probavit & obtinuit Guliel. de Cuneo in l. decernimus. C. de Episcopis & clericis. Sextò eandem sententiam confirmat text. in l. si locus. §. cum via publica. ff. quemadmodum servitus amitt. Cum via, inquit, publica, vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, vicinus proximus viam præstare debet. Cujus responso freti omnes Doctores passim scribunt, cogendum fore quempiam rem propriam vendere, cum ea ad publicam & utilitatem necessaria fuerit. optim. text. in l. 2. §. sunt qui putant. ff. ne quid in loco publico. Alberic. & Jason in d. l. nec emere. Hippolyt. in d. §. quidam deponere. Fabian. in tractatu de emptionibus, 1. parte. 3. q. 9. vers. decimonono. Anton. Ruben. in d. conf. 92. & ferè omnes, quorum memini prima hujus capituli pagina; idque etiam non soluto pretio, nec titulo emptionis, sed jure publicæ utilitatis in specie viæ publicæ permissum esse, docet Accurs. in d. §. cum via publica, ut eadem res privatorum, ad utilitatem publicam, ab eis invitis tolli possint absque pretij solutione. Hoc tamen falsum esse constat, cum, etsi ob utilitatem publicam privati cogi possint proprias res tradere, id fieri debeat soluta eis justa ipsarum rerum æstimatione: quòd & nos obiter probavimus hujus operis lib. 2. c. 3. n. 5. Sed & idem apparet ex text. in l. servi qui monetarios. gl. in l. ult. C. quibus ex causis servi pro præmio libertat. accipiunt. & Bald. in d. l. servi. Jason in l. Barbarius, n. 36. ff. de officio prætor. post alios inibi. & Dec. in c. 1. de probationibus, n. 46. Jason in l. ult. C. si contra jus vel utilitatem publicam. Rochus Curt. in c. ult. de consuetud. folio parvo 46. col. 3. ubi inquit hæc opinionem communem esse, quæ probatur in l. venditor. §. si constat. ff. commun. prædior. & l. 2. l. tit. 1. part. 2. l. 3. tit. 18. part. 3. notat Rodericus Suares allegat. 10. col. 2. citatur ad hoc gloss. in d. l. Barbarius, quæ tamen juxta litteram mei Codicis contrarium asserit: tamen gl. in d. §. cum via publica, priorem sententiam quam ex ea adnotavimus, consuetudini, non juri scripto tribuat: opinionem item communem in hac re tenuerunt. Math. de Afflictis in præmio constituit. Neapolit. q. 4. n. 7. Abb. in c. dilecti filij. 2. col. de arbitris. Archid. in c. per principalem, 9. q. 3. Felin. in cap. que in Ecclesiarum. n. 28. de constit. Septimò eadem opinio, quam hactenus in favorem Ecclesiarum & monasteriorum proposuimus, alia itidem ratione confirmatur. Nam etsi licitum sit cuilibet propriam ædificium altius tollere. l. altius. C. de servit. l. ult. §. pen. ff. de servit. l. Proculus. ff. de damno infecto. l. cum eo l. Imperatores. ff. de servit. urbanorum prædior. l. nullus. & l. domum. ff. de reg. jur. tamen jure prohibitum est, privatum ædificium ita altius attingi, ut ex eo videri possint Religiosi aut Religiosæ intra proprias domos religiosè habitantes: sicuti placuit Saliceto, post Petrum, Cynum in d. l. altius, quasi favore religionis privatus uti non possit jure suo, quòd habet ad tollendum altius domum suam, aperiendas fenestras, & lumina quæ prospectu fuerint opportuna. Hactenus probare conati sumus, domos & agros privatorum ab eis invitis auferri posse titulo emptionis justo pretio soluto, ubi id conveniat locis sacris constituendis aut ampliandis. Siquidem non tantum id

permissum censetur ad ampliacionem monasterij jam constructi, sed & idem obtinet in favorem monasterij au Ecclesie construendæ, quod probatur auctoritate Inola in c. Apostolica, de donat. 2. colum. qui ex eo textu notat non minus, imò magis favendum esse Ecclesiis ædificandis & construendis, quam jam constructis: ex eo, quod per Ecclesiarum & monasteriorum novam erectionem augetur divini cultus honor & cura, atque ita expressim in hac quaestione censet dicendum esse Barth. Capola in d. c. 28. de sepulchro.

Ceterum si controversiam istam maturius ac diligentius exquiramus, planè compertum erit non ita præcisè opinionem istam admittendam esse: adversus quam extat juris regula, quæ servanda est diligentissimè, interim dum non ostenditur ab ea quidquam exceptum esse. Quamobrem videndum erit, an alicubi probatum sit in jure, quod quis cogatur vendere propriam domum aut agrum ad constructionem Ecclesie vel monasterij, ad ejusve ampliacionem. Etenim hoc non probatur in d. leg. locum ff. de usufruct. & in d. l. 2. §. si usufructum ff. de relig. & sumpt. funer. cum inibi privatus minimè favore religionis compellatur jus suum, aut rem propriam vendere: imò eam omnino retinet nec ab eo invito dominium auferitur, id verò tantum constitutum est, ut usufructuarius, qui à testatore habuit usufructum, cogatur consentire, & permittere, heredem proprietarium corpus testatoris in fundum inferre, ac ei inibi sepulchrum constituere, si commodè alibi sepeliri non poterit testator ipse: cui remunerationis titulo hoc beneficium usufructuarius impendere tenetur: ex hoc autem non admittit jus usufructus, nec id vendere cogitur: nam idem apud ipsum manet. Deinde Jurisconsulti responsum obtinet ex eo etiam, quod proprietarius habens dominium directum in re, eam religiosam titulo sepulchri facere potest, invito usufructuario, ad sepeliendum eum qui usufructum legaverit, cum alibi ita oportune sepulchro locus non est, ita quidem hoc, & favore sepulchrorum ac religionis, & quia sit in utilitatem habentis in re dominium directum, & ejus, qui usufructum legato reliquit, permissum fuit. Et adhuc usufructuarius actionem habet ad recipiendum id, quod propter id sepulchrum minus sit usufructus. text. in l. ult. ff. de relig. & sumptibus funerum.

Item communis sententia minimè probatur in d. l. 2. §. locum. ff. de relig. nam præter verba, quæ paulò antè ex Jurisconsulto retulimus, sunt & sequentia expendenda, Locum, inquit, qui servit, nemo religiosum facit, nisi consentiat is, cui servitius debeatur: sed si non minus commodè per alium locum servitute uti potest, non videtur servitutis impedienda causa id fieri, & ideo religiosus fit. Hactenus Ulpianus, à quo deduci non potest, favore religionis cogendum esse quempiam vendere proprium jus, quod habet; sed id tantum eo responso colligitur, favore religionis cogendum esse eum, qui in aliqua re jus habet, consentire, ut is locus religiosus fiat, ubi nullum ex hoc præjudicium is patiat, quippe qui ita commodè uti potest jure quod habet, ac si locus religiosus non foret. Unde Baldus Novell. in tract. de dote. 8. part. privileg. 27. adnotavit post Bart. in d. §. locum. & in l. 2. ff. solut. matr. quod favore religionis & piæ causæ cogitur quis facere quod alteri prodest, & sibi non nocet: quod micum non est, nam & absque religionis favore fortassis idem erit, quemadmodum Baldus Novell. explicat, & DD. tradiderunt in d. l. 2. opportuniusque alibi tractabitur.

Sic nec Jurisconsulti locus in d. l. si quis sepulchrum, convincit, ut communem teneamus sententiam: etenim ibi tractatur de re privati omnino necessaria ad usum sepulchri, nempe de itinere, sine quo nullus esset sepulchri usus. Ex quo non licet inferri, nec

potest colligi, idem esse quoad sepulchri constructionem, vel ejus ampliorem ædificationem. Nam licet à Jurisconsulto responsum sit, cogendum esse privatum, usum aut iter vendere vicino ad sepulchri usum necessarium, ita quidem, ut nullus possit esse sepulchri usus absque illo itinere, nequaquam profectò ipse Jurisconsultus idem respondisset, si ab eo quæreretur, an possit habens agrum cogi eum vendere alteri ad sepulchri constructionem, novamque erectionem, vel ad jam constructi ampliacionem. Quo fit ut minimè probetur communis sententia in d. l. si quis sepulchrum. Quin & ipsa Jurisconsulti responsio eum planè sensum habet, quod præses compellat privatum iter vendere vicino ad sepulchrum: quia ipsa itineris venditio non est domino feudi admodum damnosa, nec ei affert maximum detrimentum; cum adhuc prætito itinere fundus apud ipsum dominum maneat, & ideo iudex admonetur, ut prospiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum: quasi Ulpianus velit, minimè cogendum fore vicinum ad venditionem etiam justo pretio paciscendum, ubi magnum ex hoc ei inferitur detrimentum, quoad propriam rem: maximum autem inferitur damnum proculdubio, si totam ipsam rem adhuc soluto justo pretio cogatur admittere: igitur non inconcinne, nec quidem falsò locus hic Jurisconsulti à probatione communis sententiæ exterminabitur.

Rursus quod attinet ad quintam communis opinionis probationem ex l. 1. C. de commun. serv. manum. facillimè tollitur, si consideremus, id statutum esse favore libertatis in re communi: habens etenim servum communem, quem vult manumittere, ac libertate donare, poterit compellere socium, ut justo pretio soluto partem quam in servo habet vendat, quo servus ipse integram libertatem consequatur: idque iudex provinciæ prospiciet diligenti cura & sollicitudine. text. in d. l. 1. cui convenit Regial. 2. tit. 22. part. 4. Unde Jalon l. servus C. deleg. scribit quod, si habens servum communem leget eidem servo partem suam, socij itidem cogentur justo pretio recepto servum ipsum liberare. Nam dominus servum ipsum eidem servo legans, libertatem ei legare videtur. text. insignis secundum Angelum, Paulum, & alios in l. Senatus. §. ultim. ff. de legatis. 1. Igitur speciale est in d. l. 1. favore libertatis, ubi res est cum altero communis, ut cogatur socius partem vendere: non erit denique idem, ubi res alicujus est propria, nulla ejus parte ad alterum pertinente. Sic & quod Bald. in d. l. 1. scripsit, eadem ratione procedit, & similibus juris decisionibus fulciri poterit: nempe l. 2. C. de commun. rer. aliena. Quæ filico privilegium dedit, ut is possit rem communem cum privato vendere invito locio. text. optimus in l. 1. & 2. C. de vendit. rerum fiscalium. lib. 10. ubi Accursius Bart. in l. ult. C. si contra jus vel utilitatem publicam. Panorm. in cap. penult. de re judicat. n. 13. Felin. in c. qua in Ecclesiarum, de constit. n. 51. Hippol. in l. 1. §. cum quidam deponere, ff. de questionibus. Quibus suffragatur text. singularis in l. final. C. de debitor. civ. l. 11. quo probatur, debitorem civitatis, qui partem rei, pro satisfaciendo are alieno, ipsi civitati alienaverit, cogendum fore & aliam partem ipsi civitati pretio vendere, quod & Bart. inibi adnotavit.

Sexta ratio poterit refelli, distinguendo necessitatem publicam ab utilitate; ita quidem, ut, cum necessitas publica exegerit privatum agrum, privatum domum & ædificium, nempe ad viam publicam, quæ necessaria est, tunc cogatur dominus agri justo pretio eum vendere; sicuti probat text. in d. §. cum via publica. At si tractemus de publica utilitate, quæ tamen necessitatem morali quadam ratione minimè præmittat, non video quo jure privandus quis sit re propria, & quidem invito. Sic sanè quod in dict. 6.

fundamento tradidimus, non simplice Reipub. utilitatem requirit: sed vere exigit publicam utilitatem, quæ moraliter necessitatem iniquet & habeat, quod deducitur ex his qui quæstionem istam tractaverunt, & ex text. in *l. si quando. in 1. & l. adificia & l. turres. C. de oper. pub.* quamvis Roman. in *singul. 710.* nimis extendat decisionem *d. leg. adificia.* ad majorem pulchritudinem civitatis. Qua in re iudicis arbitrium plurimum efficiat, variis circumstantiis temporis, loci, & rei ad amissim consideratis.

Ultima prioris sententiæ argumentatio ex eo corruit, quod frequentissimo omnium consensu ita id accipiendum sit, ut quoties quis prope monasteria ædificans, aliquid construxerit, quod sibi minime proit; Ecclesiæ verò aut monasterio noceat; prohibendus sit id ædificium altius tollere: cum præsumatur facere ad alterius injuriam, gravamen & æmulationem. Præteritum si honestati Monialium ex prospectu præjudicetur: quod post unam & alteram hujus operis editionem diligenter & serio docet illustris Antonius Padilla in *d. l. alius. n. 19.* qui & cum iudicio explicat, quando quis in alterius æmulationem ædificare præsumatur. Et id etiam erga privatos erit observandum, quemadmodum constat ex Cyno, Petro & Salicet. in *d. l. alius.* Angelo & Paulo in *l. cum eo. ff. de servit. urb. præd.* Jalone in *l. ex hoc jure. colum. 2. ff. de justit. & jur. & Barth. Cæpol. de serv. urb. præd. 39. de solo & area.* Decio. in *l. nullus. & in l. domum. ff. de regul. jur.* Hippolyt. in *singul. 154.* quibus adde *l. pen. tit. ult. part. 3. optin. text. in l. opus novum,* ubi gloss. Alberic. & Bart. *ff. de oper. publ. gloss. in l. quicumque castellorum. C. de fundis lititrophis, li. II.* tamen si inibi, & in *d. l. opus,* tractetur de ædificiis, quæ sunt in grave damnum ac periculum Reipublicæ. Imò & Alberic. in *d. l. alius* non admittit favore religionis Cyni opinionem, quæ tamen admittenda est juxta sensum, quem modò explicuimus. Et fortassis propter publicam utilitatem, quæ à religiosiis domibus procedit, erit locus Cyni sententiæ, quoties ex novo ædificio gravissimum imminet domui religiosæ præjudicium, tamen non fiat ad æmulationem.

His tandem explicitis, ad hujus quæstionis resolutionem primùm opinor, posse Principem compellere, privatum domum propriam vendere ad constructionem Ecclesiæ aut monasterij, vel ad jam constructi ampliationem, esseque justam causam, ut Princeps juri privatorum derogat, quòd ea domus utilis sit ad Ecclesiam construendam, vel ampliandam in religionis & Reipublicæ utilitatem. Hoc probat text. in *l. item si verberatum. §. ultim. ff. de rei vendit. & in d. §. si constat.* Alioqui absque justa causa non posset Princeps, etiam dato justo pretio, ab invitis auferre propriarum rerum dominia, quod alibi tractavimus. Laudatur etenim Augustus à Suetonio *cap. 56.* quòd forum augustius fecerit, non ausus extorquere possessoribus proximas domos.

Secundò mihi videtur, non tantùm Principem, sed & quemcumque iudicem inferiorem, posse compellere privatum dominum agri, vel domus, eam vendere justo pretio, quoties ea fuerit necessaria ad constructionem Ecclesiæ Parochialis, aut Ecclesiæ Episcopalis. Nam cum istæ Ecclesiæ moraliter præcisè sint necessariæ ad Sacramentorum administrationem: item & ad cultum divinum, qui ordinariè celebratur ad religionis Christianæ eruditionem & instructionem; idem omnino erit, ubi domus privata necessaria est ad ampliationem harum Ecclesiarum, modò ea ampliatio sit, ut dixi, necessaria morali quadam necessitate, optimus text. in argumentum hujus conclusionis in *cap. ad audientiam, in 1. de eccles. adifican.* atque hoc ipsum probatur ex *d. §. cum via publica.* & ex aliis Juris Cæsarei locis, quæ in probationem prioris sententiæ prima & sexta rationibus adducebam.

Tertiò, si privata domus privatusve ager justo pretio oblato petatur ad constructionem Ecclesiæ; quæ, etsi valde utilis sit, non est tamen præcisè moraliter necessaria; aut ad ampliationem Ecclesiæ jam oim constructæ: quæ quidem ampliatio, etsi utilis valde sit, ad plurium monachorum habitationem, atque ut plures ad officia divina è plebe admittantur; poterit nihilominus Ecclesia absque ea ampliatione Reipub. Christianæ, & cultui religionis servire; opinor in his casibus non posse auctoritate iudicis inferioris absque decreto Principis privatum dominium rei propriæ invitum privari, etiamsi pretium justum ipsius rei offeratur: quod apparet ex *d. l. invitum. C. de contrahen. empt.* & ex his, quæ modò diximus, dum rationibus prioris sententiæ respondimus.

Ultimò hac in controversia non diffiteor, æquissimè iudicem facturum, qui usus frequentissima Doctorum sententia, coegerit quempiam ad venditionem propriæ rei, agri, domus, aut fundi, quoties is fuerit utilis ad Ecclesiæ constructionem vel ampliationem; si attentis circumstantiis, quæ discreti iudicis arbitrio sunt examinandæ, nullum, aut sanè parvum detrimentum ex hac venditione privato inferatur. Etenim in hac specie, non negaverim justissimè in praxi admitti posse priorem opinionem, quæ communis est, atque ut ita respondeam, movet his quæ in disputatione & examine hujus quæstionis, tradidimus, præsertim in responsione ad ultimam rationem & *l. 2. §. locum. ff. de relig. & sumptib. funerum.* tamen si solum de utilitate, non præcita necessitate, in eavenditione agatur.

## N O T Æ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## C A P U T XIV.

In princip. Excipiuntur tamen casus quidam, quibus cogitur quis vendere justo pretio: quos tradidere gloss. &c.

Vide Socin. *reg. 435. incip. vendere rem suam.* qui *ibid.* quinquaginta octo hujusmodi casus recenset, nonnullos præterea referunt D. Gothof. *ad d. l. invitum, verb. distrahere. lit. V.* Siccard. *ad l. nec emere 16. C. de jur. deliber.* ubi casum prædictarum *ll. ad alios actus præter venditionem* extendit.

Num. 3.

Versic. Secundus casus.

Justo pretio à Principe, vel magistratibus definito.

*Mynsing. centur. 5. observ. 27. n. 3.* etiam viliori quàm sit illud, quo res posset communiter vendi. *l. pendentes. 27. §. si quid. ff. de usufruct.* Aufser. *ad Capell. Tholof. q. 447. n. 3.* hanc Bartoli sententiam in *l. 1. §. curia carnis. ff. de offic. Præf. urb. securus,* quam Covar. *suprà lib. 2. var. resolut. c. 3. n. 5.* ita demum admittendam tradit, ubi non solum adest publica necessitas quoad rem vendibilem, verùm etiam quoad pretium ipsum. Sed & hac rerum necessitate statui potest, ne quis ultra quàm indigeat, emat; ne inde annonæ carior reddatur, aut ejus ingruat penuria. *Salic. in l. 1. C. de Episcop. audient.* Gomez *var. resolut. tom. 2. c. 2. n. 51. vers. ex quo notabiliter.* Cura quoque à magistratibus est, ne merces, prout tradit Auctor, à dominis seu possessoribus abscondantur. Quia & tempore ingravescentis caritiæ vel famis, subditis imperari potest, ut frumentum emanet *per l. unio. C. ut nemini liceat in empt. specier. lib. 10.* Schar. *ad l. nec emere 16. C. de jur. deliber. n. 2.*

G g 4

Num.

Num. 7.

Quis vendere omnino compellitur proprium agrum, dominumve favore religionis : cum ea sit necessaria ad constructionem, vel ampliationem alicujus monasterij.

Et ita judicatum à Concil. Neapolit. teste Grammat. Dec. 75. concordat. Socin. Reg. 335. vers. *fallit octavo & versic. fallit 9.*

Num. 8.

Cogendum fore quempiam rem propriam vendere, cum ea ad publicam utilitatem necessaria fuerit.

Gomez *variar. resolut. tom. 2. c. 2. n. 51.* Eman. Soar. in *Thesaur. recept. sent. litt. V. n. 13. §. vendere & res soli, &c.* Et ita pluribus Arrestis Gallie judicatum, teste Charond. *lib. 1. Pandect. Gall. c. 22.* Quod in tantum procedit, ut etiam fundi Ecclesiastici & monasteriorum, fortificationis, & munitionis causa à civitatibus assumi possint : quemadmodum sententiâ Curie Parisiens. definitum est ; alio tamen fundo commodo assignato. Papon. *lib. 1. tit. 13. arrest. 9.*

Et, si ob utilitatem publicam privati cogi possint proprias res tradere, id fieri debet soluta eis justâ ipsarum rerum æstimatione.

Plurimis auctoritatibus, rejecta opinione Glossæ ab Auctore cit. id probat Valasc. *tom. 1. consult. 22. n. 5.* Gomez *d. tom. 2. c. 2. n. 51.* Molina *tom. 5. disp. 709. n. 6.* An autem qui ex causis suprâ relatis vendere cogitur, similiter cogi possit ut fidem de pretio habeat ; Et non teneri tradit Tiraq. *de retract. consang. §. 3. gloss. 3. num. 1.* idem respondit Valasc. *tom. 1. consult. 22. num. 6.* nisi esset extrema & inevitabilis necessitas.

Verfic. *His tandem explicitis.*

Distinctiones hoc loco à Covarr. traditas referunt & sequuntur Molina *tom. 2. disp. 341.* Alvar. Valasc. *supradict. consult. 22.* ubi moribus Lusitanie, ut quis domum vel fundum ad constructionem vel ampliationem Ecclesiæ vendere cogatur, semper Principem adeundum tradit, sive de modico, sive de maximo privati præjudicio agatur ; item sive de Ecclesia parochiali quæ populo necessaria sit, sive de aliâ.

Alioqui absque justa causa non posset Princeps, etiam dato justo pretio, ab invictis auferre proprietarum rerum dominia.

Ne quidem ex plenitudine potestatis Valq. *lib. 1. Illustr. controvers. c. 5. n. 15. & aliquot. 5.*

## CAPUT XV.

De precarij revocatione, an & ea liberè permiffa sit.

## SUMMARI A.

- 1 Precarium simpliciter constitutum morte concedentis non extinguitur, donec ab hærede revocetur.
- 2 Intellectus ad text. in cap. si gratiose, de rescript. in 6.
- 3 Precarium expressim constitutum, donec revocatum fuerit, non expirat morte concedentis.

4 Precarium constitutum expressim ad voluntatem concedentis, ipsius morte jure finitur.

5 Expenditur Jurisconsulti responsum in l. Lucius. ff. de donationibus.

6 Precarium non potest statim absque causa revocari.

7 Inter precarium, & commodatum, quod discrimen sit.

8 An commodatarius, qui utitur re commodata ad aliud quàm quod sibi fuerit commodata, teneatur furtive actione.

**P**recarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is, qui concessit, paritur, auctore Ulpiano in l. 1. ff. de precario. Ex quo constat regula Juris Cæsarei & Pontificij : nam & idem Gregorius IX. respondit in c. ult. de precario. quæ definitum est precarium liberè voluntate concedentis revocari posse. l. 2. §. 1. ff. de precario. aded ut non valeat pactum contrarium. l. cum precario. ff. de precario. cujus ipse mentionem feci in Epitome de sponsal. 2. part. c. 3. §. 1. explicat Bart. in l. ubi ita donatur. ff. de donatio. causa mort. & Dec. in cons. 23. col. ult. Sed quæstionis est, an morte concedentis precarium revocatum esse videatur : nam Jurisconsultus in d. l. cum precario. §. ult. & in l. questum. §. quod à Titio. ff. eodem planè respondet † precarium morte concedentis minime finiri, sed ad ejus hæredem transire, absque nova hæredis concessione : sicuti & idem notant gloss. & DD. in d. c. ult. de precar. Quod profectò verissimum est, secundum Paul. Caltr. in l. Lucius. ff. de donatio. qui expressim scribit, hæredem posse precarium datum à defuncto liberè revocare : ut in eadem l. Lucius. apparet ; non tamen ex hoc sequi, quòd sit necessaria nova hæredis precarij concessio ; siquidem ea necessaria non est, sed manet ipsum precarium datum à defuncto, donec hæres ejus id revocaverit, etiam si Accursius in d. §. quod à Titio. perperam contrarium existimaverit, non rectè intelligens quid Jurisconsultus inibi responderit, atque hæc est frequentissima omnium sententia, quam etiam tenuerunt Paul. in l. Attilius. ff. de donat. ubi gloss. Bart. in l. centesimis. §. ult. col. 3. Alex. col. ult. & Jason col. 5. ff. de verb. oblig. Tiraquell. de constitut. 2. part. 12. ampliat. cui accedit, quòd præsumendum sit morientem in eadem durare ac perseverare voluntate quàm decedens habuit. cap. majores de baptis. Huic vero conclusioni obstat text. elegans in cap. si gratiose, de rescriptis in 6. quo expressim est actum, qui voluntate agentis liberè revocari potest, morte ipsius itidem revocatum censei, cum voluntas morte cesserit. l. 4. ff. locat. Locatio, inquit Pomponius, precariive rogatio ita facta, quod is, quæ eam locasset dedisset, vellet, morte ejus qui locavit aut dedit, tollitur. Sic enim indulgentia Romani Pontificis, qua is dispensatione quadam concedit Titio, ut beneficia Ecclesiastica, quæ alioqui absque Principis licentia minime possidere, haberet utique, ac recineret, usque ad ipsius Romani Pontificis voluntatis beneplacitum, per obitum concedentis omnino extinguitur, auctore Bonifacio VIII. in d. cap. † si gratiose. Quo in loco eleganter distinguitur voluntas hominis eam dignitatem obtinentis à voluntate ipsius Sedis Apostolicæ, & sic dignitatis ; ut priori casu morte finiatur ipsa concessio, posteriori verò adhuc mortuo concedente vim integram habeat, dum à successore minime fuerit revocata : in quo adnotandum est, an referat indulgentiam ipsam, ejusque vires conferri in voluntatem Romani Pontificis, vel Papæ, non expresso proprio ejus nomine ; an verò ejus proprio nomine expressim appposito. Etenim ubi proprium nomen expressim fuerit, omnes conveniunt, obitu Romani Pontificis privilegium extingui. At, si gratia concessa fuerit ad voluntatem Romani Pontificis, ita simpliciter, ut nec nominis proprii, nec Sedis Apostolicæ mentio facta fuerit : tunc equidem Bald. Lupus, & Dominic. in d. c.

*d. c. si gratiose*, scribunt, obitu concedentis nequaquam extingui ipsam gratiam, quia facta fuerit ad voluntatem dignitatis Pontificalis: cum ejus nomen expressum fuerit. *cap. quoniam Abbas, de offic. delegat.* Quibus accedere videtur Fel. in *cap. ex litteris de consuet.* n. 9. asseverans, satis esse nomine officij actum expeditum fuisse, ut voluntas, in quam collatus fuit, minimè expiret morte agentis. Contrarium deducitur à gl. in *d. c. si gratiose, in verb. sua*, quam sequuntur inibi Archid. Joan. de Fant. & Auch. ex quibus expressum colligit Franc. col. 3. privilegium gratiamve concessam à Summo Pontifice, ita quidem, ut ad voluntatem Romani Pontificis perseveret, morte concedentis finitam censei, quæ quidem interpretatio plurimum probatur in *d. c. si gratiose*, dum in eo distinguitur concessio facta ad voluntatem sedis Apostolicæ ab ea quæ facta fuerit à Romano Pontifice, ad suæ, nempe Romani Pontificis, voluntatis penes placitum. Non me laet, quætionem istam ambiguum esse; & tamen opinor, ex ipsa materia subjecta, prius quam ex nomine proprio, vel appellativo, definiendum fore an actus dignitati vel personæ tribuendus sit, secundum ea, quæ ipse tractavi in *cap. requisisti, de testamentis*. Deinde & illud censeo in proposita controversia, oportet omnino vel ex re ipsa, vel ex verbis concessionis, examinare & perpendere, num actus ipse in voluntatem ejus qui summum præsulatum obtinet, an in voluntatem sedis Apostolicæ, collatus fuerit. Quod si id constare ex his nequeat, tunc arbitror quoad ea, quæ voluntati committuntur, in dubio distinguendum esse nomen dignitatis abstractæ à nomine, quod obtinenti dignitatem etiam ejus ratione tribuitur, ut tandem aliud sit, ipsius sedis Apostolicæ nomen, aliud verò sit, quod eam obtinenti etiam ratione pontificatus congruit, nempe Papa Summus Pontifex, Romanus Pontifex; & similia. Nam cum voluntas magis propriè personæ obtinenti dignitatem, quam dignitati ipsi incorporæ conveniat, par est, & rationi consonum, quod actus collatus in voluntatem Romani Pontificis, ad voluntatem ejus qui tunc Pontificatum obtinet, & actum egit, referatur potius quam ad voluntatem sedis Apostolicæ. Nec refert quidquam quoad istum tractatum, quod actus fiat nomine dignitatis: siquidem privilegium concessum à Romano Pontifice, ipsi dignitati tribuitur, & conceditur ejus nomine; cum à privato eam dignitatem minimè obtinenti, concedi non valeat. Et tamen, juxta priorem partem text. in *d. c. si gratiose*, morte concedentis expirat. Hinc deducitur, opinionem Philippi Franci veriorē esse, quam & ipse colligo ex Philippo Dec. in *cap. sedes, de rescripti. in princ.* ita enim scribit: *Quod hic dicitur de sede Apostolica, idem esset in summo Pontifice, de quo in effectu text. hic i. re legimus, sed tamen differentia constituitur, ut est text. in c. si gratiose, de rescripti. in 6.* Hacten. Decius, qui manifestissimè quoad interpretationem *c. si gratiose*, discrimen constituit inter Summum Pontificem, & sedem Apostolicam. Quamobrem in hac specie, quam tractamus, idem erit dicendum si actus ipse aut gratia ipsa concessa à Romano Pontifice, ad voluntatem Papæ relata fuerit; nam morte concedentis expirabit, secundum Francum in *d. c. si gratiose, col. 3.* Fit igitur, ut quod in voluntatem agentis confertur, ipsius obitu finitum esse videatur; & ideo præcarium, cuius vis à jure voluntati concedentis tribuitur, morte ejus revocatum esse censendum sit, quod est contra text. in *d. c. ultim. §. in d. l. cum precarij, §. ult.* Denique ad hujus objectio- nis perfectam resolutionem, omnino distinguendi sunt duo casus. Primus, quando actus simpliciter validus est, eam tamen à jure habet conditionem, ut liberè valeat ab agente revocari, vel ea conditio expressim actui addita fuerit, quod is valeat & obtineat, donec revocatus fuerit. Et enim in hac specie morte

non extinguitur actus, nec revocatus censeatur, nam per obitum concedentis revocatio minimè censeatur facta, nec subintelligitur, text. elegans in *cap. si delegatus, §. 1. de officio delegat. in 6.* Idem, inquit Romanus Pontifex, poteris quando tibi vices etiam sub ea forma commissu, donec eas duceret revocandas. Nam talis commissio, per quam censeatur etiam sententia prolatio, nisi antea fuerit revocata, committit, nequaquam morte committentis expirari, ex quo res integra non existit. Hæc sunt textus verba, idem notant Bart. in *l. §. quia alias, leg. morte, ff. de jurisdict. omni. judic. ad finem* Decius in *l. 3. ff. de regulis juris*, idem in *cap. relatum, ff. de offic. delegat.* idem in *consil. 108.* Sic e quidem delegatio causæ & jurisdictionis valida quidem simpliciter est, eamque conditionem habet, quod liberè à delegante revocari possit, *l. judicium solvitur, ff. de judic.* non censeatur tamen morte delegantis revocata. Ex quo inferitur jurisdictionem alicui à Principe, aliòve judice commissam hæc expressa lege, donec eam delegans revocaverit, minimè revocatum esse morte delegantis; quod probat text. in *dist. cap. si delegatus*, tenent Bartol. & alij proximè citari, idem Bart. in *d. l. centesimis, §. ultim. n. 10. ff. de verbor. obligat.* & ibi Alexand. & Jalon super ead. *quest.* Bartol. idem Decius in *d. l. more, n. 60.* requiritur enim ad revocationem nova voluntas, quæ in moriente minimè præsumitur, & ideo per mortem non constituitur actus prioris revocatio; atque ita hæc est communis omnium sententia secundum Decium in *d. l. 3. ff. de regul. jur.* sentit eam Innoc. in *cap. licet undique, de offic. deleg.* hoc ipsum tenent Dominic. & alij in *cap. delegatus*. Hinc etiam constat, exilij penam sententia judicis alicui indictam, donec iudex eam revocaverit: hæc equidem expressa lege, morte judicis nequaquam revocatum censei, nec finitam esse: quemadmodum voluere Bald. in *l. ult. 6. quest.* & ibi Salicet. 10. *quest. C. de contrahen. empt.* Alexand. *ult. col.* & Jalon. *n. 14. in d. l. centesimis, §. ult.* qui advertus Bartol. ibi hanc asseverant esse communem sententiam, quæ à præmissa regula manifestè deducitur, & probatur in *l. 4. in princip. ff. de manumissi. vend.* item ex his apparet, ea ratione precarium morte concedentis non extingui, quod id ab initio validum & firmum sit, nec aliter finiat, quam revocatione ejus qui concessit, *l. 2. in §. 1. cum aliis, ff. de precar.* quæ quidem revocatio obitu concedentis minimè contingit.

Secundus casus in hac controversia constituitur, quando actus à lege, vel ab homine eam habet conditionem, ut is obtineat, maneat, ac perseveret ad libitum & voluntatem agentis, vel donec ipse voluerit; tunc sanè, cum voluntas morte extinguitur ipsius concedentis obitu actus perit & finitur, *l. 4. ff. locat. text. in d. cap. si gratiose*, Bartol. eleganter in *d. l. centesimis, §. ult. colum. 3.* & ibi Alexand. & Jalon. idem Bartol. in *d. l. more*, & ibi Decius, ac denique hi omnes, quos ad præcedentis regulæ probationem citavi, item Paulus Castren. in *dist. l. Lucius ff. de donationib. Panorm. in cap. ult. de precar.* ubi idem ceteri Doctores permittunt, & Decius explicat in *l. contractus, n. 132. ff. de regul. jur.* probans & primi casus decisionem. Nec obest huic communi sententiæ text. in *dist. cap. majores*, quo probatur secundum quorundam interpretationem, voluntatem morte non extingui, nec finiri, imò semper durare, donec mutetur. Quia in *d. c. majores, §. ult. ad fin.* tantum probatur, amentes & furiosos in eadem voluntate perseverare, quam habebant eo tempore, quo furor eos oppressit, text. celebris, in *leg. si is, qui animo*, ubi gloss. & Doct. *ff. de acquir. posses.* Non tamen ex hoc sequitur, quod per mortem ea voluntas non cesset, siquidem omnino morte cessat voluntas, tametsi non cesset nec favore, nec amentia, nec somno, aut ebrietate, *l. nunquam, §. si servus, ff. de usucap. ex quo plura inferuntur.*

Primum, vera interpretatio ad text. *in d. c. si delegatus*, §. 1. ut licet delegatio ea lege facta, donec delegans commissionem vicariamque potestatem revocaverit, obitu delegantis non expiret, nec censetur revocata, & ideo si mors contigerit re non integra, possit delegatus uti jurisdictione; tamen mortuo delegante re integra prius quam delegatus uti cœperit jurisdictione sibi commissa, tunc jurisdictionis delegatio extinguitur, non jure revocationis, quæ; minimè per mortem evenit, sed causa cessantis voluntatis morte delegantis contingens, sufficiens est ad hoc, quod commissio jurisdictionis itidem cesset re integra, quod probat text. *in eod. c. si delegatus*, adnotavit Carol. Molingus ad Decium *in reg. 3. ff. de regulis juris*, tamen Decius dubitaverit *in d. l. more*, n. 62.

Secundò, hinc etiam deducitur falsum esse, quod gloss. scribit *in dist. cap. si delegatus, in verb. morte*, dum juxta quorundam sententiam respondet, commissionem jurisdictionis factam expressim ad voluntatem delegantis, re non integra, minimè extingui morte ipsius delegantis, quod jure non probatur, imò eam delegationem morte delegantis finiri constat, atque ita censet eadem gloss. *in ult. parte*, quam sequuntur Joan. And. Domin. Franc. & Doctor. ibi.

Tertiò, ex his colligitur, concessionem, quæ; alioqui liberè revocari & mutari possit, factam tamen ea lege, ut maneat, valida sit, ac perseverat ad voluntatem concedentis, eo denique post diutinum furorem mortuo, omnino extingui & cessare, tamen ante obitum etiam per furorem minimè finita fuerit, hoc probatur ex ea interpretatione, quam aptavimus *c. majores*, §. ult. *de baptis. & l. si is qui animo, ff. de acquir. poss.* qua inter mortem & furorem discrimen illud constituimus, ut licet morte cesset voluntas, non sic furor.

Quartò patet, ex frequentissima omnium resolutione precarium ita expressim constitutum, ut ad voluntatem concedentis eo aliter utatur, morte concedentis finitum esse, & extingui absque aliqua hæredis revocatione, quod notant Abbas n. 6. *in d. c. ult. de precar.* Paul. Castren. *in d. l. Lucius*. Decius *in d. l. contract. n. 1.* idem præmittunt omnes, qui præmissas conclusiones tradidere, Ba t. excepto: nam is subobscure loquitur, Quibus objicitur text. *in l. 1. ff. de precar.* quo in loco Jurisconsultus asserit, precarium manere firmum quamdiu patitur, qui concessit. Hoc ipsum probatur *in dist. c. ult.* Patientia autem idem est, quod voluntas, quæ; post mortem concedentis cessat. Igitur falsum est, quod diximus, simplex precarium morte concedentis non extingui, vel expressim datum ad voluntatem concedentis, etiam post mortem manere, donec ab hæredibus revocetur, utrumque verò receptissimæ omnium sententiæ refragatur. Quamobrem Jurisconsulti verba *in d. l. 1.* ita sunt interpretanda, ut eum sensum habeant, quamdiu patitur qui concessit, id est, quamdiu qui concessit illud non revocaverit, nec pœnituerit, ex eodem Jurisconsulto *in l. 2. ff. de precario*.

Etenim Jurisconsultus patientiam appellat illam voluntatem, tacitumque consensum, qui constat ex eo quod non contradicitur *l. qui patitur, ff. mandas.*

Nam licet inter consensum & contradictionem sit medium quoddam, nempe taciturnitas, vel patientia *l. 1. §. scientiam, ff. de tributo*. Et ideo quoties consensus expressus lege requiritur, non sufficit taciturnitas, nec patientia secundum Innoc. & Doct. Præsertim Felin. *col. 2. in c. nonne de presump.* atque idem erit, ubi à statutis, quæ; strictam habent interpretationem, consensus simpliciter exigatur, siquidem expressus erit necessarius, quod ex eisdem Doct. colligitur, traduntque Bald. Imol. Alex. & alii *in l. 2. §. voluntatem, ff. soluto matrimonio*. ubi Franc. à Ripa *col. 1.* scribit hanc opinionem communem esse. Attamen jam semel con-

stituto precario, ad ejus vim & effectum, ut deniq; maneat, sufficit voluntas illa tacita, quæ; ex patientia, dum constituens illud non revocaverit deducitur, atque ita sunt intelligendi text. *in d. c. nonne*, & *in reg. qui tacet. de regul. jur. in 6.* Quamobrem in specie ista quam examinavimus, ego discrimen constituo: an lex ipsa dicat, precarium manere firmum ad voluntatem concedentis, & donec ipse voluerit; an id expressim à concedente additum concessioni fuerit: ut priori casu precarium morte concedentis minimè finitum sit; posteriori verò absque ulla revocatione hæredis, sola morte constituentis percat.

Adhuc versus communem sententiam opponitur Jurisconsulti responsum † elegans *in d. l. Lucius. Titius*, inquit Scævola, *epistolam talem misit, ille illi salutem. Hospitio illo, quamdiu volueris, utaris in superioribus dictis omnibus gratuito, idq; te ex voluntate mea facere, hæc epistola notum tibi facio. Quæro, an hæredes ejus habitatione eum prohibere possint? Resp. secundum ea, qua proponerentur, hæredes ejus posse mutare voluntatem.* Vides igitur, lector optime, precarium; nam de eo tractat Jurisconsultus juxta communem interpretationem, constitutum expressim ad voluntatem concedentis; & tamen Jurisconsultum præmittere, idem etiam post mortem manere donec ab hæredibus fuerit revocatum, esseque necessariam hæredum revocationem. Quidam sanè censent Scævola responsum de donatione accipiendum esse, quia id positum fuerit sub Rubrica de donationibus, quod mihi non placet: cum donatio perfecta revocari non valeat: at si dixeris in ea specie revocari potuisse, vel ex eo, quod collata fuerit ejus vis in voluntatem donantis ut ad ejus voluntatem firma maneret, non tollitur ex hoc difficultas: siquidem adhuc constat ex Scævola precarium vel donationem, ejus vis & usus ad voluntatem concedentis fuerit collatus, ipse morte non extingui. Quamobrem ego censeo, illa verba, *ex voluntate*, non significare idem quod illa: *ad meam voluntatem*, vel *quatenus mea voluntas tulerit*: sed simpliciter consensum donantis & concedentis ostendere, & manifestum facere. Quod & Alciato visum est *in l. 1. ff. si cert. petat. in verbo commodatum*: tamen is contendat *d. l. Lucius*, in donatione, non in precario esse accipiendam. Fit igitur secundum hunc sensum ut *in d. l. Lucius*, nihil probeur contrariam communi Doctor. opinioni. Fortassis quibusdam placebit, omissa hac omnium sententia, precarium etiam expressum ad voluntatem concedentis constitutum, ejus morte minimè perire, nec extingui donec ab hæredibus revocetur: & hi quidem ad hujus reprobationem ea verba: *ad voluntatem meam*, & illa, *quatenus mea voluntas tulerit*: speciali quadam ratione, perpensa precarii propria natura interpretabuntur, id est, donec revocavero. Et ideo ex *l. 1. & 2. ff. de precar.* probata hac interpretatione, dicendum erit, precarium sive simpliciter, sive ad voluntatem concedentis constitutum, morte ipsius concedentis nequaquam extingui donec ab hæredibus revocetur. Nam & Bartol. *in d. l. centesimis*, §. ult. n. 10. tractans quæstionem illam, qua quæritur de intellectu sententiæ judicis mittentis aliquem in exilium ad ejus voluntatem, inducit argumentum ex precarii natura, quasi velit precarium morte minimè extingui, etiam si expressim concessum sit ad voluntatem constituentis. Rufus idem Bart. *in l. Atilius, ff. de donationi. us. in princ.* sentit, *in d. l. Lucius*, precarium constitutum fuisse ad voluntatem concedentis expressim ea lege apposita, citatq; text. *in l. 4. ff. locati*, quæ voluntatem morte extingui probat, etenim insinuat Bart. *in d. l. Luc.* sola morte constituentis precarium finiri absque hæredis revocatione. Quod omnino adversatur Jurisconsulto, & omnium interpretum judicio, cum inibi permissum sit hæredibus mutare voluntatem concedentis



dentis precarium, unde planè constat, ante hanc mutationem precarium etiam mortuo constituyente, manere, & validum fore, quemadmodum responsum est in *l. questum*, §. 1. ff. de precar. quem textum Alberic. & alii in *d. l. Atilius*, citant ad intellectum *d. l. Lucius*. Sed nihilominus tutior est ea sententia, quæ frequentiori calculo ab eo textu deducitur. Hactenus ostendimus, precarium nec morte concedentis absque hæredis revocatione extinguï, nec manente precarij natura, irrevocabile posse fieri.

6 Nunc illud erit observandum, quod etiam si † precarium liberè revocari possit, ea tamen revocatio non potest statim & ita promptè fieri, ut prorsus omni usui & commodo priver illum cui precarium concessum est, imò potius eum damno afficiat. Obstat etenim tunc exceptio doli adversus revocantem; ea siquidem concessio beneficium est, quo juvari debet accipiens, non decipi, in *l. commodato*, §. cum autem ff. commodat. & sic aliquod spatium utendi, & reddendi rem precario concessam, inest arbitrio iudicis, qui ex causa justa statim eam revocationem permissam esse censet, quod in specie voluerunt Panorm. in *d. c. ult. de precar. n. 13.* Alexand. in *l. si pœnam*, ff. de verb. obligationib. Jas. in §. sequens. Instit. de action. nu. 25. Franc. Purpur. in *l. 2. in princ. nu. 28.* & ibi Curtius Junior. nu. 19. ff. si certum petatur, & Carol. Molinæus de contract. qu. 83. nu. 630. argumento ejus, quod Bartol. tradit in *dict. l. si pœnam*, scribens, mutuum præstitum alicui nullo definito tempore, non posse statim peti, sed post tempus arbitrio boni viri æstimandum. Hanc Panormitani sententiam æquissimam esse opinor, & jure probari, quamvis contrarium tenuerint Bart. in *d. c. ult. Dec. in l. in omnibus*, in 1. & in *l. contractus*, n. 9. ff. de reg. juris, & Alciat. in *l. 2. ff. si certum petat. in verbo, commodatum*.

7 Operæ pretium tamen erit, ut & prænotata maturius intelligantur, requirere † quod discrimen sit inter precarium, & commodatum. Nam Bart. in *l. in commodato*, §. sicut ff. commodat. scribit commodatum fieri ad certum usum & tempus, atque ideo non posse intempestive ante finitum tempus revocari, quia esset decipere, & damno afficere commodatarium, *dict. §. sicut. c. unico*, §. contra, de commodato, precarium autem non sit ad certum usum, nec ad certum tempus, & ea ratione libere posse revocari. Quæ quidem ratio non placet Panorm. in *d. c. ult.* cum & quandoque precarium constituatur ad tempus certum, & sic ad determinatum usum; & potest nihilominus ante finitum tempus revocari. *l. in rebus*, & in *l. cum precario aliquid datur* ff. de precar. qua ratione idem Panorm. & Imol. in *d. c. ult.* aliam differentiam inter precarium, & commodatum constituunt: quòd commodatum detur ad certum ac determinatum usum, qui quidem usus expressè, vel tacitè habet tempus itidem certum, intra quod revocari non potest, ita sanè colligitur ex *l. 2. C. commodat.* & in *d. §. sicut gl. ibi*, & in *d. l. 2. ubi Cynus & omnes. Panorm. in dict. cap. ult. col. ult. de precario.* Jason. in §. sequens, n. 2. de actionib. Alberic. in *d. l. Atilius*. Precarium autem datur ad usum indefinitum & indeterminatum, ita quidem, ut licet detur ad certum usum, is tamen indeterminatus & incertus censetur ex eo, quòd nec tacitè nec expressim habeat tempus certum. Quamobrem revocari liberè potest, secundum eisdem. Quod probatur in *d. l. Lucius*, juxta communem ejus interpretationem. Sensit hanc differentiam Bart. communiter receptus in *l. 2. in princip. ff. si certum pet.* Bald. item in *l. 2. C. commodat.* & Constantinus Harmenopolus *lib. ult. Epitomes juris civilis, tit. 2. super l. contract. ff. de reg. jur.* Hæc igitur discriminis ratio tendit ad hoc, ut in dubio quid precarium, quid commodatum sit, cognoscamus: at ubi ex verbis & mente contrahentium apparet quid agere velint, tunc ea quæ contra substantiam illius actus

apposita fuerint, actu ipso manente valido rejiciuntur; nec ex his mutatur ipse contractus, nisi ea mutationem commodè patiantur verba contractus, & ipsorum contrahentium mens, quod deducitur ex Bart. in *l. ubi ita donatur*, ff. de donat. causa mortis, cujus ipse latius memini in *rubr. de testamento. 2. part. n. 11.* atque eadem ratione erit aptanda interpretatio Jurisconsulto in *d. l. cum precario. parte 1.* cujus mentionem fecimus in principio hujus capituli.

Adèd quidem † commodatum ad certum & destinatum usum sit, ut si quis re commodata utatur ad aliud, quàm quod sibi commodata fuerit, vel certi ac præscripti usus limites excesserit, furtum commississe dicatur, *l. qui juramenta*, ff. de furtis, §. furtum autem Instit. de obligationibus qua ex delict. nascuntur, sicuti & qui utitur re deposita contra voluntatem deponentis, furtum committit, *l. qui furtum*, ff. de cond. furti, l. 3. Cod. deposit. idem in eo, qui utitur pignore absque domini voluntate, *leg. si pignore*, ff. de furto. Imò & damnatus hac ratione, & ex hac causa, efficitur infamis, *leg. qui depositum*, Cod. depositi. Panorm. per text. ibi in *c. 1. de deposit.* scribit etenim Valerius Maximus *lib. 8. cap. 2.* quemdam damnatum fuisse, quòd equo, cujus usus usque Arctiam commodatus fuerat, ulteriore ejus clivo vectus esset. Idem Jurisconsultus respondit in *leg. si ut certo. §. sed interdum*, vers. quinimo ff. commodari. Quinimo & qui aliter re commodata utitur, non solum commodati, verum furti quoque tenetur. His accedit Regia *l. 20. tit. 13. part. 5.* quæ, ut creditor pignore uti possit, exigit, quod ex eo usu res deterior minimè efficiatur, & consensum debitoris, tradit & Catell. Cotta *diétione, Furtum*. Idem probatur in *l. 1. §. si rem. in 2. ff. deposit. §. 1. 3. Cod. eod. tit.* quas decisiones late expendit Car. Mol. de *contract. qu. 83.* Hæc verò judicia, quibus quis damnatus fuerit furti, eò quòd commodatum jumentum aliorum duxerit, quàm quo utendum acceperat, vel rem depositam aut commodatam vendiderit, cave usus fuerit ad aliud, quàm acceperit, veluti severa & nimis gravia retulit Valerius Maximus *diét. c. 2.* & post eum Aulus Gellius *lib. 6. noctium Atticarum cap. 15.* Quamobrem Joan. Faber. in *l. 1. C. de pignor. actio.* censet hac in controversia, actionem furti minimè locum obtinere: si commodatarius, aut creditor, aut depositarius utatur re commodata, pignore, vel deposito eo usu, cui propriè res ipsa destinatur, & ad quem dominus ipse his rebus uti solebat, hoc potissimum deducitur à præsumpta voluntate domini; nam, ut Fabri sententiam explicemus, ego arbitror, quòd si creditor utatur re pignori data, eo quidem usu, quo uti solebat dominus ipse, nec res ipsa effecta, fuerit deterior ex eò usu, minimè teneti ea ratione creditorem, nec furti, nec alia actione. At si ex hoc usu facta sit res deterior, sitque usus ipsi rei conveniens; nempe cum ipsa ad illum ex propria natura destinata fuerit, vel communi ac frequentiori ipsius domini consuetudine; tunc creditor; aut depositarius tenebitur ad illud detrimentum actione quidem ex contractu, non ex delicto: præsumitur etenim ex his causis attentata Fabri opinione, dominum permissurum, & id non fuisse factum eo invito, quod sensit gl. in *d. §. sed interdum*, sensit d. Regia. *l. 20. in princ.* Verùm si ex usu ipsius rei, & attentis aliis circumstantiis colligamus creditorem commodatarium, aut depositarium usum fuisse re deposita, commodata vel pignore, invito domino scilicet, eo non permissuro; locus erit actioni furti juxta eas Jurisconsultorum decisiones, quas paulò antè adduximus. Et tamen adhuc in hac specie censo, judicem omnino debere judicium, & ejus severitatem ac rigorem temperare; ita quidem, ut absque læsione & damno ipsius domini pœnam hujus criminis benignitate quadam molliat, mitemque efficiat; cum et si furtum hic commissum esse constet, id tamen non omnino inhonestum est, nec computari debet inter

ea furta quæ legibus, & Republicæ institutis prava & pernicioſa cenſentur: & ideo molli quadam pœna furtum hoc puniendum eſt, quod ſenſit Phil. Corneus *conf. 274. lib. 3. verſ. & potiffimè*. Sic ſanè vel ipſa iudicis ſententia ex hac cauſa damnatus, erit ab infamia liberandus, aut ſaltem, eſſi hoc à iudice omiſſum fuerit, ejus ſententia erit in eum modum accipienda, ut minimè iudicetur infamis, qui per eam furti hac ratione condemnatus fuerit eodem pacto iudicis recti arbitrio relinquendum erit, ſitne locus in hac ſpecie ſeptupli pœnæ, quæ in his regnis plerumque indicitur furibus. Etenim inſpectis circumſtantiis perſonarum, rerum, loci, & temporis à ſeptuplo iudex abſtinebit, cum de hoc iudicio tractaverit.

N O T A.

JOANNIS UFFELI J. C.

C A P U T XV.

In Princip. Precarium liberè voluntate concedentis revocari poſſe. Quinque modos recenset Duaren. *tit. de precario. ff. c. 2. quibus precarium cum expreſſè, tum tacitè revocetur.*

Hæc autem revocatio uſque aded libera eſt, ut propria auctoritate poſſeſſionem ingredi permiſſum ſit. *Put. lib. 2. deciſ. Rot. Roman. 462. n. 2.*

Num. 2.

Quo in loco eleganter diſtinguitur voluntas hominis eam voluntatem obtinentis à voluntate ipſius Sedis Apoſtol. & ſic dignitatis.

Declarat & ſequitur Molina *tom. 2. diſp. 298. verſic. Illud vero controvertitur, cum duob. ſeqq.*

Num. 3. & 4.

*Verſ.* Primus quando actus ſimpliciter validus eſt. &c. *junct. verſic.* ſecundus caſus in hac controverſia conſtituitur.

Hos caſus ab Auctore relatos explicat Molina *tom. 2. diſp. 298. verſ. precarium ſinitur, & verſ. longè verò diverſum quid eſt.* Quorum poſterior limitatur, quoties favor publicus ac utilitas verſatur, quocirca ſi Princeps ordinariâ iurisdictionem, licet ad beneplacitum; conceſſit, non cenſetur revocata morte concedentis, niſi inſuper revocatio ſucceſſoris accedat. *Menocho. de arbitrar. iudic. lib. 1. qu. 69. n. 9. 10. Capyc. deciſ. Neapol. 116. Bodin. l. 4. de republ. tit. 4. n. 441.* Quod nec à moribus Gallorum in officiis alienum eſt, functo enim vita Principe, officiarij nihilominus anti- quum munus obeunt, quouſque à ſucceſſore aliter ſit decretum *Pap. lib. 4. tit. 2. art. 4.*

Circa prædicta quæri poteſt, an officiarij cum clauſula; *ad beneplacitum* vel, *Donec placuerit*, conſtituti, ab ipſis conſtituentibus munere ſuo deſtitui poſſint; Qua in re hæc diſtinctio adhiberi conſuevit; ut officiales Regij ſeu Principis, licet prædictæ clauſulæ eorum commiſſionibus inſertæ ſint, nihilo magis revocari poſſint; niſi iudicio dictato per ſententiam, caſu quo deliquerint, vel in munere ſuo malè verſati ſint. *Papon. notar. 2. l. 8. tit. d'Interdicts & actions poſſeſſoires, &c. verſi. ſera diverſe cum ſeq. fol. mibi. 574. & in Arreſt. Gall. lib. 4. tit. 12. arreſt. 2. Guenois in annot. ad Imbert. lib. 1. inſtit. Forenſ. c. 16. litt. V. Rebuff. ad conſtitut. Reg. tom. 3. traſt. de mater. poſſeſſ. art. 4. gl. unic. n. 9. 10. & II. D. Anton. Fab. tit. C. de pœnis, deſinit. 12.* Eſt enim de prædictis officialibus, ut de perpetuis, iudicandum. *Tiraquell. de retr. art. convent. §. 2. gl. unic.*

*n. 74. in ſin.* Præterea cum talis remotio infamiam irrogaret, iniquum foret eos ſine cauſa removeri. *Anton. Fab. C. de revocand. donat. deſinit. 18. in allegat. n. 1.* Cæteri verò officiales à dominis inferioribus conſtituti, ad nutum eorum, eſſi nihil deliquerint, muneribus ſuis privari poſſunt *Pap. d. lib. 8. notar. 2. tit. d'Interdicts, &c. verſic. ſera diverſe*, ibi, *ne ſera le pareil.* licet clauſula precaria eorum conceſſioni non ſit adjecta. *D. Anton. Fab. C. de revocand. donat. d. deſinit. 18.* quod ita limitatur, niſi ex cauſa matrimonij, compensationis ſervitorum, pretio, aut alia cauſa oneroſa, officia naſti ſint. *Fab. ubi ſupr. Pap. d. tit. d'Interdicts, verſic. Peuvent neantmoins.* Advertendum tamen eſt, in magno Concilio Mechliniæ anno 1608. menſe Decembri, non attempta ſupradicta diſtinctio inter officiales Principis & vaſallorum, officiali vaſalli adverſus domini remoti- onem, poſſeſſionem fuiſſe ſervatam: Quod in Brabantia aliquoties etiam iudicatum eſt, atque inter cætera ita ann. 1598. definitum memini inter Joan. Mellelo impetrantem interdicti, retinendæ, & Comitum de Cantecrode citatum, mota controverſia ob Præfecturam ejuſdem loci; conſulente in cauſa impetrantis D. Liefveldio ſummæ prudentiæ & doctri- næ viro, meo tunc temporis in praxi formatore.

*Verſic. Primum vera interpretatio.*

Tamen mortuo delegante re integra.

Et hoc diſcrimen eſt inter iurisdictionem ordinariam & delegatam: quòd illa re etiam integra, morte concedentis non expiret; hæc verò tam morte, quam ceſſante iurisdictione delegantis ex quacumque alia cauſa, niſi res integra eſſe deſierit in delegato, evaneſcat. *Molin. d. tom. 2. diſputat. 298. verſic. ſecundum hoc eſſe diſcrimen.*

Num. 6.

Ea tamen revocatio non poteſt ſtatim & ita promptè fieri.

Niſi ſuperveniat rationalis cauſa cur ſtatim revocetur. *Molina diſt. tom. 2. diſput. 298. in princip. verſic. Quamvis quod precario.*

C A P U T XVI.

Poſſeſſio beneficij Eccleſiaſtici, quonam pacto jure acquiri poſſit.

S U M M A R I A.

- 1 Collatio canonica abſque corporali poſſeſſione, juſ perfectum tribuit poſt acceptationem, & inibi intellect. *cap. ſi tibi abſenti de prabendis, in 6.*
- 2 Collatio beneficij poteſt fieri ea conditione, ſi vacat.
- 3 Acceptatio illius, cui collatum eſt beneficium, omnino neceſſaria, ut illi acquiratur.
- 4 Acceptatio non poteſt fieri per procuratorem abſque ſpeciali mandato, & quid de laico, & excommunicato?
- 5 Acceptatio facta ab eo, qui mandatum non habuit, rata haberi poteſt, modo ratiſſimatio fiat intra tempus datum ad acceptandum.
- 6 Canonicam collationem habens poteſt administrare propria auctoritate ante apprehenſionem poſſeſſionis.
- 7 An poſſit quis propria auctoritate capere poſſeſſionem beneficij, & intellectus, l. ſi quis in tantum, & l. ult. C. unde vi.

- 8 *Traditio possessionis corporalis beneficii, ad quem pertineat.*  
 9 *Possessio beneficii apprehendi potest per procuratorem habentem mandatum generale.*  
 10 *Possessio beneficii qualiter acquiratur? & an per investituram tradatur? item an possit in conspectu beneficii apprehendi, & num. seq.*  
 11 *Intellect. l. clavibus. ff. de contrahen. empt.*  
 12 *Traditio instrumenti, an inducat acquisitionem possessionis. & inibi intellectus, l. i. C. de donatio. leg. item Partitarum, & Taurina constitutionis.*  
 13 *Possessio beneficii apprehensa in ipsa Ecclesia, à qua titulum & nomen beneficium habet, transfert etiam possessionem omnium rerum ad beneficium pertinentium.*

**B**eneficiorum Ecclesiasticorum vera acquisitio bifariam consideratur: primùm etenim quoad ipsius tituli jus, deinde quantum ad possessionis propriam acquisitionem, siquidem constat posse quem in beneficiis jus & titulum habere, qui tamen ejus possessionem adhuc minimè nactus fuerit, quippe qui eam nondum apprehenderit. Quantum ad primam partem atinet receptissimum est, sola & canonica collatione absque traditione possessionis, ejusque apprehensione jus in Ecclesiastico beneficio acquiri, ipsamque collationem jus in re tribuere text. opt. in c. ult. & ibi Anchar. Domin. & Franc. de concess. prebend. lib. 6. gl. communiter approbata in c. pen. in verbo. collatio. de prebend. in 6. Dynus in regul. 1. n. 8. & regul. qui prior. de regulis juris. Jason. in l. quoties. col. 3. C. de rei vendic. requiritur tamen acceptatio illius qui collationem sibi canonicè factam habet, textus est in c. si tibi absenti, de prebend. in 6. à quo satis expressim colligitur, solam collationem beneficii absque possessionis apprehensione, jus in re & perfectum tribuere, postquam ille, cui collatum fuerit beneficium, eam ratam habuerit, etenim ex hoc proprium ipsius dicitur beneficium. Addit præterea summus Pontifex, etiam ante acceptationem istam, cum qui beneficium contulerit absenti vel præsentì, minime posse eam collationem revocare, nec beneficium hoc alteri conferre, quod speciali quadam ratione procedit: nam etsi is qui absenti causa donationis mittit rem aliquam, possit pœnitere ante absentis acceptationem, l. 2. §. sed & si quis donaturus, & l. absenti. ff. de donat. verum est in libera donatione, & quia donator minimè tenetur donare; non sic idem erit in eo, qui ratione officij conferre beneficia tenetur: etenim semel facta collatione, functus est officio suo, l. judex. ff. de re judic. Quamobrem etiam ante acceptationem pœnitete non poterit, secundùm Panormit. in c. accedens, col. 1. de prebend. eundem in c. publicato, col. 3. de elect. & cons. 11. lib. 3. Bartol. Paul. & Imol. in d. l. absenti, qui hanc differentiam constituunt inter donationem, & beneficiorum Ecclesiasticorum collationem, quæ in conferendo ad liberalitatem non pertinet, licet possit videri collatio ista, donatio quædam impropria respectu illius cui fit, cum ei non teneatur præcisè Prælati beneficium concedere, juxta gloss. & ibi D D. in c. relat. de prebend. gloss. in §. ex his, 23. qu. 6. Abb. in c. tuis n. 4. de prebend. Deci. in c. cum accessissent, col. 1. de constitut. Abb. in c. ult. de donat. Francisc. de Ripa in l. ult. qu. 48. de revoc. donat. Imò hoc ipsum obrinet sive præsentì fiat collatio, sive absenti, text. in d. c. si tibi absenti, sive fiat ignorantì. Quod probatur in c. gratia, de rescript. in 6. adedò quidem, quòd si executor apostolicus conferat beneficium alicui ea conditione expressa, si vacat, collatio tenet, ex eaque acquiritur beneficium, modò id verò vacaverit tempore collationis, quamvis uterque conferens, & is cui collatum fuerit, ignoraverint ipsam vacationem secundùm Joannem Andr. Joan. Monach. & Probum post Didaci Covarr. Tom. II.

alios in d. c. si tibi absenti. Bald. in l. 3. col. ult. C. de sentent. qua sine cert. quant. proferunt Nec quidquam impedit ipsam & collationem conditio illa, si vacat; siquidem quamvis ab inferioribus electio fieri non possit sub ea conditione, si vacat; gloss. in c. 2. de election. in 6. vers. incerta, collatio tamen valet ita facta, & fieri potest. Domin. in d. c. Lopus allegat. 6. Felin. in c. cum contingat. col. penult. de officio deleg. Joann. à Selva de benefic. 3. Far. q. 20. Lud. Gomez. in reg. verisimil. notitia obitus, q. 1. in prin. etiam si Dec. in l. actus, colum. ult. ff. de reg. jur. hanc differentiam improbet, existimans collationem istam hac conditione factam nullam esse, cum indicat incertitudinem quandam. Nam in electione loquitur text. in d. c. 2. qui certitudinem in electionibus requirit, quem commendat Felin. c. cum ex officij, col. penult. de prescript. atque ita Lud. Gomez. in dict. reg. testatur, hanc distinctionem & differentiam communi omnium consensu receptam esse. Ipse verò Romanus Pontifex dubio procul potest beneficiorum collationibus conditionalibus uti gloss. in cap. si gratiosa, de rescript. in 6. quam dixit singul. Felin. in c. ult. col. 3. de judic. notat Abb. in c. si constituerit, n. 2. de accusatiomb. explicat Martin. ab Azpilcueta vir doctissimus in c. si quando de rescript. col. 3. & 4. Et hoc quidem etiam quoad propriam & veram conditionem apertissimi juris est; illa etenim conditio, si vacat, vera conditio non est, cum actum minimè suspendat, l. institutio ralis, ff. de condit. institut. l. itaque, ff. si cert. pet. Doctores præsertim. Socin. Jas. & Deci. l. cum ad præsens, ff. eod. gloss. sing. l. si sic. §. 1. ff. de legat. 1.

Est igitur acceptatio & necessaria, ut sola canonica collatione beneficium Ecclesiasticum fiat acceptantis, absque possessionis apprehensione. Quo fit, ut si Romanus Pontifex beneficium ejus collationi reservatum alicui contulerit, & is ante acceptationem mortem obierit, adhuc maneat reservatio salva & integra, nec beneficium vacet obitu illius, qui ejus collationem nondum acceperat. Sed beneficium vacans in curia Romana collatum alicui, qui ante ejus acceptationem extra curiam moriatur, adhuc vacat in curia, non per mortem illius cui collatum fuit, quod expressim tenent Oldrad. consil. 57. Collect. in capit. Ecclesia, vestra, n. 10. de fortileg. Domin. in cap. 2. de prebend. in 6. col. ult. Speculat Joan. And. in rubr. de action. & tit. §. penult. Lud. Gom. in reg. de triennalis possess. q. 30. n. 2. cum alioqui collato beneficio reservato, & ejus acceptatione facta, reservatio expiret, etiam ante apprehensionem possessionis, secundùm eisdem, & Innoc. in cap. 1. & in c. ex parte de concess. prebend. Oldr. cons. 136. quorum opinio communis est, teste Lud. Gomez. in d. q. 30. idem tenet Lopus alleg. 127. Calder. cons. 10. tit. de prebend. Dom. cons. 39. Eadem ratione per mortem illius, cujus aliqua ex causa beneficia sunt Romano Pontifici reservata, minimè vacabit beneficium eidem collatum, si eam collationem nondum acceptaverat, quod notat Domin. in d. cap. 2. de prebend. in 6. col. ult. Gomez. in reg. de familiarib. Card. qu. 24.

Hæc autem & acceptatio beneficii fieri poterit non tantùm ab ipso, cui collatum fuerit beneficium, sed & ab alio eius nomine, modò is habeat speciale mandatum, gloss. in dict. cap. si tibi absenti, quam DD. inibi probant & sequuntur: idem gloss. in Clem. unica, de concess. preb. in verb. præsentì. Rota antiqua 323. Archid. & Joan. Andr. in c. ne captanda, de concess. preb. in 6. Joa. Staphilæ. de litteris grat. & just. pag. 96. Sat tamen erit mandatum speciale ad acceptandum beneficia Ecclesiastica, licet spectatim aliquod beneficium minimè fuerit nominatum, sicuti notat Joan. Andr. Abb. & Imola in c. accedens de prebend. Nicol. Milis in verbo, procurator, col. 7. DD. communiter in d. c. si tibi absenti. Rota in antiquis, 529. ubi tradit admittendum esse mandatum generale ad acceptandum & permittendum quæcumque beneficia. Itidem equidem ob-

tinet & in mandato ad resignandum, tamen si aequissimum sit, ad resignandum, requiri mandatum particulare in individuo, ut notat Caro. Molin. ad edictum Henrici Regis art. 10. gloss. 2. satis tamen sit, quod ad acceptandum sufficit mandatum speciale, quoad causam. Nec poterit collator beneficii pœnitere, quod manifestissimum est, meminit etiam Felin. in c. nonnulli §. sunt & alii n. 46. gl. in d. c. si tibi dum ea in verbo habuerit, tractat de hoc speciali mandato. Imò & speciale mandatum ad acceptanda beneficia, sufficiens est ad acceptandum illud, cui animarum cura incumbat: auctore Imol. in d. c. accedens 3. col. 2. quem sequitur Staphylæus in d. tract. de litteris grat. & just. fol. 50. col. 2. Mandatum autem generale nequaquam sufficit ad hanc acceptationem, quamvis concessum sit cum libera administratione; quemadmodum placet Fel. in d. numer. 46. & Rotæ antiquæ 535. Illud profectò hac in questione observandum erit hoc mandatum speciale ad acceptandum beneficia Ecclesiastica, etiam laico concedi jure posse, secundum Joan. Andr. & Abb. in d. cap. accedens. Rotam in antiquis 104. & 418. Ioan. Andr. & Franc. in c. quod alicubi, de regulis juris in 6. Domin. & Franc. in c. 1. de procurator. Staphylæum d. pag. 9. cum ea acceptatio nihil aliud sit quam declaratio voluntatis, quæ à quocumque fieri potest. Nam etsi beneficium conferri excommunicato non possit, c. postulasti. de cleric. excommunic. minist. nihilominus excommunicatus collationem beneficii factam sibi ante excommunicationem ratam habere poterit, & acceptare. Rota in novis, 195. & in antiquis 126. & in antiquior. ult. tit. de sentent. excommunic. Card. conf. 103. Rursus Rota in antiquis 720. Rebuff. in concordatis, tit. de excommunic. non evit, Lud. Gom. in tract. expectativarum, n. 60. quamvis contrariam sententiam in hac specie veritorem esse censent Cardin. in d. c. postulasti, & Alciat eo non citato, in c. 1. de judic. nu. 12. quorum opinio ex eo corrumpitur, quod acceptatio nihil juris tribuat in ipso beneficio, sed tantum declarat consensum illius, cui beneficium collatum fuit, qui quidem consensus necessarius est text. in cap. nisi cum pridem col. pen. de renunciat. Ego verò non diffiteor, imò jure certissimum esse cenfeo, ministerio laici posse illum, cui facta fuerit collatio beneficii, eam acceptare. At idem esse in excommunicato, ut is beneficium ante excommunicationem sibi collatum acceptate possit, mihi, ut ingenuè fatear, dubium videtur: nam licet ex collatione jus in beneficio detur, id tamen non acquiritur, donec acceptatio sit, text. est d. c. si tibi absenti in princip. unde tempore acceptationis acquisitio juris spiritualis fit quæ excommunicato minimè potest convenire, qua ratione etsi opinio Rotæ magis communis sit, ut fatetur Martin. ab Azpilcueta in c. si quando, col. 31. de rescrip. mihi profectò non omnino placet. Nisi quispiam dixerit, acceptationem beneficii factam ab excommunicato validam esse & efficacem quoad voluntatis & consensus declarationem, non tamen quoad juris acquisitionem; ita quidem, ut beneficium ipsum minimè acquiratur ratione hujus acceptationis, donec excommunicatio absolute extincta fuerit, tunc autem absque nova acceptatione profus acquiri. Quod probari potest auctoritate decisionis in antiquis 33. quæ licet præmittat, habentem litteras ad beneficia vacuata, posse etiam, si excommunicatus sit, acceptare beneficium vacans, & sub ejus litteris comprehendere beneficium, asserit tamen collationem ex vi hujus acceptationis fieri non posse, donec is absolutus sit ab excommunicatione. Ad eandem rationem expendenda erit decisio Rotæ in novis 195. quæ agens de intellectu text. in cap. ult. de consuetud. in 6. tradit eam opinionem cujus inibi mentio fit, ab excommunicato fieri posse: est enim id jure verum, quantum ad effectum simplicis declarationis, non autem, ut ex ea

collatio fiat, nec jus acquiratur. Proximè dictis accedit, quod & laicus potest procurator constitui ad renunciandum beneficio Ecclesiastico in favorem cujusque personæ per eum nominandæ. Quia jus in ipso beneficio minimè traditur à laico renunciante, sed à Romano Pontifice conferente beneficium vacans per renunciationem. Sic sane in specie adnotavit Carol. Molin. ad dictum Henr. Regis §. 10. gl. 2. n. 13. quam plurimum obstat Panorm. sententia in c. causam quæ col. 1. de elect. qui de mandato eligendi contrarium respondet. Nam electio jus maximum tribuit electo, atque idè non potest committi laico electio ad beneficia Ecclesiastica: unde poterit ex hoc discrimine defendi opinio Caroli.

Cæterum, si quis nomine absentis, cui est collatum beneficium, eam collationem acceptaverit absque mandato, secuta postmodum ratihabitione: beneficium à die acceptationis acquisitum censetur, reg. ratihabitionem, de reg. jur. Nam & in his quæ mandatum speciale exigunt, ratihabitione locum obtinet, & admittenda est, text. optim. in c. ult. de jur. in 6. quem præter alios ad hoc citat Ang. in l. nec filius C. de rebus credit. text. item in l. quod si de speciali, ff. de minori. notant Bald. in l. si maritus, C. de mand. Alex. conf. 78. lib. 5. Fel. in c. sicut, in 2. de simonia, ult. col. Jal. in l. si quis mihi bona §. jussim, n. 36. ff. de acquir. hered. Dec. in l. semper qui non prohibet, ff. de reg. juris, n. 7. idem conf. 281. quorum opinio dubio procul communis est ac jure verior, quamvis Panorm. in d. c. accedente, 2. col. teneat, tantum à die ratihabitionis jus acquirit, non à die acceptationis, citat gloss. in c. quam sit, de electio, num. 6. quæ mihi hoc non probat; tamen si ea singularis sit, tunc censet ratihabitionem omnino fieri debere intra terminum datum ad acceptandum, quam gloss. ad hoc adnotarunt DD. ibi Fel. in d. §. sunt & alii, nu. 45. & Rochas Curt. de jure patron. in verbo honorificum, n. 26. probat text. elegans in l. honorum, ff. rem ratam hab. quem expendit latè Dec. in d. l. semper qui non prohibet, unde ad secundam partem text. in d. c. si tibi absenti, cum Prælatus beneficium absenti conferens ei diem ad acceptationem constituerit; oportet acceptationem fieri, vel factam ab alio ratam haberi intra eum diem; ut beneficium ab eo, cui collatum est, acquiratur; alioqui collator poterit id beneficium alteri conferre, sicuti in eadem constitutione satis in specie probatur, & tamen acceptatio, vel ratihabitione facta post diem à Prælato constitutum, poterit ad beneficii acquisitionem, modò res integra sit: quia Prælatus tempore hujus acceptationis, vel ratihabitionis nondum beneficium hoc alteri contulerat. Quod in specie asseverat jure verissimum esse Franc. in d. c. si tibi absenti, post alios ibi.

Hactenus probavimus ex dict. c. si tibi absenti, sola collatione jus acquiri in beneficio absque corporali apprehensione possessionis. Idem notant Panorm. in c. cum autem, & c. suggestum de jure patron. Innoc. & alii, in c. inter certa, de præbend. Ex quibus text. in d. c. cum autem, & alii qui tractant de pralatione in obtinendis beneficiis & præsertim text. in c. quod autem de jure patron. quo in loco expressum est in beneficiis potiorum esse eum, qui primò possessionem habuerit; sunt intelligendi omnino de possessione, id est, de canonica institutione, cum planè jure probatissimum sit in his quæ pertinent ad beneficia Ecclesiastica, non esse præferendum eum, qui primò corporalem nactus fuerit possessionem, sed eum qui prius canonicam collationem habuerit, quemadmodum post Dynum in reg. qui prior de regulis jur. adnotant omnes in dict. c. si tibi absenti, quorum opinio communis est. Quod si habens collationem canonicam absque possessione administrare velit, poterit id facere optimo jure, modo alius non sit in possessione beneficii; tunc etenim si administraret; spoliaret propria auctoritate possessorem, sicuti censent Abb.

Abb. in c. *transmissam*, col. 3. de electione, per textum ibi. atque idem tenent Innoc. & DD. *ibidem* Aufrer. & Cappella Tholosana 443. Nicolaus Milis, in verbo, *possess. vers. possessio beneficij*, idem Panorm. in cap. *cum super*, de causa *possess. & propriet. Dom. & Franc. in cap. cum qui*, de *præbend. in 6. Frederic. cons. 234. Ripa in cap. sua*, n. 69. de *restitut. spoliat.* optimus text. in c. *avaritia*, de electione. in 6. Quam opinionem fatentur communem esse Joan. de Selva in *tract. de benefic. 2. p. 9. 15. Francisc. de Ripa in lib. 2. resp. c. 3. Rochus Curt. de jure patron. in verbo, jus, quæst. 5. Rebuff. in tract. de pacific. possess. n. 234. & 251. Lambertin. in tract. de jure patron. 3. part. 2. lib. qu. 11. art. 6. Et probatur hujus sententiæ prior pars in d. c. *transmissam*, posterior verò in d. cap. *eum qui*, quo decisum est, etiam habentes canonicum titulum in beneficio, quod ab alio possideatur, non posse propria auctoritate possidentem expellere, nec possessionem beneficij illius apprehendere; ea quidem apposita pœna, ut sint ipso jure privati ipsius beneficij titulo, si contrarium fecerint; quam decisionem præter alios explicat optimè Ripa in cap. *saepè de restitut. spoliat. n. 68.* cui adde Rotam in *novis 16.* Est tamen necessaria corporalis possessio: etiam in beneficiis; nec sufficit verus & canonicus titulus, etiam cum administratione ad agendum interdicto, unde *vi*, ut spoliatus ante omnia restituatur; quod satis jure compertum est, & in specie post alios adnotavit Abbas in d. c. *cum super col. 4.* item & ad alios plures effectus, quos possessio vera & corporalis inducit.*

Secunda igitur hujus capituli pars in eo versabitur, an propria auctoritate is, qui collationem habet, absque Prælati licentia possit corporalem possessionem apprehendere, & quo pacto ea possessio acquiri valeat. Nam quibusdam visum est, habentem canonicum titulum non posse propria auctoritate possessionem beneficij apprehendere absque judicis licentia. Ita tandem tenuerunt Dynus in *regula 1. de regulis juris*, in 6 *vers. & hoc ostenditur necessario.* Anchar. in *regula sine possess. col. 20. de regulis juris.* Archid. in cap. *eum qui*, de *præbend. in 6. Colmas in Pragmatica sanctione Gallicana, tit. de pacificis possessor. in verbo violentus.*

Eamque opinionem probare conantur juribus & decisionibus, quibus vetitum erat utroque jure, quemquam etiam rei propriæ possessionem capere absque judicis auctoritate, & præsertim text. in *dist. c. eum qui*. Verùm quia hæc sententia non ita planè probatur, & ferè communi omnium judicio receptum sit, ante apprehensionem corporalis possessionis, posse habentem justum titulum & canonicum, nemine possidente, propria auctoritate ministrare ipsi beneficio, & ejus curam habere atque exercere: sicuti paulò antè adnotavimus: operæ pretium erit quæstionem istam propositis aliquot casibus distinguere.

Primus etenim casus tunc constituitur; cum Prælati, qui beneficium contulit, quippe potuisset corporalem possessionem tradere, non tantùm simpliciter beneficium contulit, sed & ipsum cui contulerat, aliquo signo investivit, nempe pileo. Nam in hac specie existimo, tacitè datam fuisse licentiam à Prælato accipiendi possessionem vacuum † propria auctoritate, absque alio judicis decreto: quod Abbas tenet in c. *auctoritate*, de *institutionib. Roman. singulari*, 236. Lambert. de *jure patronat. 3. part. lib. 2. qu. 11. in princ.* sentit Innoc. in c. 2. de *consuetud.* quamvis Dynus in *regula 1. de reg. juris in 6. n. 16.* contrarium sentiat. Cujus opinio posset obtinere, ubi Prælati, qui contulit beneficium, non habebat potestatem tradendi corporalem possessionem, eo quidem jure ad alium vel consuetudine, vel canonicis sanctionibus pertinenti; aut saltem Dyni sententia vera erit, quando possessio vacans non est, sed ab alio obtinetur: etenim non videtur rationi consonum, quòd Prælati per investituram dederit licentiam investito alterum spoliandi, c. *eum qui de præbend. in 6.* Opinioni autem

Didaci Covarr. Tom. II.

Abbatis suffragatur Azonis decisio in *Summa. C. de acquirenda possessione*, à quo Socin. in l. 3. princ. n. 24. colligit, traditionem clavium factam extra conspectum rei, operari licentiam & facultatem capiendi possessionem propria auctoritate.

Secundus casus proponitur in eo, qui collationem canonicam beneficij absque investitura solemnè obtinuit, ilque apprehendat propria auctoritate possessionem vacuum, an puniendus sit, vel punitus censetur pœna *dist. cap. eum qui*. Et proculdubio ea constitutio in hac specie minimè loquitur, sed tunc demum cum habens canonicum titulum possessorem beneficij propria auctoritate expulerit, & possessione privaverit; quod ex ipso textu communi omnium sententia deducitur, poteritque hæc interpretatio comprobari auctoritate glossæ in l. *ult. verb. per ignorantiam, C. unde vi.* quæ communiter recepta scribit, pœnam illius constitutionis nequaquam admittendam esse adversus eum, qui propriam rem, & eam vacuum à nemine quidem possessam, occupaverit: modò statim probet dominium. Quam opinionem communem esse testatur Alexand. in *leg. naturaliter*, §. *nihil. ff. de acquirend. possessio.* sequitur eam, itidem communem esse asseverans, Ripa in cap. *saepè, num. 65. de restitut. spoliat.* eandem tenet, dicens communem, Bald. in *leg. ult. Cod. de edicto divi Hadrian. toll. quæst. 5. num. 42.*

His præterea suffragatur gloss. in l. *non est dubium. C. de legat.* quæ censet, legatarium occupantem rem sibi legatam etiam post aditam hæreditatem, priùs tamen quam possessio fuerit ab hærede apprehensa, minimè amittere jus quod habet in eadem re, tametsi hæres possit possessionem interdicto, *quærum legatorum* summario judicio consequi. l. 1. C. *quor. legat.* Quam distinctionem sequuntur Doctor. præsertim Jason. inibi, Decius *consil. 243.* Alexand. & Jason. in l. *si stipulatione. ff. de acquirend. possess.* atque ita erit intelligenda gloss. in c. *ult. de success. ab intestat.* quæ vult legatarium propria auctoritate occupantem rem sibi legatam, hæreditate jacente, non amittere jus quod in ea re habet. Addit tamen ipsa glossa, pœnam l. *si quis in tantam. C. unde vi.* non obrinere in eo qui occupat res hæreditatis jacents, idem tenet gloss. in l. *ult. C. unde vi. in verbo per ignorantiam*, quam sequuntur ibi Doctores communiter, ut fatetur eam secutus Ripa in c. *saepè, de restit. spol. nu. 58.* hoc ipsum probans, etiam post aditam hæreditatem nondum apprehensa possessione per hæredem. Quod etiam tenuerunt Alberic. & Salic. in d. l. *ult.* contra Azonem in *Summa. C. unde vi.* & Bartol. in d. l. *ultim. nu. 19.* Mihi verò, si juxta prædictas constitutiones pronunciandum foret, potius placeret sententia Petri, Oldradi, & Alberic. qui in d. l. *ult.* existimarunt, ejusdem legis pœnas etiam obtinere adversus occupantem propria auctoritate res hæreditatis jacents, quasi ipsamet hæreditas repræsentet defuncti & domini personam: & saltem quoad hunc effectum dominium habeat: quod in specie *leg. Regia* statutum est lib. 3. *ord. titul. 14. l. 1.* Observandum tamen est, harum legum & similium rigorem, nempe l. *si quis in tantam. C. unde vi.* Cui convenient l. 11. *titul. 13. part. 5. l. 2. tit. 14. lib. 3. ord.* communitotius Christiani orbis usu & praxi antè quàm esse, quemadmodum constat, & testantur *Specul. tit. de restit. spol. §. 1. vers. item quidam*, & Gulielm. Benedict. in cap. *Rynutus, de testam. in verb. si absque licentia*, 2. numer. 48.

Oportet tamen priùs, quàm hunc secundum casum egrediamur, parumper immorari circa interpretationem text. in d. cap. *eum qui. §. ult. de præbend. in 6.* Siquidem ea constitutione cautum est, violentos beneficiorum Ecclesiasticorum occupatores, omnino in pœnam ipso jure privati beneficiis, quæ per violentiam occupaverint, etiamsi canonicum titulum in eis habuerint. Etenim tunc dicitur ad hunc effectum

violenta occupatio, cum invitis possessoribus, & eis contradicentibus, capta fuerit beneficiorum possessio, licet possessores non fuerint conati resistere, secundum Lapum allegat. 117. Domin. Francum, & Probum in d. c. cum qui. §. ult. Innoc. in c. cum nostris, de concess. preben. in gloss. credimus, & Oldrad. conf. 319. vol. 1. l. si quis, ff. ne vis fiat ei.

Quod si quis lite controversia sententiam obtinuerit adversus possessorem beneficij, ac litteras ad ejus executionem, quas executoriales vulgus ita appellat; poterit propria auctoritate, non tamen invito, nec renitente possessore, in possessionem beneficij capere: præsertim quia hodie solet in eisdem litteris potestas hæc capiendi possessionem propria auctoritate concedi, quod tradunt Rota in novis 417. & Felin. in cap. castro, col. ult. de re judic. modò apprehensio possessionis fiat absque violentia, ne locum habeat pœna d. c. cum qui, §. ult. ut paulò antè dicebam. Stylus autem & praxis Romanæ curiæ jure attentatorum revocat possessionem propria auctoritate apprehensam, vel etiam obtentam auctoritate executoris electi, nisi ante ejus apprehensionem fuerint ipsæ litteræ ostensæ, & denunciatæ, atque intimatæ victo possessori, hujus praxis meminere, Fel. in c. ad probandum, n. 6. de re jud. expressius, & in hac specie Guliel. Cassador. decis. 6. tit. de caus. possess. & propriet. Lud. Gom. in reg. de subrog. collig. qu. 4. & in reg. de annali poss. q. 44. & in reg. de triennial. q. 27. Ex quibus constat, non admodum firmum & stabilem esse hunc stylum, quin quandoque contrarium obtentum & pronunciatum fuerit.

Illud prætermittendum non est occupantem propria auctoritate beneficium, cujus canonicum titulum habet, ab alio tamen possessum, nequaquam esse, nec dici posse intrusum; tamen violentus dici jure possit; si per vim possessionem apprehenderit. Quod plurimum refert: pleraque enim Jure Pontificio, quoad intrusos statuta sunt, quæ in violentis possessoribus non ita obtinent. Et probatur hæc sententia ex eo, quod intrusus is verè sit, qui accipit vel retinet beneficium Ecclesiasticum, sciens nullum jus perfectum quidem sibi in eo competere, colligitur hæc intrusivi descriptio, definitiove ex c. cum qui, part. 1. de prebend. in 6. cap. jam dudum, de prebend. Nicolao Milis verb. intrusus. Domin. in c. propter. 19. dist. Dec. conf. 221. col. pen. & ult. & Felin. in cap. in nostra corollar. 2. de rescript. Lud. Gomez in regul. de trienn. possess. q. 47. Constat præterea conclusio præmissa, quia etiam violentus beneficij occupator absque titulo canonico, intrusus non est, quamvis violentus sit, cum non occupaverit beneficium, sciens se non habere jus in eo: potuit enim illud per vim occupare, & absque titulo, existimans se titulum canonicum habere, quod expressim tenent Dom. & Franc. in d. c. cum qui Lud. Gomez in reg. de trienn. possess. q. 11. in princ. & licet Nicol. Milis, verb. intrusus non dicitur, asserat contrarium in hoc ultimo; erit intelligenda ejus opinio, ubi occupatio facta fuerit ab eo qui sciebat sibi titulum deficere. Tandem id ex his apparet, quod habens canonicum titulum, etiam si propria auctoritate, & per vim possessionem apprehenderit expulso possessore non dicitur intrusus, tamen dici possit violentus possessor; quamvis Lud. Gom. in reg. de trienn. possess. qu. 48. hunc esse intrusum Jure communi, & ad Juris Pontificij effectus asserat, cum priorem opinionem probaverint Dom. in d. c. cum qui, & ibi Franc. à Milis in verb. intrusus viceitur. Quorum sententia præmissis rationibus comprobatur. Imò nec erit intrusus, qui beneficium sibi competens titulo canonico, jam per vim ab eo occupatum retineat, sciens ipso jure per eam occupationem jus amisisse proprium, ex decisione d. c. cum qui, §. ult. quod ipse tradidi in Epitome de sponsalib. 2. part. c. 6. §. 8. nu. 8.

Tertius casus ex præcedentibus deducitur, & in

eo quaritur, an aliqua pœna puniendus sit, qui habens canonicum titulum, propria tamen auctoritate apprehenderit possessionem beneficij; quæ quidem possessio à nemine obtinebatur, & an possit jure hæc apprehensio fieri? Et sanè communis videtur sententia, quòd ea apprehensio fieri jure possit, & nulla sit pœna digna, quam opinionem admiserunt omnes quos post Panormitan. in cap. transmiss. de electione, hoc ipso capite citavimus, vers. hætenus, & Rebuff. in tractat. de beneficiis, rubric. de missione in possessionem, n. 5. scribens hanc opinionem communem esse; eamque probant ex eod. c. transmissam. Quo decisum est, post confirmationem, quæ titulum tribuit, posse confirmatum administrare, & officium dignitatis exercere, cui respondet Anchar. in d. regul. sine possessione, id verum esse, modò auctoritate judicis apprehensa fuerit possessio corporalis, quod probatur in cap. ad hæc, §. in quadam de offic. Archidiacon. dam ibidem scribitur, ad Archidiaconi officium pertinere, mittere in corporalem beneficiorum possessionem institutos ab Episcopo. Idem in c. ut nostrum, eod. tit. Regia l. 4. tit. 16. part. 1. Hostiens. in Summa de offic. Archidiacon. §. quid sit ejus officium. Panorm. in c. dudum, de electionib. in 2. idem Panorm. in c. 2. de excess. prelat. & in consil. 21. lib. 1. Dec. in cap. super eod. col. ult. de offic. deleg. Et quamvis in cap. licet Episcopus, de preb. in 6. responsum sit, ad Episcopum pertinere missionem in beneficiorum possessionem, ea responsio poterit variè intelligi, non equidem de ipsa missione in possessionem corporalem, sed de sententia, aut decreto, quo Episcopus pronunciat, institutum in possessionem mittendum fore; vel de ipsa corporalis possessionis traditione, cum Archidiaconus absens fuerit, secundum Domin. in d. c. licet. Potest & tertio intelligi ea decisio, ut procedat, de consuetudine, quæ hodie obrinet adversus Archidiaconos; nam per eam ipsi hoc jus amiserunt. Quarto, cum possessio beneficiorum ab aliis obtineatur, tunc ad Episcopum, non Archidiaconum, jure pertinebit corporalis possessionis traditio, quod planè deducitur ex dict. cap. licet Episcopus. Ultimo, si tractetur de tradenda Ecclesia in proprietatem, & jurisdictionem, vel subjectionem, non in titulum beneficij; hujus possessionis corporalis traditio, ad Episcopum, non ad Archidiaconum, spectat text. ubi adnotavit Abb. in c. pastoralis, de privil.

Quod si Juris Pontificij sanctiones ita serid statuerunt officium & munus tradendi beneficiorum corporalem possessionem; apparet justiore esse hæc in controversia Dyni, & Archidiacon. Anchar. & Cosmæ opinionem; qua obtentum est, institutum canonicè non posse propria auctoritate apprehendere beneficij possessionem, etiam quæ vacua sit. Ex quo sequitur, Prælatum posse ejus arbitrio, punire eum qui possessionem adhuc vacuum beneficij propria auctoritate apprehenderit, pœna quidem non admodum gravi, propter auctoritatem communis sententiae, quæ id permittum esse censuit. At si quis canonicum habens titulum propria auctoritate beneficij vacuum possessionem apprehenderit; opinor nihilominus, eam possessionem justæ & veræ possessionis effectus habituram, cum ob communem sententiam, tum ex eo, quod etsi possessor malè fecerit, non requirens judicis licentiam, canonico tamen titulo & justo possidet. Nec obstat quod solet adduci ex Egidio à Bellamera conf. 10. col. 19. vers. tertia ratio principalis à quo Francisc. à Ripa in cap. sepè, de restitut. spoliat. nu. 69. colligit, Rotæ auditores passim observare, & pronunciare, quòd nemini, etiam canonicum titulum habenti, liceat possessionem propria auctoritate occupare; & tamen adducit Egidius hanc possessionem ita obtentam non habere effectus juris, nec interdictum unde vi. Nam ut ipse arbitror, Egidius refert auditores Rotæ sæpissimè in possessione beneficiorum obtinenda, exigere ejus apprehensionem

hensionem præmissam fuisse ex institutione & collatione Prælati & superioris; non tamen tractat de licentia & auctoritate Prælati ad apprehensionem corporalem possessionis, sed de titulo possessionis, circa text. in c. ex frequentib. de institue. & in cap. 1. de regul. jur. in 6. ac tandem scribit, spoliatum beneficio, ut obtineat in interdicto unde vi, debere iudicio Rotæ ostendere titulum & institutionem beneficii: quod tradit glos. in Clementin. unica, de possess. & propriet. saltem quantum ad quamdam possessionis justificationem, ex titulo apparenti, quem coloratum vulgus appellat, de quo hic agendum modò non est.

9 Possessio autem beneficii apprehendi & acquiri potest ab ipso, vel ab ejus procuratore habente mandatum speciale (quod manifesti juris est) non ita per procuratorem habentem mandatum generale glos. in verb. habueris, in d. c. si tibi absenti, quam ad hoc aliter ordinariam Imola in l. 1. §. per procuratorem, ff. de acquir. poss. commendat idem Imol. in l. qui mihi donatum ff. de donatio. tenent eandem sententiam Dom. in d. c. si tibi Felin. in cap. nonnulli. §. sunt & alij, n. 46. citatur ad idem Innocent. in c. accedens, de præbend. Contrarium tamen probatur, quia possessio per procuratorem habentem mandatum generale acquiritur omnino glos. communiter recepta in d. §. per procuratorem. Bartol. in d. l. qui mihi donatum, nec in beneficiis quidquam impedit idem esse, cum possessio nihil juris tribuat, eaque ad factum pertineat. Et deinde glos. in d. c. si tibi absenti, in verbo, habueris, non exigit mandatum speciale ad acquirendam vel apprehendendam possessionem beneficii, sed acceptationem ipsius; quæ quidem acceptatio plurimum juris tribuit ei, cui collatum est beneficium, atque ita glos. fam interpretantur Aretin. & Herculan. n. 14. in d. §. per procuratorem. Item dicendum erit possessionem, quæ post acceptationem beneficii tantum ad factum pertinet, acquiri posse per procuratorem habentem mandatum generale; eam verò possessionem, quæ loco acceptationis fiat, ac tribuat jus in beneficio, non posse apprehendi procuratorem non habentem mandatum speciale, sicuti explicat Rota in Novis 290. & post eam Anton. & Imol. in cap. accedens, Francus in d. cap. si tibi absenti. Aretin. & Vincent. Herculan. in dict. §. per procuratorem, n. 14. Rebuffus in concordatis, rubric. de forma mandati Apostolici, in gloss. vel alterius pro eo.

10 Corporalis inductio traditione requiritur ad apprehensionem & acquisitionem & possessionis beneficii, cap. ut nostram c. ad hac. §. in quadam, de offic. Archidiacon. adeò quidem, ut non sufficiat investitura cum traditione annuli aut pilei ad acquisitionem possessionis glos. communiter recepta in c. auctoritate, de instit. Quod procul dubio verum est, cum investitura facta fuerit nulla præcedente collatione beneficii, nec ejus institutione, etenim in eo casu ipsa investitura collatio est, & simplicis institutionis vicem habet, secundum eandem glos. & Compostel. ac Joan. Andr. in c. transmissam de election. Abb. in d. auctoritate. Oldrad. consil. 143. Lambertin. de jure patron. 2. lib. par. 1. q. 1. art. 12. n. 21. & 3. part. ejusdem libri q. 11. col. 3. Abb. in cap. 2. col. penult. de consuetud. Selvam in tract. de beneficiis, 3. parte, q. 10. Rebuffum in tract. de pacific. possess. n. 10. & 21. modò fiat ab eo, qui conferre beneficium poterat, sicuti ab omnibus expressim probatum est. Imò & si is qui habet jus conferendi beneficium nulla præcedente institutione, ejusdem beneficii corporalem possessionem tradiderit, censetur eidem beneficium conferre, & cum instituere: nam ad hanc traditionem necessaria omnino est collatio, & ideo ex antecedenti necessario præmissa tacite subintelligitur, quod tradidere Rota in novis 441. Roman. consil. 337. Felin. in c. cum aliquibus ad finem, de re judic. Et poterit colligi à ratione glos. in dict. cap. auctoritate, idem securus Rotam tenet Lam-

bert, in d. quest. 11. n. 6. Quod si præcedente canonica institutione fuerit investitura per annuli traditionem ab eo qui possessionem corporalem tradere poterat, adhuc ex hoc non acquiritur possessio corporalis, sicuti sentit glos. in dict. cap. auctoritate, & in cap. ex ore, de his quæ fiunt à majori parte capitul. & in cap. accedens, de præbend. Dynus in regul. 1. n. 6. de regul. juris. Abb. in d. cap. auctoritate. Joan. Andr. in d. l. cap. transmissam, & ibi Abb. Alexand. in l. 3. n. 15. ff. de acquirend. possess. Jason. in leg. quoties, Cod. de vendit. n. 31. Lambertin. in d. q. 11. nu. 5. est etenim necessaria corporalis apprehensio, & traditio. Hæc verò investitura post alienationem factam, per annuli solemnem traditionem operatur confirmationem illius juris, quod per collationem translatum fuerat: nam confirmatio fit per aliquem actum, cum institutio solo verbo facta fuerit, quemadmodum explicant Dynus in d. regula 1. n. 9. & n. 18. & Lambertinus post alios in d. q. 11. & in d. art. 12. Habet præterea hæc investitura alium effectum, & eum satis singularem, cujus paulò ante meminimus hoc c. vers. primus etenim casus.

Sed si Prælati, aut is, qui habet custodiam Ecclesiæ vacantis, & tradere corporalem possessionem potest, in conspectu ipsius beneficii, per investituram, traditionem annuli, aliove modo possessionem instituto tradiderit; tunc sanè possessio corporalis acquisita censetur, ex l. quod meo, §. si venditorem, ff. de acquir. possess. quod verum est nemine beneficium possidente, sicuti adnotarunt Joan. Andr. & Compost. in d. cap. transmissam. Panormit. in cap. 2. n. 10. de consuetud. Rota in antiquis 153. & 302. Abb. & Fel. in c. cum aliquibus, de re jud. Abb. in dict. cap. auctoritate. Alex. & Jas. Lambert. in præcisiatis locis: nam jure ordinario Prælati habet custodiam Ecclesiæ vacantis, cap. cum vos, & ibi gl. de offic. ord. unde constat possessionem beneficii absque apprehensione corporali acquiri, quando in conspectu beneficii vacantis traditio possessionis aliquo actu & signo fit per eum, qui vel possidebat beneficium, vel ejus custodiam habebat, poteratque possessionem ejus corporalem tradere. Atque hoc ipsum probatur ad exemplum ejus, quod Jure Cæsareo traditum est de acquisitione possessionis per traditionem & clavium l. clavibus ff. de contrahen. empt. debet siquidem quoad hunc effectum clavium traditio fieri in conspectu ipsius rei cujus claves traduntur, secundum Bartol. in l. 1. num. 18. ff. de acquirend. possessione. Cujus opinionem contra Alexand. ibi defendit Jas. n. 91. & Ripa nu. 57. dicens hanc sententiam communem esse, cui suffragatur Jurisconsultus in d. l. clavibus, dum dicit, apud horrea, idem tenent Panormitan. in d. cap. de consuet. n. 2. Alberic. in d. §. si jusserint, col. 1. & Imol. 2. post Ant. atque idem Barbat. col. antepenult. in d. c. 2. & Socin. in l. 3. n. 24. ff. de acquir. possess. Et præterea oportet, tradentem claves, possessionem rei habere: quod notant Oldrad. consil. 209. Alberic. in l. 1. §. si jusserim, col. ult. ff. de acquir. possess. Ripa in dict. l. in princ. n. 59. Rota in novis 168. Socin. consil. 131. col. 3. lib. 1. Tiraq. de constitut. 3. part. lim. 1. n. 3. quorum sententia itidem communi omnium consensu ex ead. l. clavibus, recepta videtur. Hinc inferitur, non esse maximum discrimen inter traditionem possessionis quæ clavibus fit, & eam, quæ per annuli dationem vel investituram, imò nullum profectò discrimen constitui debet: utroque etenim casu traditio fit per actum corporeum, & in conspectu rei, & per eum qui possessionem rei habet, vel ejus custodiam, nemine possidente: quamvis Dynus in d. regul. 1. q. 3. inquirat rationem differentie inter has duas traditiones, præmittens, per investituram non acquiri possessionem beneficiorum Ecclesiasticorum; & ideo videns in aliis rebus eam acquiri traditione clavium, conatur rationem differentie constituere inter investi-

vestituram, & traditionem clavium. Nam si Dynus cogi asset, per investituram in conspectu beneficii factam, ejus possessionem acquiri juxta communem omnium sententiam; atque item considerasset, traditionem clavium non inducere acquisitionem possessionis, nisi facta fuerit in conspectu rei; statim deprehendisset non esse admodum necessariam rationem differentiae inter hæc duo, quæ plurimum similia videntur.

Cæterum Tiraquell. vir variae & indefessæ lectionis, deque Juris utriusque censura bene meritissimus, in *libello de jure consuet.* 2. part. ampliat. 5. adversus Bartolum existimat ad interpretationem *dict. l. clavibus*, minimè fore necessarium, quod clavium traditio fiat in conspectu rei quæ clavibus clauditur, citat ad hoc Imolam, Paulum de Castro, Alexand. Jasonem, & Claudium in *d. l. 1. in princip.* qui, ut ipse censet, Bartoli sententiam improbant, & præterea Decium *consil. 56. n. 2.* item adducit Cynum, Angel. & Salicet. in *l. 1. C. de donationibus*, & Al. x. in *l. 3. in princ. n. 15. ff. de acquirend. possess.* qui expressim tenent, traditionem instrumenti quo continetur jus donatoris, operari rei donatæ, & ejus possessionis acquisitionem, etiamsi ea traditio à donante donatario facta fuerit extra rei conspectum. Ego equidem fateor, Philippum Decium in *d. consil.* obiter post Alexand. in *d. l. 1.* tenuisse, per traditionem clavium possessionem transferri & acquiri, etiamsi non fiat traditio in conspectu rei. Ac negaverim omnino Paulum Castrentem, Imolam, Jasonem, & Claudium ejusdem sententiæ fuisse. Imò in specie *d. l. clavibus* Jason. num. 91. & Claudius n. 39. contra Alexand. asserunt, traditionem clavium factam fuisse, & fieri debere in conspectu horreorum, ad hunc effectum, ut messes intra horrea existentes & inclusæ, transeant in possessionem emptoris, licet non videantur, nec in conspectu sint. Reprobant tamen Paul. Imola, Alexand. Jason. & Claudius opinionem gloss. in *verb. primi*. Bartol. Cuman. & Roman. qui existimant ex traditione clavium horreorum non aliter transferri in emptorem mercium possessionem, quàm si emptor sciverit, quæ in parte horreorum sint merces, quæ quidem interpretatio merito refellitur, cum & falsa sit, nec Jurisconsulto conveniat. Quo fit, confusam fuisse à Tiraquello Doctorum allegationem. Ex quibus tandem deducitur, tunc esse necessariam clavium traditionem in conspectu rei, cum agitur de acquirenda possessione rerum quæ intra rem illam clavibus clausam continentur; non autem ad acquirendam ipsius rei quæ in conspectu est, possessionem, nempe domus, alteriusque fundi: nam & possessio tunc acquiritur per traditionem verbalem illius qui eam possidebat, in conspectu ipsius rei factam, *l. 1. §. si iusserim. & l. quod meo. §. si venditorem.*

Qua ratione, dum nostrates scribunt, per investituram factam à Prælate in conspectu beneficii possessionem acquiri; eorum opinio ita accipienda est, ut possessio acquiratur, sive fiat investitura dato traditoque annulo, aut pileo, aliove signo corporali, sive fiat possessionis verbalis traditio absque actu corporis, quod est omnino semper hac in questione obervandum.

Id verò, quod Tiraquellus adduxit ad *l. 1. C. de donationibus*, mihi profectò placet, itaque opinor in specie illius constitutionis non fore necessarium conspectum ipsius rei; quod & Accursius *ibi in 2. parte gloss.* tenuit, tamen contrarium dixerit in *principio*: idque Bild. *ibi*, & Andr. Fern. in *o. in princip. quid sit investitura*, probaverint, priorem etiam interpretationem Cyni & aliorum sequitur in *ead. l. 1.* Alberic. sentiens eam communem esse, quam & Azor. probat in *rubr. C. don. no. col. ult.* Et est ratio, quia tradens instrumentum, in quo continetur jus ei

tradere videtur, & ex eo possessionem ipsius rei, quod etiam tractarunt DD. post gloss. in *e. sanè de renung.* maxime Card. Anton. & Bald. idem Ant. in *c. veniens*, 2. col. *ead. tit.* Anton. Abb. & Imol. in *c. Eccles. in 2. ut lite pendente*. Alex. Jacob. & Jal. in *l. 2. ff. de pact. sic & in regia constitut.* 17. Tauri, expressum est, meliorationem à patre filio factam, irrevocabilem effici, si coram notario instrumentum seu scripturam meliorationis pater filio tradiderit: etenim is effectus obtinebit, etiamsi traditio fiat extra conspectum rerum quæ sub melioratione fuerint comprehensæ. Ex ea verò lege quibusdam videtur ex *l. 8. tit. 30. part. 3.* quæ similis est *d. l. 1. C. de donatio.* eam possessionis acquisitionem donatario fieri non tantum, si tradatur à donatore instrumentum continens jura & titulum rei donatæ, sed etiam si ei traditum fuerit ipsius donationis instrumentum, quod est contra Galiel. de Cuneo in *l. licet, C. de acquir. possess.* Imol. & Alex. in *l. 3. in princ. n. 11. ff. eod. tit.* Bald. in *l. ab emptore. 3. col. ff. de pact.* quorum opinio communis est, & *d. l. 1.* intelligitur in traditione instrumenti, quod jus tradenti, & titulum rei donatæ continet; expressim aliud esse significans in traditione instrumenti ipsius donationis vel venditionis; quod Jure Cæsareo apertissimi juris esse censet: ac Jure Regio hæc falsum apparet, propter Regias constitutiones, quibus (ut quidam existimant) statutum est, possessionem rei donatæ acquiri omnino donatario per traditionem instrumenti donationis, Et tamen si hæc sententia admittenda est, oportet eam in praxi recipere eo casu, quo traditio instrumenti facta fuerit donatario præsentie tabellione, quemadmodum Taurina constitutio dicitur. Id verò nec jure communi, nec Partitarum lege necessarium unquam fuit. Ipse profectò maxime dubius sum de hac opinione, quippe qui videam ex *d. l. 1. C. de donatio.* manifestè deduci, eam constitutionem non in instrumento donationis, sed in instrumento, quod titulum & jus ipsius rei competens donatori continet, esse profus intelligendam. Regia verò constitutio, quæ Taurina est, tantum probat, meliorationem filio à patre factam, revocari non posse, si ejusdem donationis instrumentum coram notario ab ipso patre meliorante filio meliorato traditum fuerit. Ex quo minimè consequitur, eadem lege necessariò probari, per eam traditionem possessionem rerum quæ in meliorationem veniunt, filio acquisitum fuisse, cum & absque traditione possessionis per eam legem, ex aliis causis, donatio meliorationis irrevocabilis censetur, & ipsa traditio instrumenti, ut causa distincta à traditione & acquisitione possessionis proponatur. Deinde Partitarum lex ita poterit accipi & intelligi, ut ex ea deducamus: donatario acquiri rei donatæ possessionem per traditionem à donatore factam instrumenti, ex quo donator ipse illius rei jus habuit; vel si id confectum non fuerit, aut amissum perditumque sit, vel ipse donator illud velit retinere; aliud denuo fiat ejusdem juris, quo contineatur donatoris titulus, & id per donatorem donatario tradatur. Sic sanè præmissa lex eam interpretationem habebit, quæ minus jus vetus communive assertiones lædat. Non hæc scripsi, ut statim id omnibus persuadere velim, nec contumaci disputatione tutari; libens enim in contrariam iverim sententiam, ubi maturius cogitanti aliud verius appareat.

Acquiritur item possessio beneficii per traditionem factam extra ejus conspectum, quoties propter pestem, aliamve justam causam non est tutus accessus ad beneficium ipsum, nec ad Ecclesiam, nec ad eum aspectum, secundum Alberic. in *l. 1. §. si iusser. ff. de acq. possess.* Abb. & Felin. in *cap. cum aliquibus de re judic.* Ripam qui hanc asseverat communem esse, in *trac. de peste. 2. par. privilegio. 19. contract.* optimus text. in *leg. §. fenita. §. illud. ff. de damno infect. l. cum unus. §. ult. & leg. quamvis. ff. de bon. aucter. jud. possid. cap. contingit. de dolo*



**Contumacia.** quibus probatur, executorem iudicis iubentis aliquem mitti in possessionem alicujus rei, posse eandem possessionem tradere, vel in conspectu rei vel extra ipsum conspectum, si non est tutus ad ipsam rem accessus, ob potentiam, occupationem & vires alterius, modo adversus illum lata fuerit sententia juris ordine servato: cum alioqui possessione, quam habet, privari non possit, sicuti explicant præter alios Abb. & Felin. in d. c. cum aliquibus. Rota in antiquis 717. Ripa in dict. privilegio 16. sensit Bart. in l. 1. ff. de acquirend. possess. col. pen. n. 23. vers. quæro quid si executor.

Verum illud est hac in controversia adnotandum, **capta possessione corporali beneficii aut dignitatis** in ipsa Ecclesia, cujus titulum & nomen dignitas habet, cæteri apprehensam & captam possessionem omnium rerum ad beneficium vel dignitatem pertinentium, secundum Bartolum & Aretinum in leg. cum hæredes, ff. de acquirend. possessione, in princ. Ancharan. in regul. sine poss. col. 18. de regul. jur. Abb. in dict. cap. cum super col. 4. de caus. possess. & propriet. Bertachin. de Episcopo, 3. lib. 1. part. 9. 56. & Lambert. de jure patronat. 2. lib. 3. part. 9. 11. art. 9. nam Ecclesia licet pastore vacet, possidet tamen omnia bona ad dignitatem pertinentia, auctore Innocent. in c. ex part. de arbit. & in d. c. super idem in cap. cum in officiis, de testam. Bart. & alii in l. 1. §. ultim. ff. de acquir. possess. optimus textus in leg. jubemus in fine, Cod. de sacrosanct. Eccles. & in l. raptores; C. de Episcop. & cler. Non tamen sufficit accipere, nec apprehendere possessionem corporalem unius rei ex pluribus, quæ ipsius beneficii vel dignitatis sunt, etiamsi nomine aliarum rerum apprehendatur possessio, ut & reliquarum possessio acquisita censeatur: quod colligitur ex d. l. cum hæredes, & his, quæ inibi traduntur, & in specie tenent Dyn. in regul. 1. de reg. jur. qu. 4. Angel. in d. reg. sine possessione, col. 19. Abb. in d. c. cum aliquibus, de re judic. 2. col. Joan. Andr. & Franc. in d. reg. 1. licet contrarium tenuerint Innocent. in cap. ex litteris, de restit. spoliator. & Rota nova 277. in quo cavendum est à Nicolao Boerio, qui in additionibus ad Dynum d. qu. 4. falso plures auctores retulit ad hujus opinionis examen.

## CAPUT XVII.

Evictionis materia ad Gregorianæ constitutionis interpretationem expenditur.

## SUMMARIUM.

- 1 Emptor rei aliena scienter, quamque scit venditoris non esse, ea evicta poterit ad pretium agere.
- 2 Intellectus ad text. l. emptorem, §. vel ff. de actio. empt. & l. qui libertatis, ff. de evictio.
- 3 Venditori etiam scienti denuncianda est litis questio. Et quidem solemniter.
- 5 Ecclesia an constituat debitorem in mora, sine interpellatione? & inibi intellectus c. potuit, de locato.
- 4 Juramentum appositum venditioni efficit ut venditori scienti non sit necessario denuncianda litis questio.
- 6 Venditor tenebitur de evictione, etiam non denunciata lite, modo emptor probe justitiam evincens.
- 7 Venditor promittens evictionem, quocumque casu modo fuerit res evicta, tenebitur de evictione, etiam in casibus quibus alioqui non teneretur.
- 8 Quo tempore fieri debeat denunciatio litis mora.
- 9 Emptoris contumacia quando privet eum jure & actione evictionis.
- 10 Sententia contra emptorem lata per imprudentiam iudicis, non nocet venditori.

**S**i vendita res legitime fuerit evicta, regulariter adversus venditorem de evictione datur emptori actio: ut pretium restituatur cum omnibus damnis, cumque omni eo quod emptoris intetlit, rem venditam evictam non fuisse l. non dubitatur, l. si cum questio. C. de evictio, leg. tenetur, §. si tibi iter. & §. ult. ff. de actio empt. leg. vendit. & leg. evicta re. ff. de evictionib. Frequentissime tamen hæc regula fallit; nam quadraginta casus, in quibus emptor non potest agere de evictione, commemorat, Matth. de Afflict. in rubric. quibus mod. feud. amitt. §. rursus. si fidejubes, n. 16. quorum præcipuos cõpendio quodã eleganti explicat Gregorius IX. cap. ult. de empti. Si venditori, inquit, post institutum contra se iudicium quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nunciare, vel contumaciter absuit tempore sententia promulgata, seu per injuriam sententia lata fuit, de evictione juxta legitimas sanctiones agere valebit. Cui constitutioni convenit Regia lex 36. tit. 5. part. 5. Ejus autem examine præmittam, emptorem rei ÷ alienam, quam tempore contractus scit alienam esse, non ipsius venditoris, nec ab eo vendi posse, habere nihilominus, si evictio secuta fuerit adversus venditorem actionem, ad repetendum pretium quod dederit, licet non habeat ordinariam de evictione actionem ad damna, ad rei evictæ æstimationem, nec in id quod ejus interest, propter malam fidem, & scientiam rei alienæ quod Aretinus adnotavit, allèverans communi omnium iudicio receptum esse, in leg. si aliquam rem ff. de acquirend. possess. cui adtipulatur primò text. in l. ult. §. ult. Cod. commun. de legat. qui secundum receptam interpretationem probat emptorem, qui fundum subjectum restitutioni vel fideicommissio scienter emerit & melioraverit, illo evicto habere actionem tantummodò ad pretium, non meliorationes, nec ad duplam, etiamsi ejus præcesserit stipulatio. Ea vera constitutio, ut hoc obiter admoneam; procedit & obtinet inter emptorem, & venditorem, non autem loquitur inter emptorem & evincens: non enim excludit emptorem à consecutione & recuperatione meliorationum respectu evincens, ad quem meliorationes perveniunt sine cauta: imò poterit emptor eas meliorationes retinere, aut deducere: vel reperere secundum distinctionem, quæ in impensis factis à mala fidei possessore, vel in re subjecta restitutioni, traditur in leg. domos, ff. de leg. 1. leg. in fundo, ff. de rei vendic. leg. domum, Cod. eod. tit. leg. si in area ff. de condic. indebit. atque ita in specie notat Carolus Molinæus in consuet. Parisiens. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 76. Constat igitur non impedire malam fidem emptoris, quin pretium datum venditori repeti possit, si res fuerit evicta. Ad idem secundò facit textus insignis ÷ in legat. emptorem, §. ult. vers. item ait ff. de actio. Ex quo palam deducitur, etiam in contractu venditionis, ea lege dicta quod venditor quocumque casu nihil evictionis nomine præstare teneatur, posse adhuc emptorem re evicta ad pretium agere, quam gloss. in verb. conventionibus Paul. de Castr. & DD. ibi tenuerunt & Bald. in l. 1. col. ult. C. de pericul. & commod. rei vend. Quod sanè verum est, ubi in genere evictio excipitur: at, si ita conventum sit, ut venditor non teneatur de evictione, si res emptæ evicta fuerit à Titio, vel ex causa libertatis, secus erit quia nec pretium agere poterit emptor, quemadmodum voluerunt gl. Fulgol. Angel. Salic. & Barb. in l. qui libertatis. ff. de evictionibus. Lud. Roman. in sing. 482. Paul. Castr. in d. l. empt. §. ult. Bald. & Salic. in l. 1. C. de peric. & com. rei vend. col. ult. Hipp. in sing. 656. Ant. Burg. in e. ult. n. 25. de empt. vend. Matth. de Afflictis in dict. §. rursus. n. 32. & Ang. Aret. in §. actionum, n. 22. Inst. de actionibus, ea ratione, quod ubi in genere venditor exceperit, se nolle obligari, nec teneri de evictione, non poterit emptor certus esse de causa evictionis nec de jure, quod aliter ad rem venditam competere poterat.

tetate: unde æquum non est, nec juri consonum, quod tunc pretium amittat. Quod si in specie certæ evictionis causa excipiat, tunc culpæ emptoris tribuendum est, si prius quàm emit, non adhibuit diligentiam, quæ necessaria erat ad acquirendam & investigandam evictionis certitudinem; & ea ratione nec pretium petere poterit re evicta, sicuti Baldus scribit *in d. l. qui libertatis*. Quo in loco Odofredus hanc sententiam probat, quoties in specie titulum & causam evictionis venditor exceperit, ita quidem, ut non sufficiat ad pretium admittendum exceptio causæ alicujus generaliter expressa, nempe libertatis, nisi & in specie excipiat causæ & tituli nomen, scilicet libertatis ex titulo testamenti Sempronij. Ego non diffiteor hanc opinionem Accursij communem esse: eam tamen censco satis dubiam, & omnino, ut liberè loquar, falsam esse. Primum enim ea sententia non probatur *in d. l. qui libertatis*, quod apertissimè constat. Deinde iniquum est, quod apud venditorem maneat pretium rei venditæ, cujus ipse nec dominium, nec ullum jus habuit, nec ratione communionis in emptorem transtulit, idque justitiæ commutativæ refragatur, nec licet venditorem locupletari cum emptoris jactura. Præterea quod venditor teneatur, & cogendus sit pretium restituere, præter illius æquitatis rationem, cujus meminit Jurisconsultus *in l. si me & Titium, ff. si certum petatur, l. nam hoc natura, ff. de condition. indeb. l. planè, §. sed benignus, ff. de petit. hered. probatur*, quia vel pretium istud pertinet ad venditorem, potestque ab eo retineri jure venditionis, & contractus commutationis rei & pretij, vel causa donationis saltem præsumptæ, aut in penam emptoris rem alienam scienter & mala fide ementis, nulla harum causarum in hac specie sufficiens. Igitur pretium iniquè à venditore retinetur, & justissimè est emptori reddendum.

Prima quidem causa manifesta deficit, eò quod, cum res vendita fuerit aliena, & ab emptore evicta, nec transferit in ejus dominium jure commutationis, venditor eo titulo pretium habere nequit.

Secunda causa satis debilis est, cum donatio minimè sit præsumenda, ubi alia tractatur causa, scilicet commutatio rei & pretij.

Tertia item non probatur jure: nec enim sequitur, consensu emptoris fuit excepta specialis evictionis causa; ergo emptor scivit rem alienam esse, & habuit malam fidem, potuit sanè cogitare, & existimasse, nihil periculi sibi ex evictionis causa, quæ excepta fuit, imminere, & idem consensit exceptioni, minimè ex aliis causis venditorem liberans ab evictionis obligatione. Eric tandem satis venditorem ratione illius causæ exceptæ immunem fore ab actione evictionis, quoad damna, rei æstimationem, & ejus quod intererit emptoris absque eo, quod etiam liber is sit à redditione pretij, cum id nulla ex causa apud se teneat; & tamen tenebitur evictionis actione omnino in id quod interest rem evictam non fuisse, si ex alia causa fuerit ab emptore justè ablata & evicta. Hujus sententiæ adversus communem auctorem adduco Alberic. qui unico verbo *in dict. l. qui libertatis*, eam tribuit gloss. ibid. Forfan equidem in aliquot Codicibus ita fuit scripta Accursij interpretatio, ut hanc potius quàm priorem opinionem probaret. Nam & Fulgol. *in ead. l. qui libertatis*, ægrè tulit, quod quibusdam visum fuerit, Accursium posteriorem sententiam tenuisse: sic & Odofredus primam opinionem Joanni non Accursio adscribit.

Ad eam quæstionem, à qua digressus sum, rediens, etiam existimo Aretinum errasse, cum ejus opinio nec communis sit, nec vera. Constat namque emptorem rei alienæ cum mala fide, & certa rei alienæ scientia non posse de evictione etiam ad pretium agere. Id probat textus expressus *in l. si fundum, C. de evict. notant Jafon. & alij in l. ult. §. ult. C. commun.*

*de elgat. Joan. Lup. in rubric. de donat. §. 65. n. 53. optimus text. in l. 21. iii. 8. part. 5. facit text. in leg. si fra- tres, Cod. commun. utriusque jud. de ejus tamen intellectu omnino legendi sunt Bart. Bald. & Doctor. ibid. Non obstat text. in leg. ult. §. ult. Cod. commun. deleg. quia in ea constitutione non fuit empta res aliena simpliciter, sed res venditoris, subiecta tamen restitutioni & fideicommissio, & nihilominus duo inibi statuuntur specialia. Primum, quod emens eam rem scienter, agere possit ad pretium, etiam nulla apposita stipulatione. Secundum, quod etiam apponatur promissio & stipulatio evictionis, non possit emptor re evicta agere de evictione, nisi ad pretium tantum, quemadmodum DD. *in eo §. ult. tradiderunt*. Item non obest text. *in d. l. emptorem, §. ult.* nam ibi emptor non habuit malam fidem, nec scientiam rei alienæ, etiam si consenserit legi dictæ à venditore, qui ita conventionem iniecit, ut evictione minimè teneretur, atque ita hanc quæstionem definiunt DD. ibi Bald. & alij *in leg. si familia, colum. 2. Cod. familia herciscund.**

Deducitur tandem ex Gregoriana constitutione primus casus, quo non tenetur venditor de evictione scilicet cum emptor litem sibi motam, eidem venditori, ut cum defenderet, minimè denunciaverit, idem probatur *in l. 1. C. de peric. & commod. rei vend. l. empto. C. de evict. on. Regia l. 38. iii. 5. part. 5.* quæ quidem conclusio aliquot habet interpretationes, quarum præcipuas breviter attingam.

Primò sanè hoc procedit & obtinet, † etiam si venditor sciverit, litem fuisse motam emptori super re vendita: nam adhuc, ipse teneatur de evictione, erit necessaria denuntiatio. Etenim cum denuntiatio exigitur solum ad scientiam simplicem, non est ea necessaria, nec oportet ut scienti fiat, *reg. cum qui certus, de regul. jur.* at ubi denuntiatio requiritur, non ad simplicem scientiam, sed ut sciens aliquid faciat, tunc semper necessarium est, quod etiam scienti denuntiatio fiat, *l. denuntiasse, §. quid ergo, ff. de adult. qua ratione Bart. ibi in specie evictionis hanc opinionem tenet idem Bart. in l. non solum, is morte, n. 52. ff. de novi oper. nuntiat. Abb. & alij in dict. c. ult. quorum sententiam sequuntur dicentes eam esse communem Felin. *in cap. cum M. nu. 56. Ripa num. 166. de conf. Dec. conf. 70. col. 2. Anr. Burg. in d. cap. ult. col. 3. & noviores in d. §. morte.**

Secundò non sufficit denuntiatio simplex, imò ea fieri debet cum protestatione & requisitione venditori præmissa, ut liti motæ adhistat, causamque defendat: text. optimus *in dict. cap. ult. & in dict. l. 1. Cod. de peric. & comm. d. rei vend. gloss. ult. Clem. causam de elect. & ibi Abb. Bart. in d. §. morte, n. 51. & ibi Rom. n. 11. idem Bart. in d. l. denuntiasse §. 1. notat. Alciat. in l. detestat. colum. 13. ff. de verbor. signific. & est communis opinio secundum Felin. *in d. c. cum M. nu. 64. & ibi Ripam n. 165. Anton. Rubeum in d. §. morte, n. 977. & Burgens. in d. c. ult. col. 3.* quæ probatur expressim alia & sequenti hujus quæstionis interpretatione.*

Tertiò adhuc non sufficit scientia venditoris, imò nec denuntiatio simplex, nec solemnitas, cum requisitione, sed requiritur quod ea denuntiatio fiat venditori cum ipsius libelli & citationis testimonio, ut ipse venditor ex publica fide instruat ad ejus defensionem. Hoc deducitur à gloss. *in d. Clem. causam de electio.* quam sequuntur inibi Cardin. & DD. Felin. *in c. cum contingat. de rescript. 6. Bart. in d. §. morte n. 48. & ibi Alexand. n. 42. & Jaf. n. 38. post Roman. n. 12. Felin. in d. cap. cum M. n. 63. & Ripa n. 163.* Ex quibus & his qui ab eis citantur, apparet, hanc opinionem magis communem esse, & idèò servandam fore in praxi, tamen si Imol. *in d. c. ult. & ibi Barbat.* quos quidam alij sequuntur, contenderint non esse præcisè necessariam etiam simplicem denunciationem, quoties ipse venditor sciverit litem motam fuisse emptori, quod sensit Accurs. *in d. l. emptor. C. de evict.* quo

quo in loco Doctores priorem sententiam sequuntur. Ego vero etiam si tertiam hanc conclusionem veram esse contendam, non tamen omnino admitto secundam interpretationem, imò cenſeo ſufficere ſolemne denunciationem ab emptore cum publico propoſitæ actionis teſtimonio factam etiam ſi expreſſim is requiſitus non fuerit, ut emptorem defendat. Quod tenet Bald. & Salicet. in l. i. C. de pericul. & commod. rei vendit. Jalon. in d. §. morte. n. 39. & ibi Alexand. n. 45. Anton. Burgenſ. in d. cap. ult. num. 4.

Quartò illud maximè controverſum eſt, an prædicta denunciatio ſit neceſſaria, cum emptor aut minor eſt, aut Eccleſia. Nam in minore conſtat, eam neceſſariam non eſſe, imò ſatis eſſe, ut venditor teneatur de eviſione, quòd ipſe venditor ſciat litem minori motam fuiſſe, cum minor abſque interpellatione conſtituat debitorem in mora. text. in d. l. in minorum. C. in quibus caſibus, in integr. reſtit. non eſt neceſſ. Idem in † Eccleſia dicendum eſſe quibuſdam placuit ex eo, quod minor & Eccleſia æquiparentur à jure. c. i. c. auditis. & ibi gloſſ. in verbo minoris. de in integr. reſtituit. gloſſ. in l. Republica. verb. ſolet, & Bart. C. ex quibus cauſ. major. idem conſtat auctoritate gloſſ. in §. ex maleficiis in verbo, iudicium, de actionib. quam ſequuntur ibi Jaſ. n. 31. & Gomez n. 49. poſt Nicol. de Neapol. qu. 17. Joan. Fab. & Angel. Aretin. ibi & Roman. ſingul. 116. ex ea adnotantes, favore Eccleſiæ, ſicut & minorum, conſtitui debitorem in mora abſque interpellatione. Idem tenent Imol. in cap. brevi, de jurand. Alexand. in l. quod te mihi colum. 3. ff. ſi cert. petat. n. 8. Matheſil. notab. 44. Bald. in l. i. C. de pericul. & commod. rei vend. Purpurat. in d. l. quod te mihi. n. 95. Roman. in d. §. morte. n. 10. & ibi Rubens n. 711. Roman. in l. ſi ex legati cauſa, n. 9. ff. de verb. obligat. & ibi Aretin. n. 6. Didac. à Segura num. 189. Bald. in authent. hoc amplius. 3. col. C. de fideicommiſſ. nu. 16. & ibi Jaſ. col. 3. Atque ita in hac ſpecie de eviſione tenent, Eccleſiam poſſe agere adverſus venditorem, qui ſcivit litem motam fuiſſe, ſi res eviſa fuerit etiam abſque ulla denunciatione, Bald. in d. l. i. C. de peric. & commod. rei vendit. Roman. n. 10. & Rubens n. 711. in d. l. §. morte. quorum opinio palam probatur ex dict. gloſſ. in §. ex maleficiis, quæ communi omnium conſenſu recepta videtur. Sed contrariam ſententiam in hac propoſita quæſtione probarunt Barbat. & Anton. Burg. in d. cap. ult. de empr. n. 9. qui præſertim conantur evertete conclusionem, quam deduximus à gloſſ. in d. §. ex maleficiis. Primò per text. in c. brevi, de jurejurand. qui inſinuat, neceſſariam fore interpellationem, ut Eccleſiæ debitor conſtituatur in mora. Secundò adducitur text. in cap. potuit, de legat. ubi præmittitur non potuiſſe conſtitui in mora Eccleſiæ emphyteutam ſine interpellatione, niſi contractus & penſionis ſolutio diem certum conſtitutum haberet. Deinde & tertio Anron. Burgenſ. cenſet gloſſ. in d. §. ex maleficiis. veram eſſe quoad ea, quæ in teſtamenti Eccleſiæ relinquuntur, hocque probat auctoritate Bald. in l. i. C. de ſacroſ. Eccleſ. in rep. n. 47. & Fel. in c. licet Heli. de ſimon. nu. 4. Quæ quidem minimè obſtent communi omnium ſententiæ, Nam licet Romanus Pontifex in d. cap. brevi, ex facto, quod ita contigit, meminerit interpellationis, non ex hoc cenſet, eam fuiſſe neceſſariam: imò etiam ſi abſque interpellatione, ſaltem ratione juramenti, foret debitor in ſpecie illius text. conſtitutus in mora ſecundum Joan. Andr. Abb. Imol. & alios ibi, quoties ex tacita lege conventionis, & ejus naturæ competentem eſſe debitori, Eccleſiam ejus auxilio, quod is præſtare promiſerat, indigere. Quem intellectum ad illum text. etiam probaverunt Jaſ. l. quod te mihi, nu. 22. & ibi Purpurat. n. 97. ff. ſi certum petat. Aretin. in d. l. ſi ex legati cauſa, n. 6. idem conſ. 150. col. 4. & in l. ita ſtipulatus, col. 8. ff. de verbor. oblig. & eſt communis opi-

nio ſecundum Deci. in d. l. quoties n. 11. atque ita juxta præmiſſam interpretationem illa decifio non obertit priori ſententiæ.

Multo minùs præjudicat text. in d. cap. potuit, ex quo ſolum colligitur, emphyteutam Eccleſiæ non aliter in mora conſtitui, quam ſi per biennium ceſſaverit à ſolutione penſionis. Nec tamen ex hoc neceſſario inferitur, numquam Eccleſiæ debitores in mora conſtitui, niſi per interpellationem, aut per lapſum diei: hoc etenim non ſequitur ex primo Nam requiritur biennij tranſcurſus, quia is dies ad pœnam commiſſi, quæ legalis eſt, à lege fuit conſtitutus. Unde liberum erit, non obſtante ea decifione, tractare, an appoſito die, committatur mora irregularis abſque interpellatione in Eccleſiæ favorem, ſicut item committitur in favorem minorum. Item alia ratione non obertit text. in d. c. potuit, quia in eo agitur de committenda pœna in Eccleſiæ commodum, non de committenda mora quoad ſolvendum Eccleſiæ intereſſe. Siquidem Eccleſiæ benignitate quadam ſatis eſt, quòd exigat id, cujus intereſt: pœnam autem non ita faciliter debet obtinere, nec petere. c. ſuam de pœnis: tradidi ipſe lib. harum reſolut. c. 7. n. 1. Et probatur in eod. c. potuit, ubi datur locus purgationi moræ, etiam ſi dies, & pœna appoſita fuerit contractui, idque obertit ea ratione, quòd tractetur de pœna in favorem Eccleſiæ à privatis exigenda, cum Eccleſia benignitate uti debeat. Itaque aſſerunt eum text. intelligendum eſſe, ut in Eccleſiaſtica emphyteuſi ſit ſpeciale, Jaſon in l. 2. C. de jure emphyteut. 9. 29. n. 80. Angel. & Imol. in l. ſi inſulam. ff. de verbor. obligat. ubi Ripa n. 37. & 51. inquit, hanc opinionem communem eſſe, idem notat Imol. in dict. cap. potuit. Hoſtienſ. in tit. de arbitris. §. qualiter conſtituatur. verſ. ſed numquid. Cum alioqui, ubicumque eſt dies & pœna etiam à lege impoſita; locus non ſit purgationi moræ quemadmodum tenent Angel. Imol. Alexand. & Claud. n. 23. in d. l. ſi inſulam. tenſit Bart. ibid. 4. oppoſ. 1. part. ut ſcribit ex l. 2. C. de jure emphyt. non eſſe locum purgationi moræ, & tamen inibi adest contractui pœna legalis cum die iisdem dato à lege, & quamvis Bald. in l. cum allegas. in 6. oppoſ. C. de uſur. quem defendit Gomez in §. actionum. de action. col. 2. velit eſſe admittendam purgationem moræ, ubi adest dies & pœna in contractibus bonæ fidei, cenſeatque idem Bald. alibi, omnes contractus Jure Pontificio eſſe bonæ fidei, hocque nomine cenſendos fore; quia tamen apud me utrumque maximam dubitationem habet, ac planè falſum ſit, quod hoc in loco examinare non vacat; tradunt latè Jaſ. in l. eſſi poſt tres. col. ult. ff. ſi quis cauſ. idem Jaſ. & Ripa n. 43. in d. l. ſi inſulam. poſt Imol. & Alexand. ibidem; mihi verior ratio decidendi ad cap. potuit. apparet ea, quam communi ſententia probatam eſſe diximus. Regia verò l. 28. tit. 8. part. 5. etiam in emphyteuſi privata, & in foro ſæculari admittit ac recepit Juris Pontificij conſtitutionem, addit tamen moram purgari poſſe intra decem dies à lapſu biennij aut triennij, quod tempus Jure communi arbitrio judicis definiendum erat ex gloſſ. in d. cap. potuit quam ſequuntur ibi Abb. & alij, ac Jaſon. in d. l. 2. g. 30. ex quibus falſum videtur, quod reſpondent Barthol. Cæpola cauſel. 208. Decius conſ. 140. col. 3. idem conſ. 338. col. 2. & Catel. Cotta in dictione, emphyteuta non ſolvendo, exiſtimantes, moram ab emphyteuta etiam celeri ſatiſfactione purgari non poſſe, ubi dominus ſtatim ante purgationem moræ proteſtetur adhuc abſente emphyteuta, quòd non vult eum ampliùs habere emphyteuſim illam, imò ſeipſum omnino rem jure commiſſi revocare. Eſt etenim dura nimis hæc ſententia, nec conveniens æquitati, qua hac in re jura ipſa utuntur. Quoties autem dixi, non eſſe locum purgationi moræ, ubi adest dies, & pœna legalis, intelligo legalem pœnam, non intereſſe (nam id verà pœna non eſt) ſed propriam pœnam,

penam, quæ non sit contrahenti in interesse. Et igitur ex his, minime suffragari Barbatio nec Antonio Burgenfi textum in d. c. potuit.

Ultimò parum urget interpretatio Burgenfis ad gloss. in d. §. ex maleficiis; quia ea falsa est. Nam hac in re ultimæ voluntates & testamenta paria sunt contractibus bonæ fidei: text. est in d. l. in minorum cujus præter DD. ibi meminere Barr. in l. si cum te. ff. de pact. colum. 1. & Jas. in d. §. actionum. n. 5. Unde constat opinionem Baldi in d. l. 1. C. de pericul. & commod. rei vendit. in favorem Ecclesiæ admittendam esse, præsertim quod ubi venditor sciverit litem motam fuisse Ecclesiæ, eo ipso intelligit, Ecclesiam indigere ejus auxilio ad defensionem litis; & idè ex hoc venditor quodam jure speciali requisitus censetur, & ut liti adistat tacite interpellatus.

Quintò sufficiens est simplex scientia venditoris, ut is conveniri possit evictionis actione, si ipse venditor juramento præstito contractum venditionis iniierit: hac etenim ratione, & vi ꝑ juramenti effectum est, quod non sit necessaria denunciatio, nec requiratur interpellatio ad constituendum debitorem in mora, quod in genere tenent Joan. Andr. & Abb. in d. cap. brevi. Imola ibidem & alij, quos citavi paulò antè in responsione ad text. in d. c. brevi, dum tenui, etiam absque interpellatione, illius capitis responsum obtinere. Et in hac specie & materia evictionis hanc opinionem probant ex dicta ratione Alex. in l. 2. §. voluntatem. colum. penult. ff. solut. matrim. n. 16. Barbat. in cap. ult. de empt. & vendit. vers. 5. & ibi Anton. Burgenf. n. 11. Claudius in d. §. morte. num. 202. & ibi Anton. Rubeus n. 687. Joan. Lup. in c. per vestras. de donat. int. vir. & uxor. §. ult. n. 31. Purpurat. in d. l. quod te mihi. n. 92. & quamvis Alexand. in d. l. quod te. n. 8. reprobet sententiam Joan. Andræ, & aliorum in d. cap. brevi; ea tamen frequentiori omnium consensu recepta: maximam præbet huic opinioni auctoritatem, ut idem Alexand. fatetur in d. §. voluntatem. Nec quidquam oberit, quòd juramentum contractui appositum ipsius contractus naturam & legem sortitur & obtinet. l. ult. C. de non numerat. pecun. l. ult. ff. de libera caus. c. quemadmodum. de jurejurand. Et de natura hujus contractus est, quòd venditori sit denunciandum litem motam fuisse emptori, ut is teneatur de evictione, sicuti probatum est. Nam etsi sciam naturale esse huic contractui, quòd venditor teneatur de evictione; quod tamen denuncianda sit ei scienti litis quæstio, hoc non existimo esse naturale, nec proprium hujus contractus, sed generale, & omnibus aliis conveniens ad more constitutionem: atque idem accidentale, nempe ut hoc requiratur regulariter attentò rei statu, & ejus qualitatibus. Etenim non opinor hanc denunciationem, quæ scienti fieri debet esse naturalem, quod colligo ex notatis per Baldum in l. 1. col. 1. C. commodat. licet interpellatio de natura cujusque contractus sit ad constituendum in mora debitorem, quoties ipse debitor incius est, atque ignorat creditoris necessitatem. At juramentum sortitur naturam contractus cui accedit, primo dialem quidem, non accidentalem, sicuti communiter receptum est ex gloss. in l. certi conditio. in pr. ff. si certum, petatur. argument. l. item veniunt. §. cū n. prædiximus. ff. de petit. hered. Bald. in cap. ult. colum. 2. de jurejur. idem Bald. in l. una. §. sed si non. C. de uxor. actio. Ex quibus mihi placet, denunciationem non esse necessariam, quoties venditor solverit, litem motam fuisse emptori, & ipse venditor juramento præstito, in contractu venditionis promiserit in specie se defensurum emptorem, si quæstio mota super re empti fuerit, sicuti præmittunt omnes, quibus hæc sententia placuit. Alioqui si venditor simpliciter juramentum præstiterit, juraveritque in genere contractum ipsum venditionis, forsitan erit necessaria denunciatio, ac tunc juramentum hoc generale contractus ipsius le-

ges & condiciones habebit: quod est maturius considerandum, siquidem Alexand. in dist. l. quod te. n. 8. omnino reprobat eam opinionem, qua assertum est, ratione juramenti motam contrahi & committi absque interpellatione.

Sextò quamvis aliàs emptor jure ordinario agere non possit de evictione adversus ꝑ venditorem, cui non denunciaverit litis quæstionem, nihilominus eadem evictionis actio obtinebit, & poterit contra venditorem proponi, etiam non facta denunciatione, aliisque omnibus solemnitatibus, modò emptor ipse probet jure ab eo rem evictam fuisse, onusque suscipiat probandi justitiam evincentis, nullumque jus habuisse venditorem, quo posset rem illam vendere. Hoc probatur in l. emptorem. in princip. ff. de actio. empti. ubi hanc sententiam tenent Fulgos. & Alberic. Bald. & Angel. in l. si cum quæstio. C. de eviction. Barr. Angel. & Paulus Castrensis in l. atqui natura. §. cū me absente. ff. de negot. gest. Roman. & Alex. n. 49. in d. §. morte Alexand. conf. 63. n. 12. lib. 6. Claud. in d. §. morte. n. 101. & ibi Rub. n. 735. Imol. num. 27. Barbat. col. 3. Anton. Burgenf. n. 7. in d. cap. ult. de emptio. Jas. in l. si domus. §. de evictione. ff. de legat. 1. col. 2. Fel. in cap. cū olim. n. 11. & in cap. cū Bertholdus. n. 24. de re judicat. Matth. de Afflicis decis. 49. Carol. Molinæ in consuet. Parisiens. tit. 1. §. 44. col. penult. & est communis opinio, sicuti apparet ex his, quos modò citavi: quibus adstipulatur gloss. in l. 2. in verb. absens. C. de contra. jud. tut. Et quamvis glossa in d. l. emptorem, in princip. requirat denunciationem litis motæ, ut venditor teneatur de evictione, etiam si emptor agnoverit bonam fidem, nec ullum jus in re vendita competierit venditori. Quam quidem gloss. sequuntur Barr. ibi, Alberic. in d. §. cū me absente. Angel. Aretin. in §. ult. de empt. Deci. conf. 74. col. 4. dicens hanc opinionem communem esse. Idem fatetur Gratus consil. 157. lib. 1. tamen prior sententia potior est, emptore adsumente onus probandi justitiam evincentis: posterior autem procedit, cū emptor agnovit bonam fidem. eamque agnitionem allegat agens de evictione; non tamen probat justitiam evincentis: vel tandem quoad simplicem actionem de evictione obtinebit prima opinio, secunda verò quoad duplam: non enim agit emptor ad eam, nisi prius denunciaverit solemniter litem motam venditori, etiam si postea probet justitiam evincentis, secundum Imol. in d. c. ult. nu. 28. qui non ita indistinctè hoc tradit; sed eo casu, quo emptor non expectata sententia rem restituit agnoscens bonam fidem: textus optimus in l. habere scire. ff. de evicti. explicat Anton. Rubeus d. §. morte. nu. 736. requiritur etenim sententia, ut ad duplam agi possit: quamvis ex Imola quidam contrarium adnotaverit, & Fulgos. in l. si idè, ff. de eviction. hanc distinctionem probat dicens actionem ad duplam præcisè jure conditionis exigere semper denunciationem. Sic sanè juxta priorè opinionem, emptor, qui sententia judicis rem restituit, ager de evictione ad duplam; quamvis non denunciaverit litem venditori, si probet jus evincentis, justèque sententiam latam fuisse, nec venditori ullum jus in ea re competere. Quo fit, omnino falsum esse quod scribit Aymon. conf. 73. n. 6. idem conf. 179. nu. 6. existimans in hac quæstione, venditorem conventum actione evictionis ab emptore, qui allegat non fuisse necessariam interpellationem, nec denunciationem, quia venditoris non intererat, condemnandum fore; nisi venditor ipse ostendat & probet, quòd si fuisset interpellatus, potuisset semetipsum defendere. Itaque onus probandi incumbit venditori secundum eum, qui ad hoc citat Imol. in cap. ult. de empt. & venditio. n. 28. Alexand. in d. §. morte. n. 47. è quibus hoc ipsum adnotavit Anton. Burgenf. in d. cap. ult. num. 6. qui eam opinionem optimè improbat: si quidem emptor ipse qui non denunciavit, probare omnino

omnino tenetur justitiam evincentis, etiam si venditor alleget, quod potuisset rem defendere, si ei denunciata fuisset lis. Idem expressim notat Carol Molinæus in d. *Alexan. conf. 63*. Nec Imola aut Alex. refragantur, qui tantum constituunt differentiam, an emptor agnoverit bonam fidem ante sententiam, vel post judicis condemnationem. Priori namque casu etiam si denunciaverit emptor litem venditori, tenebitur probare justitiam evincentis: at si denunciatio præcesserit, & secuta fuerit sententia, non incumbet onus probationis hujus emptori: quod si denunciatio prætermissa fuerit, & emptor litem ad sententiam usque defenderit, tenebitur quidem venditor de evictione secundum Imol. si nihil allegaverit nec ostenderit contra jus evincentis, ostendere autem venditor videtur aliquid contra jus evincentis eo ipso, quod emptor jus evincentis minimè probaverit, cum sit juris præsumptio in favorem venditoris; quod, si ei fuisset denunciata lis, seipsum defenderet, atque ita sunt Imolæ verba interpretanda. Quod manifestissimum erit, si animadvertamus, eundem Imolam paulò antè palàm tenuisse duo fore necessaria, ut emptor sit immunis ab onere probandi justitiam evincentis; primum, quod denunciaret litem venditori; secundum, quod ante sententiam non restitueret rem venditam, imò iudicium ipsum expectet, quo cogatur rem petitori tradere. Igitur ex Imola constat, incumbere emptori onus probandi justitiam evincentis duobus casibus: primò cum etiam denunciatione præmissa rem restituerit ante sententiam; secundò, si & sententiam expectaverit nec priùs bonam fidem agnoverit, & tamen litem venditori non denunciaverit. Eandem sententiam, quam hinc probamus, tenuit Anton. Rubeus in d. §. *morte. n. 739*. licet ipse contrariam, sicut & alij, ex Imola & Alexand. deduxerit, & ea ratione ab eis discesserit.

7 Septimò dubium est, an ÷ venditore promittente de evictione, quocumque modo res evincatur, teneatur ipse venditor de evictione, etiam si non fuerit facta eidem litis moræ denunciatio; & profectò apparet ita respondendum fore, ut equidem venditor de evictione teneatur; & id probatur auctoritate glossæ in l. *cum poena ff. de arb.* quo in loco Accursius scribit, promissione de evictione in hunc modum facta, quod venditor de ea teneatur quomodocumque res fuerit evicta; venditorem teneri etiam re evicta per sententiam arbitri, in quem sponte causam emptor compromisit; tamen alioqui re evicta per sententiam arbitri, etiam denunciatione facta legitime ipsi venditori, locus non sit evictionis actioni, l. *si dictum. §. si compromiserit. ff. de evictio.* Regia l. *36. tit. 5. part. 5.* eandem sententiam Accursij sequuntur Bald. ibi, Alexand. in l. *filius à patre. §. ult. ff. de liber. & posthum.* Deci. in rubric. *de prob. n. 12.* Aretin. in l. *ex duobus. col. 12. ff. de duob. reis.* Alexand. *conf. 5. lib. 3.* Ant. Burg. in d. *c. ult. de empt. n. 14.* Angel. Aretin. in §. *ult. de empt.* Bald. Imol. Alex. & alij in l. *si domus. §. de evictione. ff. de legat. 1. Gozad. conf. 1. n. 19. & conf. 14. n. 22. & conf. 63. v. 3.* Tiraquellus, qui alios citat lib. 1. *de retract. §. ult. in fine. n. 79.* Socin. in l. *quidam relegatus. ff. de reb. dub. n. 5.* Curt. Junior. *conf. 1. n. 2.* quorum sententiam planè admitterem, ubi venditor absque denunciatione habuit scientiam moræ litis, ut tandem tunc, etiam si emptor causam compromiserit, modò factum fuerit compromissum, ut arbitri secundum jus sententiam dicerent, venditor teneatur de evictione. Unde idem esse censeo quoties emptor per sententiam judicis victus fuerit: hos etenim duos effectus operabitur generalis clausula, cujus meminit gloss. in d. l. *cum poena.* Et præter hæc non ita facile tribui debet tanta vis prædictæ clausulæ, quod statim damnandus sit venditor de evictione in omnibus casibus, quibus alioqui ea non apposita minimè damnaretur. Nam & hæc clausulæ & dictiones universa-

les limitantur & restringuntur secundum naturam actus, cui attribuuntur. l. *emancipati. & ibi Bart. ff. de adopti. gloss. in l. promittendo. in verbo, conditionis, de jure dot. optimè Bald. in conf. 67. col. 2. lib. 3.* scribit & ad hæc plura Tiraquell. lib. 1. *de retract. §. 1. gloss. 7. n. 26.* Sat enim est his clausulis generalibus aliquem effectum tribuere, nec oportet eas ita extendere, quod juri & consensui contrahentium præjudicium fiat. Hinc inferitur, etiam adjuncta dicta clausula, si res fuerit evicta per sententiam arbitratorum, & amicabilium, (ut ajunt) compositorum, in quos emptor compromisit, venditorem non posse de evictione conveniri. Item deducitur, venditorem itidem minimè teneri de evictione, quoties res fuerit evicta per sententiam judicis, ipso venditore inscio, & ignorante moram fuisse emptori litem & controversiam super re empti, quamvis conventum sit in contractu venditionis, quod venditor teneatur de evictione quocumque modo fuerit res evicta: nam ea clausula intelligenda est, ubi nulla culpa emptori tribui possit evictionis securæ. Quod si contendat quis, adhuc evictionis actioni locum in his casibus esse, saltem id obtinebit, quoad pretium rei venditæ, non quoad culpam, nec quoad interesse.

Octavò non est satis, quod denunciaretur litis questio ab emptore venditori, ut is teneatur de evictione, nisi ea denunciatio facta fuerit legitimo & congruo ÷ tempore, quo quidem adhuc venditor possit litem suscipere, & rem ipsam defendere, nempe ante litis contestationem, secundum Henric. post Specul. in d. *cap. ult. col. 3.* aut non nimis serò, juxta sententiam textus in l. *rem. §. ult.* citatur à gloss. in d. *cap. ult.* id est, ante testium publicationem prioris instantiæ, sicuti explicat Regia l. *32. & 36. tit. 5. part. 5.* Unde Joan. Igneus in l. *propter veneni. §. ult. ff. ad Syllaniam. n. 10.* credit esse veriore opinionem & tutiorem, quod isthæc denunciatio fiat ante conclusionem in causa. Addit tamen, apud Juris utriusque interpretes magis receptum etiam in forensi examine hæcenus fuisse, sufficere denunciationem istam fieri etiam post sententiam in causa appellationis, modò eo tempore integra sint jura defensionis, possitque venditor seipsum & emptorem defendere, quemadmodum tradit gloss. in l. *si rem. §. quolibet. ff. de evictio.* Joan. Andr. Holtiens. Anton. & Imol. *col. 2. in d. c. ult.*

Nonò venditor de evictione non tenetur, etiam si fuerit sibi denunciata litis questio ÷ si emptor litem prosecutus contumaciter abfuit tempore sententiæ. text. in d. *cap. ult. & in l. si ideo. in prin. ff. de eviction. l. emptor. C. eod. tit.* modò sententia lata fuerit contra emptorem propter ejus contumaciam, & ex causa ipsius absentia, quod ab eisdem legibus & decisionibus attenda eorum ratione deducitur, & probatur in l. *36. tit. 5. part. 5.* quo fit, ut, si emptor, dum causa discutitur, præsens fuerit in iudicio, defensionisque diligenter allegaverit, ac juxta proprias vires litem fuerit prosecutus ad conclusionem usque ipsius causæ, licet tempore sententiæ absens fuerit & contumax, nihilominus erit locus actioni evictionis contra venditorem: quia etsi emptor præsens foret, parum ejus præsentia efficeret eo tempore, quo nihil ab eo in examine causæ omissum fuit, quod ejus commodo & utilitati cederet. Sic denique censent Bart. in l. *si superatus. ff. de pignoris. n. 1.* Salic. in l. 1. *de pericul. & commod. rei vendit. in fin.* idem Salicet. in l. *emptor. C. de eviction penult. col. Bald. in l. si ideo. ff. de evictio. Abb. in cap. in causis. col. ult. & in cap. penult. n. 10. de re judicat. Felin. cap. cum Bertholdus. n. 23. de re judic. qui hoc ipsum intelligit verum esse, nisi emptor ita fuisset verè contumax, ut propter ejus contumaciam appellatio admittenda non sit, juxta resolutionem gloss. & Doctor. in Clement. unica, *de dolo & contumac.* Tenetur quidem emptor condemnatus ab ea sententia appellare, quoties venditor tempore sententiæ abest à iudicio,*

dicio, & ipsa sententia est manifesta, aut evidente apparet iniqua; quali locus sit in dubio, dum ambiguum est, sine sententia iusta an iniqua: etenim eo casu appellare non tenetur emptor, licet venditor absit. Quod communi sententia receptum est, ex gloss. ult. Batt. & aliis in §. *Caia*, & tamen si appellaverit, tenetur appellationem ipsam prosequi secundum gloss. ita intelligentem Jurisconsulti responsum in l. *Herennius*: §. *Caia*, in verb. *venditore*, de *eviction*. Salic. in l. *si procuratorem*. §. *signorantes*. ff. *mand.* Imol. in d. *cap. ult.* col. 4. Batt. in l. *propter veneni*. §. *ult.* ff. *ad Syl-lan.* Sed et si frequentiori Doctorum suffragio ita probatum & obtentum sit; ego arbitrator, emptorem condemnatum ad rei venditæ restitutionem debere omnino appellare, etiam eo casu, quo dubium sit de iustitia sententiæ; quia licet præsumptio sit pro sententia iudicis, ea tamen præsumptio coram iudice appellationis admittit probationem in contrarium: qua ratione si venditor tempore sententiæ præsens non sit in iudicio, tenebitur emptor appellare. Hoc probatur in d. §. *Caia*, ubi hoc expressim tenet Bald. cui ad stipulatur *Regia*. l. 36. tit. 5. part. 5. quam opinionem existimo tutiorem & veriore esse, atque in foro admittendam fore. Imò etiam si ex actis processus appareat, sententiam iudicis æquam & iustam esse, adhuc consulerem, & debere fieri censeo, quòd ipse emptor appellet absente à iudicio venditore: forsitan etenim in causa appellationis probabitur iustitia venditoris ex his testibus & instrumentis, quæ non fuere producta, vel non potuere produci in iudicio coram iudice prioris instantiæ. l. *per hanc*. C. *de tempor. appellat.* c. *cum Joannes*, de *fide instrument.* quòd si iudex sententiam iniquam pronuntiaverit per ejus imprudentiam, aut injuriam, & iniquitatem; tunc proculdubio appellare debet emptor etiam præsentem venditore: alioqui ea sententia emptori, non venditori imputatur, sicuti gloss. & Bald. in d. §. *Caia*, existimant.

Decimò, quamvis emptor litem denunciaverit venditori, agere non poterit de evictione re evicta per imprudentiam, errorem, aut iniquitatem iudicis: probat text. in l. *si per imprudentiam*. ff. *de evictionibus*. & in d. *cap. ult.* cujus constitutionis ea est ratio, quod imprudentia, & injuria iudicis, casus fortuiti censentur, cap. *unico*, de *nova formula fidei*: ibi *injuste, vel fortuito casu*. At fortuiti casus contingentes post contractum venditionis, emptori, non venditori nocent. l. 1. C. *de pericul. & commod. rei vendit.* §. *cum autem*. *Institut. de empt.* Ex quo primò inferitur, nihil referre, nec interesse, quod in hac controversia emptori nota, lata fuerit ¶ sententia per imprudentiam, errorem, aut injuriam iudicis contra ipsum emptorem, an contra venditorem, qui litem suscepit simul cum emptore. Probat text. in l. 2. §. *solet*, ff. *de hered. vel action. vendit. vers. fin. autem*, notat in hac specie Joannes Igneus in d. l. *propter veneni*, §. *ult.* n. 3. & 4. quo quidem casu emptore absente appellare tenebitur venditor, ex quo litem suscepit. Secundò hinc deducitur, lata sententia iniquè per imprudentiam, aut injuriam iudicis, adhuc venditorem teneri de evictione, si ejus culpa sententia lata fuerit in evincendis favorem, quia probationes & jura, quæ venditor ad defensionem habebat, noluit vel omisit exhibere, & in iudicio producere. gloss. in l. *exceptione* ff. *de fidejussorib.* quam Doctores communiter approbant secundum Joan. Igneum in d. §. *ult.* num. 24. Sed in hac specie non dicitur sententia iniqua, imò potius erit iustificata, quippe quæ lata fuerit juxta allegata & probata, quòd Bartolus admonet in d. l. *exceptione*. Diximus & nos in *hujus operis lib. 1. cap. 1.* qua ratione aptius est hujus illationis exemplum, cum iudex sententiam iniquam tulerit ob inimicitiam venditoris, & ut ei inimico noceret; & ideo hæc injuria non imputatur, nec nocet emptori, sicuti post alios tenet

Imola in d. *cap. ult.* col. 4. argum. text. in l. *necessario* ff. *de pericul. & commod. rei vendit.* & l. *si merces*. §. *culpa*. ff. *locat.* atque eorum, quæ tradit Bartolus in l. *stipulatio ista*, in pr. ff. *de verborum obligat.* Hoc tamen admittendum erit, si inimicitia orta fuerit ante contractam venditionem: etenim inimicitia post contractum contingens, & eveniens, venditori non nocet, nec ei imputanda est injuria, quæ emptori fiat ab ejus inimico, quemadmodum notant hac in questione Salicet. in l. *ult.* C. *de action. empt.* Roman. & Alexand. in d. l. *stipulatio ista*, in pr. Carol. Ruinus *conf.* 59. n. 14. lib. 4. optimus text. in l. *Lucius*. ff. *de eviction.* Tertio apparet, venditorem ab evictione liberum esse re evicta per imprudentiam, errorem, aut injuriam iudicis, etiam si sententia lata fuerit absque ulla emptoris culpa, ut etiam si emptor in causæ & juris defensionibus omnium fuerit diligentissimus; etenim adhuc evincitur res vendita casu fortuito, & ideo emptori, non venditori, imputatur. gloss. Batt. & DD. in d. l. *exceptione*. Imol. Panormit. & alij in d. *cap. ult.* ubi Anton. Burg. nu. 14. post Imol. col. 4. fatetur hanc sententiam communem esse, contra gloss. in d. l. *si per imprudentiam*. Alia quidem circa interpretationem text. in d. *cap. ult.* & præsertim circa evictionem rei venditæ, quæ fiat jure retractus, legito inibi apud Burgensem *ult. notabil.* & Andream Tiraquell. lib. 1. *de retract.* §. 1. gloss. 9. n. 34. & §. *ult.* in fin. n. 97. & ibid. *quest.* 6. & §. 12. gloss. 1. num. 6.

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI I. C.

## CAPUT XVII.

IN PRINCIP. Nam quadraginta casus.

Quinquaginta & unum recenset Gaspar Caball. *trad. de evict.* §. 5.

Numer. 2.

Quo venditor quocunque casu nihil evictionis nomine præstare teneatur, posse adhuc emptorem re evicta ad pretium agere.

Nisi expressè conventum sit, quod nihil pretij nomine præstabitur, text. & ibi Goth. in l. *emptorem*. 12. §. *fin.* ff. *de act. empt. & vend.* Pap. *Notar.* 2. li. 4. tit. *de Pactione ex empt.* versic. *mais que sera ce, cum seq.* Imb. in *enchirid.* in ver. *Eviction.* versic. *aussy*, Paul. de *Castre*. Schneid. *Inst. de act.* §. *action sect. de act. ex empto.* n. 43. Gomez *variar. resol.* tom. 2. c. 2. n. 39. vers. *primus quando*. Et hoc quidem si venditor bonæ fidei fuerit: nam si sciens rem esse alienam eam vendidit ignorantem, tunc (nihil etiam refragante stipulatione contraria) empti actione & ad pretium, Molin. *de just. & jur.* to. 2. disp. 380. versic. *secundus quando*. Pap. lib. 11. tit. 4. art. 3. & ad damna subsequuta, idque ob dolum in contractu intervenientem, tenent. l. *tenetur*. 6. §. *fin.* & ibi Gothofr. ff. *de act. empt.* Mol. ex Gomez *precitat. loc.*

Ego non diffiteor hanc opinionem Accursij communem esse: eam tamen censeo satis dubiam, & omnino, ut liberè loquar, falsam esse.

Accursij sententiam præter citatos à Covarr. sequuntur Costal. in l. *exempto*. 11. §. *qui autem* ff. *de act. empt.* Anton. Gomez *variar. resol.* tom. 2. c. 2. n. 39. vers. *quod iterum subintellige*. Donell. *trad. de evict.* c. 2. vers. *cui consequens est.* & vers. *interim illud maneat*. At Covarruvæ opinionem amplexi sunt Inbert. in *Enchirid.* in ver. *eviction.* versic. *d'avantage le diel.* Baldo. & Fachin. lib. 2. *controvers. jur.* c. 40. vers. *major controversia est.* Versic.

Versic. *Ad eam questionem.*

**Emptorem rei alienæ cum mala fide, & certa rei alienæ scientia non posse de evictione etiam ad pretium agere.**

Hanc Covarr. sententiam sequuntur Gomez. *variar. resolut. tom. 2. c. 5. n. 42.* & Eman. Soar. *in addit. ad. n. 8. vers. si vero fuerit sciens lit. A* Tiraq. *de retract. consanguineo. §. 12. gl. 1. n. 10.* & II. Menoch. *vol. 5. conf. 418. n. 15.* Rot. Genuesi. *decis. 190. nu. 17.* Donell. *in d. tract. de evict. c. 2. vers. enim vero sciens.* Gail. *lib. 2. obs. 13. n. 16.* aded ut, si venditor nondum pretium sit consecutus, nullam tamen exceptionem habeat emptor quo minus id venditori solvat. Gomez. *loc. maxime cit.* Et prædicta sententia procedit: licet vel in genere tantum emptor rei dominium cognoscat, quamvis ignoret ad quem in particulari spectet, ita Bald. *in l. si fundum. C. de evict. per text. l. final. C. unde vi.* Gomez. *ubi sup.* Superiora limitantur si de evictione cautum, seu de recuperando pretio stipulatum sit text. *in d. l. si fundum.* Gomez. & Tiraq. *loc. cit.* Cravet. *conf. 64. in contract. n. 4.* Vel id in utilitatem venditoris sit controversum, prout sentit Gomez *ubi supra versic. secundo limita.* An autem prior istarum limitationum locum habeat quando quis contra interdictum legis emit, ut pote res Ecclesiæ debitis ommissis solemnitatibus, vide Joan. Fabr. *in l. si fundum, 26. C. de evict.* & citatos à Tiraquell. *de retract. consang. §. 2. gloss. 1. n. 12.*

Non obstat textus *in l. ult. §. ult. C. communia. de legat.* quia in ea constitutione non fuit empta res aliena simpliciter, sed res venditoris, subjecta tamen restitutioni & fideicommissio.

Tradita hic à Covarr. scribit & probat Gomez. *variar. resolut. tom. 2. c. 2.* Accedit Tiraq. *de retract. consang. §. 12. gloss. 1. n. 13.* Menoch. *vol. 5. conf. 418. n. 16. cum quatuor seqq.* Auctoris tamen responsio displicet Fachinæ *lib. 2. controu. jur. c. 40. in princ.* putans text. *in d. §. ult. de ea accipiendum esse*, in qua de evictione promisit venditor: quo casu saltem actio ad pretii restitutionem datur quod his verbis *d. §. probare intendit: Neque dupla stipulatione, neque melioratione locum habente:* quasi Imperator neget actionem dari ad duplum, cum sufficiat emptori sibi de pretio, quod pro re aliena sciens dedit, satisfieri.

## CAPUT XVIII.

**De creditore, habente specialem simul & generalem hypothecam.**

### SUMMARIUM.

- 1 *Res specialiter obligata sufficiens præsumitur ad debiti satisfactionem.*
- 2 *Prior creditor habens specialem & generalem hypothecam, non potest in præjudicium posterioris creditoris uti generali hypotheca, nisi prius fiat excussio in speciali.*
- 3 *Dotalis hypotheca non est admittenda, nisi præmissa excussione, quam induxit text. in authent. hoc si debitor. depignor.*
- 4 *Creditor, cui per sententiam iudicis est addicta res ut eam obineat jure hypotheca & pignoris, poterit iterum petere ejusdem rei iudicalem subastationem.*

**P**rior creditor etsi pluribus utroque jure privilegiis munitus sit adversus posteriores creditores, si tamen habeat specialem aliqua in re hypothecam, *Didaci Covarr. Tom. II.*

& item generalem in omnibus debitoris bonis non poterit impedire posterioris creditoris hypothecam quoad alias res debitoris, præter illam specialem: nec poterit adversus posteriorem creditorem hypothecaria agere, nisi prius constet, rem illam speciali hypotheca sibi obligatam non sufficere ad prioris debiti solutionem, quemadmodum sancitum est in *l. 2. de pignori.* quem text. dicit non esse alibi Bald. *c. de offic. legat. & Cremenfis in singul. 53.* Quæ quidem constitutio solet in praxim aded frequenter incidere, ut non immeritò hoc in loco exponenda sit aliquot explicitis interpretationibus.

Primo constat in hac specie, † rem specialiter obligatam præsumi sufficientem ad satisfaciendum priori creditori, nisi contrarium ab eo probatum fuerit, sicuti scribit gloss. *in d. l. 2. in verbo, redire,* quam sequuntur Salicet. *ibi 1. oppos. Jas. in pr. Inst. actio. n. 94.* Paul. Paris. *conf. 50. num. 28. lib. 1. & Ant. Fanensis 5. part. de pignorib. membr. 2. ad fin. Ripa in l. privileg. n. 31. ff. de privileg. creditor.*

Secundò ad ejusdem constitutionis intellectum observandum erit, parum aut nihil referre, sitne traditum pignus vel non priori, aut posteriori creditori: utroque etenim casu obtinet, & admittenda est ea decisio secundum gloss. *in d. l. 2. in fin.* quam omnes interpretes inibi expressim & tacite probant & idem suadet ratio, quæ Cæsarem ipsum legislatorem movit, ut statueret, non fore admittendum † priorem creditorem habentem generalem & specialem hypothecam adversus posteriorem creditorem, nec impedire ejusdem posterioris creditoris hypothecariam actionem, nisi prius constet, rem priori creditori speciali signo & nomine obligatam, non sufficere ad prioris debiti satisfactionem, hoc enim ratione constitutum est, quod specialis hypothecæ prosecutio prætermitti non debeat in præjudicium secundi creditoris, & ided idem erit sive debitor ipse, extraneus, sive prior, aut posterior creditor, res generaliter priori hypothecæ obligatas possideat, cum eadem sit ubique ratio; licet Fulgol. *in d. l. 2. teneat*, non esse locum illi decisioni priore creditore possidente.

Tertiò eadem constitutio procedit & obtinet, etiam quando posterior creditor habet generalem tantum hypothecam, nedum specialem & generalem simul, nec specialem tantum. Eadem est enim ratio utrobique, cum ipsa lex nolit priorem creditorem habentem specialem hypothecam, ex qua valeat sibi satisfieri, posse uti generali hypotheca in præjudicium secundi creditoris: ergo sive secundus creditor habeat generalem sive specialem in ea re, à qua & conatur excludere primum creditorem, jure obtinebit. Quod notant Bart. *in 2. col. in d. l. 2. Salic. in l. qui generaliter ff. qui pot. in pign. habeat.* Paul. Parisus *in dict. conf. 50 n. 34.* Ant. Fanens. *in dict. tract. 8. part. membr. 1. n. 20. vers. temperando Rip. in d. l. privileg. n. 20. tametsi gl. in d. l. 2. vers. accepisti.* Bald. & Salic. *ibi Soc. in conf. 198. col. 2. & ult. lib. 2. senserint dictam leg. 3. tantum obtinere, ubi secundus creditor haberet hypothecam specialem in ea re, ad quam agit, vel quam defendere vult à priori creditore.*

Quartò adnotandum erit: eandem Cæsaris responsionem procedere, sive prior creditor habeat primò specialem hypothecam, postea generalem, sive primo loco generalem, & postea specialem: etenim nihil interest quod ad veram *dict. l. 2.* rationem hic scripturæ & verborum ordo, cum ex eo non mutetur ipsa rei substantia, atque eam *l.* interpretantur Salic. & Fulgol. *ibi, Ant. Fanens. in d. tract. 5. part. membr. 2. n. 51. & Paris. in d. conf. 50. num. 38. & Ripa d. l. privileg. n. 21.* quamvis Petrus à Bellapertica & Alber. *in d. l. 2.* eam decisionem tantum admittendam esse censent, cum primò scripta fuerit specialis hypotheca, & postmodum generalis, quasi hæc secun-

da sit apposita tunc in subsidium primæ, & hypothecæ specialis. Unde secundum eos non idem erit, quoties hypotheca generalis præmittitur, & specialis subsequitur, quod profectò parum refert.

Quintò animadvertendum est, *dict. l. 2.* admittendam esse, quoties prior creditor cum posteriori contendit ratione hypothecæ, quasi secus sit ubi creditor agit contra possessorem & extraneum, & possessor velit eum excludere ab actione hypothecaria, ex eo, quòd non egerit prius ad rem specialiter sibi obligatam, quæ debiti satisfactioni erat sufficiens: nam in hac specie priori creditori non obstat possessoris extranei, qui creditor non est, nec jus pignoris habet, exceptionis objectio. Etenim *d. l. 2.* statuta est in favorem posteriorum creditorum, & idèdè minimè prodest extraneo possessori, atque ita tenuerunt DD. communiter in *d. l. 2. Soc. in dict. conf. 108. & conf. 75. l. 4. Paul. Paris. conf. 59. n. 29. Anton. de Fan. de pign. 5. part. membr. 2. n. 51. & part. 8. membr. 1. n. 20.*

Sextò à proximo intellectu deducitur, posse creditorem agere hypothecaria actione adversus debitorem ipsum, vel aliquem ex ejus heredibus, possidentem quamlibet rem ex his quæ in generalem hypothecam veniunt, minimè prius petita nec discussa ea re, quæ specialiter ei fuerat obligata; ac tandem poterit creditor eam actionem in iudicium deducere ad rem sub generali hypotheca comprehensam adversus ejus possessorem in solidum *l. creditoris ff. de distract. pignor.* notat in specie hunc textum intellectum Carol. Molin. in *consuet. Paris. tit. 1. §. 1. numer. 13.*

Septimò constat eandem constitutionem tunc procedere, cum prior creditor habet hypothecam specialem, & generalem. Quod si is habuerit generalem tantum hypothecam, quam & posterior habeat; prior tamen sit ita amplior posteriori, ut res quædam contineat; quæ, vel quia jam tempore posterioris hypothecæ, patrimonium debitoris exierant, ex alia causa, non fuerint sub posteriori hypotheca comprehensæ, nequaquam prior creditor poterit à posteriori repelli ex eo quòd prius non egerit ad res illas, quæ priori, non posteriori hypothecæ submittuntur: etiamsi ex eis esset facilis debite pecuniæ satisfactio: siquidem non obstante hac exceptione liberum erit priori creditori agere hypothecaria ratione cujuslibet rei, quæ in priorem & posteriorem hypothecam venit. Quod visum est Philippo Corneo *consil. 247. lib. 1. col. penult.* cui subscribit Anton. Fanens. in *d. membro 2. part. 5. n. 51.* qua in re oportet iterum longius repetere veram rationem decidendi, quæ aptari valeat *dict. l. 2.* Non enim ea constitutio rationem habet ex eo, quòd generalis hypotheca videatur constituta in subsidium specialis, nam si ea ratio obtineret, omnino deficerent quartus, quintus, & sextus intellectus. Imò quòd in *d. l. 2.* sancitum est, ex eo procedit, quòd in damnum & præjudicium secundi creditoris non est omittenda prioris creditoris specialis hypotheca cum generali concurrentis. Beneficium enim istud conceditur à lege secundo creditori, ut possit primum excludere ab actione hypothecaria virtute generalis hypothecæ proposita: non discussa prius speciali, quam etiam habeat, hypotheca. Sic sanè omnibus creditoribus consultum esse vult lex æquissima. Præterea, si prior generalis hypotheca tantum in subsidium foret constituta; tunc, sufficiente speciali ad debiti satisfactionem, haberet secundus creditor solus generalem in aliis rebus, nec diceretur in ea potior. *l. qui generaliter, ff. qui prior in pign. habeant.* Item & pro Cornei responso adest ratio satis urgens: siquidem prior creditor habens tantum generalem hypothecam, quæ plures res comprehenderit, posset agere ad rem spe-

cialiter obligatam secundo creditori, & tamen præter illam rem alias habet sibi obligatas. Ita tandem adnotavit Salic. in *d. l. 2. in princ.* & idem sensere ceteri Doctores ibi, nam & creditor: qui generalem tantum hypothecam habet, liberè potest agere actione hypothecaria adversus quamlibet rem debitoris sibi obligatam, penes quemcumque ea sit: & id quidem insolidum admittitur, *l. Moschis. ff. de jure fisco. d. l. creditoris ff. de distract. pign.* quorum ipse memini hoc libro *e. 7. n. 7.*

Octavò in controversiam deduci solet, iste locus *d. leg. 2.* quando prior creditor hypothecam habet ex causa dotis & sanè videtur, eam decisionem in hoc casu non fore admittendam: imò uxorem posse agere hypothecaria pro dote, ommissa speciali hypothecaria, adversus res comprehensas sub generali, etiamsi posterioribus creditoribus fuerint jure pignoris & hypothecæ obligatæ. Nam & in hac dotali hypotheca non est necessaria excussio, quæ alioqui requiritur auctoritate text. in *authent. hoc si debitor C. de pign.* sicuti tenuerunt Bald. Novell. in *tract. de dote 8. part. priv. ult.* & Rom. in *l. si constante, in princ. ff. soluto matrim. super 3. part. Bartoli 2. qu.* secundum quos hypotheca dotalis omnino admittitur, etiamsi nulla fiat discussio in ipso principali debitore: quòd maximè conduxit ad hanc quæstionem, quam modò tractamus. Sed nihilominus tenendum est *l. 2.* etiam procedere, ubi prior creditor hypothecam habeat ex dotali causa; secundum Bald. ibi, Roman. *conf. 187.* Ripam in *d. l. privileg. n. 19.* & Aymon. *conf. 75. n. 15.* & probatur ac deducitur à vera ratione illius constitutionis. Præsertim quòd dotali hypotheca non habet hac in re privilegium aliquod: & ideo Jure communi est censenda. Etenim Romani & Novelli sententia, quamvis maximis rationibus in disputationis examine defendi posset, tandem falsa est, & corrui: cum & discussio requisita in *d. authent. hoc si debitori,* necessaria omnino sit & in hypotheca dotali secundum gloss. in *l. ubi adhuc in verb. qui potiora C. de jure doti.* & ibi Cyn. *11. quæst. ac Bald. & alii:* præsertim Salicet *quæst. 3. part.* quam sententiam communem esse fatentur Jason. in *d. l. si constante n. 201. 208.* Joan. Crot. *ibid. 1. & 2. lect. super eadem quæst.* Bartoli. Joan. Lup. in *c. per vestras §. 34.* Ant. Fanens. in *tract. de pign. 8. part. membr. 1. n. 23.* qui eam diligenter examinat. Nec obstat ratio, quam in contrarium fortissimam esse censet Jason. in *d. l. si constante* ex Salic. in *l. ult. 4. notat. C. de jur. dot.* nam ad eam respondebitur ex his, quæ tradidere Dec. in *conf. 5. & conf. 301.* Ripa in *l. 1. ff. soluto matrim. n. 14. & 15.* Anton. Fanens. in *dict. 1. membr. nu. 23. & 24.* Sic sanè constat, priorem creditorem habentem hypothecam generalem, & specialem ex causa dotis repelli posse à posteriori habente generalem, nisi prius facta fuerit excussio in re specialiter jure pignoris obligata. Atque ita memoria teneo, in lite satis controversa propter magnitudinem rerum, de quibus agebatur, in hoc Regio Prætorio concordè iudicium suffragio semel & iterum pronunciatum fuisse. Imò licet Joan. Lup. in *d. §. 34.* dubitet an Jure Pontificio admittenda sit Bart. opinio cujus modo mentionem fecimus, an potius ob æquitatem locus sit Romani & Novelli. sententiæ; mihi profectò videtur adhuc in foro Ecclesiastico, & jure Canonico idem quòd Jure Cæsareo servandam fore: cum nulla hac in re inter utrumque jus constituatur differentia.

Nonò est præterea observandum, eandem leg. secundum constitutionem procedere, etiamsi prior creditor in re specialiter obligata, tantum habeat specialem hypothecam, in aliis verò rebus generalem: adhuc etenim prius est excussio præmittenda in re



re specialiter obligata, quam agere possit ad rem generali obligatione comprehensam in prejudicium posteriorum creditorum. Siquidem satis est ad rationem dictæ l. quod prior creditor è re specialiter obligata possit consequi debitæ pecuniæ satisfactionem. Quam interpretationem ego deduco à Salicet. ibidem in ultimis verbis contra Petrum & Alberic. in ea l. 2. Socin. cons. 75. lib. 4. ad fin. & Anton. Fanens. de membr. 2. n. 51. quorum sententia mihi non placet.

Decimo fortassis locus non erit d. l. 2. quoties hypotheca in hunc modum concepta sit. Quod specialis non deroget generali, nec generalis speciali. Hæc etenim clausula hunc intellectum admittit, ut specialis hypotheca non impediat aliquo modo usum generalis, ac si ea minime fuisset adjecta. Hoc ipsum est, quod multis, ni fallor, malè conceptis verbis explicare voluit Barth. Chassan. in Caralog. glorie mund. 12. part. consid. 119. col. 10. adhuc tamen hic decimus intellectus mihi valde dubius est: atque ideo difficillimè eam interpretationem in praxi admitterem.

Verùm hoc in cap. de actione tractamus hypothecaria, & in qua juxta utriusque Juris regulas per sententiam judicis creditori res obligata traditur, ut eam obtineat jure pignoris & hypothecæ, donec sibi debita pecunia fuerit soluta, at ipse creditor, tradita sibi re, videns quòd jure tenetur fructus rei in sortem ipsam principalem imputare, & ea ratione cogitur particulares solutiones admittere, petit à judice ut diem constituat possessori ad pignoris solutionem, & de cetero judiciali permittat ipsius pignoris solemnem venditionem, si intra diem res ipsa vel à debitore, vel ab extraneo possessore, à quo eam per sententiam habuit; non fuerit solutione debiti à pignore liberata: quæritur, an ea petitio justa sit, & admittenda? nam quoad extraneum possessorem, à quo res actione hypothecaria evicta est, constat, eum minime teneri ad solutionem debiti; & idè ipse non est in mora, quamvis pecuniam debitam ullo umquam tempore non solverit, nec pignus liberaverit: qua ratione cessant ea, quæ jure statuta sunt de vendendo pignore conventionali, judiciali, & prætorio; de conventionali inquam l. 1. & 2. C. de distract. pign. l. ult. C. de jure dom. impe. Bart. in l. ult. ff. de distract. pign. optim. text. in l. si pupillus. ff. de reb. cor. l. 2. C. de prad. minor. de judiciali & prætorio in l. à Divò Pio. §. in venditione, ff. de re judica. ubi post alios Alex. col. 5. latius Anton. Fanens. de pignorib. 6. part. principal. membr. 1. Sed nihilominus cum hæc quæstio in praxim incidisset vidi non semel eam ita definitam fuisse, ut dies certa constituta fuerit, intra quam liceat possessori, à quo res abducta fuit, solutione debitæ quantitatis pignus, & sic rem ab eo evictam liberare; hoc addito, quod, si intra eam diem non fuerit solutum, nec liberatum pignus, tunc solemni & judiciali subhastatione vendatur ad satisfactionem creditoris: quod quidem pluribus probatur rationibus. Prima: ne creditor cogatur invitus particulares solutiones recipere: quas quidem omnino recipere cogeretur computatione fructuum pignoris in ipsam sortem principalem. Et tamen jure apertissimum est, non fore creditorem cogendum particulares solutiones recipere. l. tutor. §. Lucius, ff. de usur. traditur per gloss. Bart. & Jason. in l. quidam existimaverunt. ff. si cert. petat. Nec jure probari potest, creditorem cogendum esse, pecuniam debitam ex fructibus pignori habere & consequi, at si non posset rem sibi per sententiam jure pignoris traditam vendere; dubio procul cogeretur creditor fructus pignoris loco pecuniæ creditæ recipere. Secunda ratio hanc sententiam omnino probat: nam

Didaci Covarr, Tom. II.

judicis pronuntiatio, quæ creditori jubet rem tradi in pignus, nihil aliud agit, quam declarare rem illam jure pignoris & hypothecæ ad creditorem pertinere. Quod manifestum est pignoris & hypothecæ hoc habet à lege, ut vendi possit res ipsa data in pignus à creditore auctoritate judicis l. 2. l. 3. l. creditor hypothecæ, C. de distract. pignor. l. 41. tit. 13. part. 5. Igitur sicut creditor posset absque declaratione vendere rem sibi in pignus à debitore obligatam: ita poterit vendere rem jure pignoris ei à judice additam, quodcumque id pignus sit, text. optimus hac in questione in l. ultim. tit. 27. part. 3. Tertio, cum hic creditor rem evicerit à possessore: quid obsecro juris habet possessor in re, ut possit impedire pignoris venditionem? profecto nullum aliud jus habet, quam quòd solvendo pecuniam creditori debitam post rem ipsam ab eo evictam repetere, argum. l. 1. C. qui pot. in pign. hab. l. potior. §. ult. ff. eod. tit. text. in specie l. mulier. ead. rub. l. Paul. §. ult. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv. notant Bald. & Alexand. in l. si res obligata, ff. de leg. 1. Ant. Fanens. de pign. 5. part. membr. 3. nu. 36. Ergo dum ipse possessor extraneus, à quo creditor rem jure pignoris evicit, non solverit debitam pecuniam non habebit jus impediendi pignoris venditionem: nec audiendus erit, etsi adversus creditorem petentem pignoris subhastationem objecerit, quod ex fructibus ejusdem pignoris paulatim creditam pecuniam habeat. Judex verò in hac controversia tempus constituet, intra quod res pignori & hypothecæ data possit à creditore liberari, quoque elapso, venditio solemniter fiat: arbitrarium quidem; cum nullibi in Jure certum hac in re sit tempus definitum. l. 1. ff. de jure deliber. & ferè in hac questione tradunt Doctores in l. cum proponas C. de bonis auctoris. judic. possiden. & Ant. à Fano dict. membr. 1. nu. 8. post Alex. in §. in venditione, col. 5.

NOTE.

JOANNIS UFFELI J. C.

CAPUT XVIII.

In princ. Nec poterit adversus posteriorem creditorem hypothecaria agere, nisi prius constet, rem illam speciali hypotheca sibi obligatam non sufficere ad prioris debiti solutionem.

Quæ decisio in tantum procedit, ut ne quidem executio à mobilibus generali hypotheca comprehensis in præjudicium posteriorum creditorum inchoari debeat. Molina lib. 3. de Hisp. Primogen. cap. 7. num. 34.

Num. 1.

Verfic. Primò constat.

Nisi contrarium ab eo probatum fuerit.

Accedit Myns. d. observ. 94. n. 3. Molina tom. 2. dif. 536. vers. lege 2.

Num. 2.

Et idè idem erit, si debitor ipse, &c.

Molina d. disput. d. vers. lege 2.

Licet Fulgos. in d. l. 2. teneat non esse locum illi decisioni priore creditore possidente.

Cum Fulgosio sentit Anton. Fab. in C. suo, tit. qui potior. in pign. definit. fin. eò quòd iniquum foret, ei qui non possidet favori contra creditorem anteriorem, qui equale jus in bonis omnibus habet, & tam ea quæ generaliter, quam quæ specialiter ipsi obligata sunt possidet.

Verfic. Tertiò eadem constitutio

Procedit & obtinet quando posterior creditor habet generalem tantum hypothecam, &c.

Cacheran. *decif. Pedemont.* 159. n. 6. Mynfing. *diſt. centur.* 4. *obſerv.* 94. n. 6. ubi Camer. Imp. hanc ſententiam probavit.

Verfic. Quarto adnotandum

Sive prior creditor habeat primò ſpecielem hypothecam, poſtea generalem.

Cacheran. *d. decif. Pedemont.* 159. n. 6. *verfic. minus etiam refert Mynſing. d. centur.* 6. *obſ.* 49. n. 7.

Verfic. Quintò animadvertendum

Et idè minime prodeſt ex tunc poſſeſſori.

D. Anton. Faber. *in C. ſua, tit. de pignor. defin.* 9. Molina *lib.* 4. *de H. ſpan. Primogenit.* 6. 7. nu. 22.

Verfic. Sextò à proximo intellectu

Minimè prius petita, nec diſcuſſa ea re.

Et ita Atrèit Cur. Paris. iudicatum refert Pap. *lib.* 11. *tit.* 3. *art.* 3. *verſ. de debitor.* ſequitur Sichard. *ad d. l. 2. C. de pignor. & hypoth.* n. 2.

Verfic. Septimò conſtat.

Siquidem prior creditor habens tantum generalem hypothecam, quæ plures res comprehendit, poſſet agere ad rem ſpecialiter obligatam ſecundo creditori.

Donell. *ad ſi generaliter. C. qui prior. in pign. hab. & in tract. de pignor.* c. 14. *poſt princ. verſic. erit prior inquam.* Everard. *conſ.* 204. Sichard. *ad l. 2. C. de pignor. n. 7.* vide tamen Cujac. *lib.* 11. *obſ.* 32. Anton. Fab. 6. *conjectur.* 16. Coſtal. *in adverſar. Pandect. ad l. qui generaliter, ff. qui prior in pign. hab.* Quod ad mores urbis Antverpienſis attinet, qui generalem tantum hypothecam habet, poſteriori creditori in ſpeciali hypotheca non præfertur, quòd ibidem generalis hypotheca non afficiat, & idè non tenetur debitor in alienatione rei dictas hypothecas exprimere.

Num. 3.

Priorem creditorem habentem hypothecam generalem & ſpecialem ex cauſa dotis, repellit poſtè à poſteriori habente generalem, niſi prius facta fuerit excuſſio, &c.

Vide Anton. Fab. *in C. ſuo. d. tit. qui prior in pign. hab. defin.* 27.

Verfic. Decimò fortassis.

Adhuc tamen hic decimus intellectus mihi valde dubius eſt.

Hunc tamen admittit & ſecutus eſt Senatus Pedemont. Cacher. *d. decif.* 159. num. 7. probant etiam Mynſing. *d. Cent.* 6. *obſ.* 94. n. 8. D. Anton. Fab. *d. tit. de pign. defin.* 8.

## CAPUT XIX.

Adnotantur aliqua de bonis acquiſitis matrimonio conſtante?

### SUMMARIA.

- 1 An ex titulo contracte ſocietatis tranſeat dominium abſque traditione? & quid de poſſeſſione?
- 2 Quo pacto acquiſita matrimonio conſtante acquiſantur pro parte dimidia uxori quoad dominium & poſſeſſionem?

- 3 Intellectus Regia & Taurina conſtitutionis 53. de dote data filie à patre, ſoluto matrimonio; an conſeatur data de acquiſitis matrimonio conſtante?
- 4 Decurionatus, & publica officia matrimonio conſtante acquiſita, communicantur uxori quoad eſtimationem.
- 5 Jus patronatus Eccleſiaſticum matrimonio conſtante à marito acquiſitum communicatur uxori.
- 6 Decurionatus & ſimilia officia empta à patre filio, imputantur in legitimam, & conferuntur quoad eſtimationem.

**C**ontracta inter duos omnium bonorum ſocietate & abſque ulla traditione, dominium omnium rerum, quæ tempore contractus erant acquiſite, communicatur, text. in *l. 1. §. ult. & l. 2. ff. pro ſocio Regia l. 46. tit. 28. part. 3. facit l. 6. tit. 10. part. 5. traditur frequentiffimo omnium conſenſu in *l. traditionibus, C. de pactis*. Quin & eorundem rerum poſſeſſio abſque traditione tranſfertur: ſicuti in *l. gloſ. in l. opinione in d. l. 2. &* inibi Richard Jacob de Aren. Reineri. Bart. & Alberic. *in l. ſequenti. Bald. & Fulgos. in l. 1. eod. tit.* quorum opinio communis eſt: In his tamen bonis, quæ poſt contractam ſocietatem per alterum ex ſociis acquiruntur, non acquiruntur nec dominium, nec poſſeſſio alteri ſocio, tametiſi lege ſocietatis ſint inter eos dividenda, text. optimus in *l. ſi quis ſocietatem, ff. pro ſocio*. Quam differentiam expreſſim adnotavit Roderic. Suarez *in l. 1. tit. de acquiſitis matrimonio conſtante. l. 3. Fori verſ. queritur ulterius, utrum in melior. fol. 23. col. 1. & 2. Alberic. in d. l. 1. §. ult. & Fulgoſ. ibi dum ſcribit, nihil eſſe impoſſibile reſpectu rerum præſentium, tametiſi loco præſentium, vitio excuſſoris ac Typographi, ſit abſentium. Idem tenet Bald. ſatis in ſpecie in *ead. l. 1. §. 1. ex quibus ni fallor, ita eſt accipienda ſententia gloſæ in d. l. 2. quam & auctoritas Odofredi confirmat: quin d. l. 1. §. ultim. eadem diſtinctione utitur & his non citatis. Tiraq. idem tradit ita diſtinguens in *tractat. de conſtitut. 2. part. ampliatur. 30. num. 6. & 8.* nam etiſi actus ineundæ ſocietatis habeat vim conſtituti, & idem recipiat bona præſentia & futura, *l. 3. §. cum ſpecialiter, ff. pro ſocio*. ita tamen eſt interpretandus, ut bona præſentia, & idem futura, nomine ſocietatis quæſita, utrique ſocio quoad dominium & poſſeſſionem quarantur: bona verò futura, quæſita nomine proprio, communicanda ſint? non tanè ipſo jure abſque traditione ſocio quarantur, cuius nomine non fuerit titulo emptionis aliove habita, *l. ſi ſocietatem univerſorum, l. ſi fratres, §. ſocium univerſa ff. pro ſocio*, cum ſatis ſit actum ineundæ ſocietatis habere vim conſtituti, & facta traditionis quoad bona præſentia: ne dentur duæ fictiones, alioquiſi actus ſocietatis vim habeat taciti & facti conſtituti, & demum bona futura quoad eundem effectum contineat: quod eſt contra text. in *l. 1. C. de dotis promiſſione*, ubi prohibitiſſimum eſt plures in eadem re fictiones conſtitui. Sic tandem eſt intelligendus textus in *d. l. 2.* quamvis Joan. Lup. in *rubric. de donat. inter virum & uxorem, §. 66. num. 24.* Chaffanæus in *conſuetud. Burg. rubr. 4. §. 2. verſic. ſunt ergo, n. 6.* adnotaverunt ex gloſſ. in *diſt. l. 2.* etiam acquiſita per alterum ex ſociis poſt contractam ſocietatem, communia ipſo jure utrique fore quoad dominium & poſſeſſionem. Ad idem citat dictam Didacus à Segura in *tractat. de bon. lucr. conſtit. matrimon. num. 44.* quod quidem nec à gloſſa deduci verè poteſt, nec jure receptum eſt: niſi dixeris id lege Regia probari *tit. 28. l. 46. part. 31.* quam adducit ad hanc quæſtionem idem Joan. Lup. *§. 65. n. 11.* ex qua nihil de poſſeſſione ſtatuitur, licet expreſſim quoad dominium probet utrique ſocio adquiſi***

in rebus adhuc post contractam societatem per alterum proprio nomine quaesitis. Eandem vero constitutionem & de possessione intelligit Roder. Suarez in d. l. 1. *vers. queritur ulterius, ad finem*, & profecto ratione societatis ita intelligi aequum est. Ex quibus, quantum ad matrimonii societatem, inferitur: Primo, ex lege aut consuetudine, quae inter virum & uxorem communia esse statuerit omnia bona, etiam quae tempore contractus vir & uxor obtinebant, dominium & possessionem uxori adquiri statim matrimonio contracto pro parte dimidia omnium rerum, quas maritus tempore contractus jure domini possidebat. Secundo inferitur jure Caesareo inspecto, & stante lege, quae acquisita matrimonio constante, communia viro & uxori, esse censent, omnia bona, quae nomine societatis, & sic viri & uxoris, fuerint empta, aliove titulo quaesita, quoad partem dimidiam eorum, tam jure domini quam possessionis ad uxorem pertinere. Tercio deducitur in eadem specie, rem a marito constante matrimonio proprio nomine quaesitam, si leges Caesareae & communem resolutionem sequamur nec quoad dominium, nec quoad possessionem, etiam dimidia partis uxori adquiri licet inter eam & maritum res eadem sit jure communionis dividenda & communicanda: quod expressim notat Anch. *conf. 102. numer. 6. incip. Questio est talis*: nec tamen per hoc licet marito libere res istas matrimonio constante quaesitas alienare: sed tunc demum cum id fecerit ex causa, absque fraude & dolo, juxta leges Regias ac municipales & consuetudines, quod tradit Joannes Lup. in *dict. §. 66. n. 24. & 25. l. 4. tit. 4. lib. 5. ordin.* (hodie l. 5. tit. 9. lib. 5. *Recopilat.*) & l. 205. inter Styli leges, & praeterea Baldus *conf. 235. l. 2.* licet inibi sentiat contrarium ejus, quod in hac tertia illatione adseveravimus: & idem teneant Joan. Lup. Chassan. Didacus a Segura, & Rodericus Suarez. Quarto, ex praemissis constat, jure Regio Partitarum posse defendi sententiam Baldi in *dict. conf. 255.* Joan Lupi, Chassanei, Didaci a Segura, & Roder. Suarez in *praeclaris locis*, scribentium, dominium rerum a marito acquisitarum matrimonio constante in uxorem quoad partem dimidiam transferri absque aliqua traditione. Hoc etenim ad similitudinem societatis contractae poterit ex *leg. Regia 46.* adnotari [hodie l. 6. 10. lib. 5. *Recopil.*] quin idem erit quantum ad possessionem, sicuti asserit Segura, & sensere Joan. Lup. Rodericus & Chassaneus, dum ad hanc quaestionem adduxere gloss. in *dict. l. 2. ff. pro socio*, quae in dominio & possessione loquitur. Nec oberit quod lege Regia [hodie l. 5. tit. 9. libro quinto. *Recopil.*] maritus potest alienare absque consensu uxoris res integras acquisitas quidem per eum matrimonio constante, quarum dimidia pars uxori competit ratione communionis: quia haec communicatio inter virum & uxorem quoad acquisita matrimonio constante non est proprie in actu, sed in habitu, & credito: siquidem ipse maritus est actu dominus propter auctoritatem administrationis, & alienandi potestatem quam habet, non sane absolutam: cum absolute dominus non sit, sed tantum ad onus communionis, quae est inter ipsum & uxorem: aut saltem ex aliqua causa, quae praesumptionem doli & fraudis excludat, nec ea alienatio ei permittitur in ultima voluntate; sed tantum inter vivos; unde haec communicatio, soluto matrimonio, ipso jure exit in actum, & in veram atque actualem dominii & possessionis societatem, sicuti eleganter explicat Carol. Molinæ in *consuetud. Parisi §. 25. col. 1.* ipso vero matrimonio constante isthaec communicatio quoad dominium & possessionem quodammodo est impropria, & impedita propter administra-

Didaci Covarr, Tom. II.

tionem marito competentem, quae non est profus libera, sed quemadmodum dictum est; intra limites quosdam continetur, quos excedere & transgredi minime valeat.

Ex his plura deduci poterunt, quae hic libenter omitimus propter varias causarum species: & praesertim ex eo, quod facillimum sit post hanc resolutionem recte intellectam, & Regiis constitutionibus diligenter examinatis multa adnotare quae ad praxim utilia sunt quoad alienationem acquiritorum matrimonio constante marito permissam. Illud vero non est praetermittendum, quod ratione hujus societatis, & oneris ad eam spectantis, Taurina constitutione statutum est, *cap. 53.* [hodie l. 8. tit. 9. lib. 5. *Recep.*] dotem a solo marito, constante matrimonio permissam aut datam filiae, & donationem propter nuptias filio constitutam; solvendas & deducendas esse ex bonis acquisitis post contractum matrimonium, & lege Regia communibus aut communicandis inter virum & uxorem, parentes filiorum eorundem, quibus dos data fuerit. Quasi onus illud constituendi dotem & donationem propter nuptias filiis, pertineat ad onus ipsius societatis, saltem quoad hunc effectum, ut data vel promissa hoc titulo etiam a solo patre, in dubio censentur promissa & data ex bonis viro & uxori communibus, & ea ratione ex eis solvenda sunt atque deducenda. Idem alia ratione probatur. Etenim onus illud constituendi dotem filiabus, & donationem propter nuptias filiis, contractum esse matrimonio constante, veluti debitum quoddam aeri alieni (quod satis manifestum est:) & tamen debita omnia matrimonio constante contracta omnino solvenda sunt, & deducenda ex his quae acquisita fuere tempore ipsius societatis conjugalis; quemadmodum cautum est l. 14. tit. 20. lib. 1. *Fori leg. Styli 207. l. 59. Tanri* [hodie l. 8. tit. 9. lib. 5. *Recop.*] passimque id receptum est, & jure societatis maximam aequitatem habet, cum damna & commoda utrique socio communicentur, *leg. si non fuerit. §. Aristo. ff. pro socio*, nam & apud Gallos idem moribus obtentum extat, & sicuti constat ex Chassaneus in *consuetud. Burgund. rubric. 4. §. 9. n. 1. & seqq.* atque ita hanc rationem esse, quae locum fecit Taurinae constitutioni 53. [hodie d. l. 8. tit. 9. lib. 5. *Recopil.*] asserit & probat Joan. Lup. in *rubr. de donationib. §. 66. numer. 7.*

Ex quo inferitur quid dicendum sit, ubi patet soluto jam suo matrimonio, filiae dotem dederit aut promiserit; an ea data censentur vel promissa ex bonis acquisitis constante matrimonio inter eam & uxorem defunctam matrem ipsius filiae, quae nuptui traditur? etenim quibusdam visum est, eam dotem deducendam & solvendam fore de bonis ipsius patris, non de bonis acquisitis matrimonio constante, quod potissime probatur ex *leg. ult. C. de dotis promiss.* & ex eadem Taurina constitutione; argumento surpto a contrario sensu: dum dicit lex, durante matrimonio, quali secus sit. cum eo soluto pater filio aut filiae, dotem vel donationem propter nuptias dederit aut promiserit. Etenim ea datio aut promissio praesumitur de bonis ipsius patris; non de bonis filiorum *dict. leg. ultim.* res autem matrimonio constante acquisitae, eo soluto statim quoad partem dimidiam inter bona filiorum & heredum uxoris numerantur; atque idem ex eis non debet centeri constituta dos. Contrarium tamen in praxi frequentiori iudicium suffragio receptum est, ut tandem, si pater matrimonio soluto, filio aut filiae ejusdem matrimonii donationem propter nuptias dederit aut promiserit, dotemve constituerit:

ea datio & constitutio facta præsumatur ex bonis illo matrimonio constante quæsitis potius quidem, quam ex bonis propriis ipsius patris. Quod probatur ab eadem ratione Regiæ constitutionis, quæ onus respexit ipsius societatis & communionis conjugalis: processit etenim onus hoc dotem constituendi filiabus, & donationem propter nuptias filiis, ab ipso matrimonio, quo constante filii fuere progeniti. Quamobrem etiam si his filiis dentur donationes & dotes matrimonio soluto: ea tamen datio quædam & solutio debiti legalis contracti quidem matrimonio constante, & ejus causa, sic sanè post hujus operis primam editionem video hanc opinionem probatam fuisse à diligentissimo simul & eruditissimo Gregorio Lopez in doctissimis ad Partitarum leges commentariis in l. 6. tit. 10. pars 5.

4 Cæterum in contractu hoc sæpissimè & illud queritur: an decurionatus, † publica munera, scribæ & tabellionis officia, empta matrimonio constante à marito sint communia lege Regiæ, ipsi & uxori? & profectò videtur non esse hæc officia uxori communicanda: primò, quia uxor est incapax horum munerum, nec ea potest jure obtinere, nec in his Reipublicæ servire. Quod manifestè constat; ergo horum officiorum partem habere non potest. Siquidem Regiæ lex, quæ in hac re statuta est, & dictat acquisita matrimonio constante communia esse viro & uxori, intelligenda est, modò uxor capax sit acquisitionis, & rei quæ fuerit à marito acquisita, juxta, l. 1. & ibi notata, Cod. de sacrosanct. Eccles. Deinde & secundò eadem opinio auctoritate probatur. Nam & eam expressim asserit Gulielm. Benedictus vir non levis auctoritatis apud Gallos in his quæ ad forenses pertinent controversias, is, inquam, in cap. Raynutius, de testam. in verb. Et uxorem nomin. Adelsiam, num. 787. ita hoc probat, ut etiam asseveret, nec utilitatem, nec æstimationem horum officiorum & munerum communicandam fore ipsi uxori, nec ea mortua ejus hæredibus. Idem tenent Chassan. in consuetud. Burgund. rubric. 4. §. 2. vers. additio ista consuet. numer. 5. Quibus suffragatur quòd hæc munera & officia publica empta à patre cuidam ex pluribus filiis, nec cum fratribus mortuo patre communicantur, nec imputantur in legitimam, etiam quoad æstimationem, sicut visum est Nicolao de Ubald. in tract. de success. ab intestat. colum. 10. & Guliel. Benedict. in dict. cap. Raynutius, in verb. duas habens filias, num. 62. quia officia ista non transeunt in hæredes, nec vendi possunt absque licentia Principis: qua ratione eorum venditio impossibilis censetur, leg. apud Julianum, §. si constat. ff. de legat. 1. Unde deducitur, hæc publica officia empta, aut matrimonio constante acquisita per maritum, minimè fore communicanda uxori, etiam quoad æstimationem eorum.

Ego verò contrariam sententiam censeo jure veriorè esse in hunc sensum, ut decurionatus officium & similia: quæ fuerint per virum matrimonio constante acquisita, quantum ad eorum justam æstimationem, uxori sint communia, & pro parte dimidia eidem competant. Hoc probatur ex eo, quòd hæc officia empta sint pecunia communi viro & uxori: & idèò æquissimum est, ea quoad æstimationem viro & uxori esse communia: alioquin liceret maritis mille fraudibus uti adversus uxores, ad effugiendam acquisitionum matrimonio constante communionem: quæ veteribus hujus regni moribus inducta fuit, pluribusque Regiis constitutionibus matura & prævia deliberatione hætenus est stabilita. Non obstant quæ in prioris sententiæ comprobationem adducta fuerunt, & adduci solent. Primum

etenim, nihil impedit posterioris opinionis præxim, quòd isthæc officia publica individua sint. Nam & in individuis communio viri & uxoris locum obtinet: siquidem marito ædificante Ecclesiam matrimonio constante, & ex ea causa, aut alia acquitente jus patronatus † Ecclesiastici; jus istud est etiam uxori commune: habetque in eo uxor partem indivisam soluto matrimonio, jusque præsentandi, & idem in ejus hæredes transmittit: sicut censet Ioan. Lup. in rubric. de donat. inser. virum & uxorem. §. 61. num. 23. Et tamen jus patronatus individuum est, text. in cap. 1. de jure patro. ubi gloss. in cap. pietatis, 16. quest. 7. text. leg. quadam mulier. ff. famul. heretic. leg. Cornelia pia, ff. de jure patronat. saltem quoad substantiam: licet quoad præsentandi jus, & ejus exercitium sit dividuum: quemadmodum probatur in Clement. plures, de jure patronat. tradunt Bald. in cap. quanto de jud. Cardin. in dict. Clement. plures, colum. 3. Rochus Curtius de jure patronat. in verb. jus, quest. 6. Sic & in aliis individuis, quæ vendi & æstimari possunt, uxor partem dimidiam habebit. Item non oberit, quòd uxor capax non sit hujus muneris publici: id etenim procedit, quoad ipsum officium, non quoad ejusdem officii æstimationem. Deinde cum facillimè à Principe soleat impetrari licentia vendendi hæc publica munera eorum venditio possibilis est censenda, quod in dict. §. si constat, satis probatur: quem ipse ita intelligendum esse ostendi in Epitome de sponsalibus in 2. part. cap. 3. num. 8. Multò minùs nocet posteriori sententiæ, quod ultimo loco adducebam, de his officiis non imputandis in legitimam, nec conferendis: quia illud falsum est respectu æstimationis justæ, quæ quidem & in legitimam imputatur, & etiam confertur ex eo, quòd isthæc officia soleant facili Principis licentia vendi. Vnde licet Imperator in leg. omni modo, §. imputari, Cod. de inoffic. testament. responderit, hæc & similia publica munera, & militias in legitimam esse imputandas, eò quòd vendantur; & ea ratione sensim insinuet, munera & militias, quòd minimè vendantur, non fore in legitimam imputandas: attamen paria sunt, quòd militiæ vendantur, & vendi liberè possint & quòd facili licentia Principis vendi soleant: & hoc sensere Bartol. in l. 1. §. nec Castrens. ff. de collat. bonor. Bald. & Paul. Castr. in dict. §. imputari, scribentes officia publica & militias, quæ ex communi usu non vendantur, nec vendi possunt sine licentia Principis, non esse imputandas, nec conferendas. Quasi hi Doctores aliud forent responsuri de militiis, quæ facili licentia Principis vendi consueverint, & in specie, quòd publica officia, quæ vendi solent facili licentia Principis, conferenda sint & imputanda, quoad eorum æstimationem; tenent Ias. in leg. illud, Cod. de collat. v. 6. & Franc. à Ripa in l. in quartam, ff. ad legem Falcid. v. 193. Quibus tandem probatum erit, æstimationem † decurionatus, similibusque munerum acquisitionum matrimonio constante per maritum, communicandam esse omnino uxori, quod in hoc Regiæ Prætorio sententia judicum quandoque obtentum fuisse certò scio.

(Verum an horum munerum venditio à Principe, vel ejus consensu justè fieri possit, dubium quibusdam, & multis non temere videri poterit. Nam auctore Lampridio Alexand. Severus numquam passus est furis & gladii honores vendi: dicens necesse esse ut qui emit vendat, & Anastasius Imper. Theodoro Lectori, lib. 2. histor. Eccles. magistratus qui venales erant & pretio dabantur, gratis dedit. D. tamen Thomas ad Brabantia Ducissam, eam venditionem licitam esse censet, modò dignis & idoneis

ea fiat, & eo pretio quo exactiones iniquę vitentur. Probat Bald. leg. Barbatius, col. 2. l. 1. de offic. prator. Bened. in cap. Raynutius, verb. duas habens filias nu. 52. Soto de iustitia & jure. lib. 3. qu. 6. art. 4. Navar. in Manual, c. 25. versic. 8. idem Navar. in extravag. Greg. XIII. de datis & promiss. n. 43. Leges etenim hujus regni de privatis tractavere, his hujusmodi venditiones interdicens: conniventia tamen cum illis agitur, ita ut hic promissum censeretur possit, modò id fiat salva semper Regię potestatis auctoritate. De his tamen muneribus & militiis agimus, quę vel officia vel ministeria publica sunt, & à Principe, vel ejus auctoritate conferuntur, & cohererent personis his quibus dantur, & earum morte finiantur, & ad jus Principis vacationem redeunt. Quę quidem vocatio à Justiniano casus militia dicitur, in novell. 35. qua est de exhiben. reis, §. si verò semel vers. primum namque apud Julianum novell. 47. cap. 5. & apud eundem novell. 40. cap. 4. aliàs 97. qua extat tit. de equal. dot. §. his consequens, vers. quia vero. Sic planè militiæ casus doctissimus Accursius intellexerat, in d. vers. quia verbo pertinente. & in dict. vers. 1. verb. ex casu. Idem scripsit Alberic. in dictione. verb. casus, dum asserit in jure verbum casus; amissionem significare. Idem Accursius in auth. de non alienand. §. quoniam verò cognovimus, vers. casus. Nam & ibi Gręcæ Novellę verba τιμημάτων πώσιον, vetus interpres pretiorum casum transtulit: sicut in dict. vers. quia vero quę Gręcè τὸ κασοῦσιον scripta sunt, idem vetus interpres casu proveniente transtulit. Sed & in Auth. de nupt. §. mitiores, novell. 22. Gręcè scripta τὸ δότῳ ἢ πώσιον, latinè idem interpres reddidit, qua ab ea data sunt, nempe dotis, aut propter nuptias donationis, casum. Quo in loco rursus idem Accursius casum amissionem interpretatur. Et quamvis Lælius Luceus de militiis ex casu aliter senserit; sic casum intellexere Conan lib. 5. cap. 15. Lud. Charond. lib. 1. verosimilium, cap. 14. & Ant. August. in Juliani novellarum epitome verb. cadere. Nam hæ militiæ ita ex eorum jure, qui ipsas habent, pendere regulariter videntur, ut si casus, vel mortis, vel alicujus infortunii accidat, qui liberam disponendi facultatem renunciatione aliove modo competentem auferat, ad Principis nutum redeant, & velut caducę censentur: Gręca siquidem novella, non appellavit militias quasdã ex casu, neque ex ea notari potest ita appellatas fuisse. Sed de militiis tractat, quid agendum sit, quoties qui dicitur casus acciderit: utiturque Gręcus auctor hoc dicendi modo, quasi coacta dictionis Latinę mentione. Et quamvis ex Juliani novella. 47. cap. 5. Cujac. in novell. 35. §. 3. §. quid minori. ff. de minor. existimavit casum militia dici id, quod pro militia jam caduca, hæredibus aut filiis defuncti militis ex placito scholę militantium, vel beneficio Principis dabatur: & hoc ipsum Petro Pythæo placuerit in epitome Juliani dictione casus; Quibus suffragari videntur l. ult. C. de pignor. l. omnimodo, §. imputari. C. de inoff. testam. l. si quis in sacris, C. de proximis sacr. scrib. lib. 12. existimo tamen doctissimum Cujacium non discessurum ab ea interpretatione, quam ex Accursio tradidimus, ex eo præsertim quod is ipse in l. ult. C. de domest. & protectorib. pares fecerit militiæ & dotis casus, ex Aut. de equal. dot. vers. quia vero paulo ante à nobis citato. Quę verò militiæ palatinę, aut munera, aut publica officia potuerint olim Jure Cæsareo vendi, aut pignori dari, ex multis Cæsarum & Jurisconsultorum responsis, tradidere præter ordinariorum Juris interpretes latè Conan. d. c. 15. Charondus n. 14. Bald. tract. de pignorib. c. 12. & Cujac. in novell. 33. Ex quibus multa poterit lector in hujus regni publica munera inducere.

## NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT XIX.

Locus hic integrum requirit tractatum, itaque paucis iis quę ab auctore de conjugali acquirentu adducuntur, haud incongruè sequentia addi poterunt. In primis jure Romano communionem acquirentium inter conjuges incognitam, vel saltem non usitatam fuisse, quemadmodum tradit Garz. de conjug. acqu. n. 31. eodem quoque jure nullam cæterorum bonorum contractis nuptiis societatem, esse introductam, Covarr. de matrim. part. 2. cap. 7. §. 1. n. 7. Molina de justis. & jur. tom. 1. de dispur. 422. vers. de contractu medietatis, & dispur. 432. in princip. Alv. Valasc. cap. 5. prax. part. versic. secundo dubitatur, n. 4. & seq. unde, & in repudiis hæc receptę formulę, Tuas res tibi agito, l. 2. §. 1. ff. de divor. & repud.

Diversarum tamen gentium moribus non solum acquirentium, sed & omnium bonorum inter conjuges quoad dominium & possessionem recepta communio est Covarr. hic n. 1. in fin. Valasc. ubi supr. nu. 7. in fin. Molina dict. vers. de contractu medietatis, quę veteribus quoque non parum commendata fuit. Hinc apud Plutarch. in præcept. nuptial. Talis pecuniarum societas connubio junctis maxime convenit, ut unam substantiam rebus omnibus confusis ac mixtis non hanc partem propriam, illam alienam, sed omnia propria ac nihil alienum arbitrentur. Sed & laudat Columella in præfat. lib. 12. quod apud prælicos nihil in domo conjugalis dividuum conspiciatur, nihil quod aut maritus aut femina proprium esse juris sui diceret, sed in commune conspirabatur ab utroque Quod ad jus statutarium urbis Antverpiens. hæcenus observatum attinet, id nec universim juri Romano respondet, neque etiam in totum ab illo recessit. Inter conjuges enim (nisi contraria dotalia pacta verent) communia facit bona constante matrimonio acquisita, mobilia item & actiones, nec non domos ac fundos in urbe urbisque ambitu sitos, non habito discrimine an à marito: vel ab uxore conjugio illati sint. Reditus autem super hujusmodi domibus & fundis constitutos, præter acquisitos, à communionem excludit; etiamsi hypotheca eorum in communionem veniat; quod singulare est moribus Bruxellensium immobilia quidem in matrimonio acquisita, eo soluto quoad proprietatem inter conjuges eorumve hæredes dividuntur. Mobilia verò universè superstes conjux sua facit retento insuper bonorum omnium usufructu cum onere æris alieni, & hæc quidem in allodialibus. Nam in feudis moribus Brabantię regulare est, quod acquirentium dimidium proprietatis, alteriusque partis usufructus superstiti conjugi cedit; nisi filii vel nepotes extent &c. Eo quippe casu superstes in medietate feudis usum fructum simplicem & in altera hereditarium (quem nostro idiomate erfstocht. appellant tantum retinet: in feudis verò non acquisitis, si à latere prædefuncti procedant, superstes ex conjugibus medium usumfructum eorum consequitur, & proprietatem ad liberos devolvitur: quod similiter contingit, cum feudum à superstite conjuge processit; reservato tamen ei integro usufructu.

Acquisitorum autem nomine etsi Jure Civili ea tantum comprehendantur quę sociorum opera atque industria parta sunt, l. viri, cum seqq. l. societatem §. duo ff. pro Socio. Angel. conf. 112. Boër. ad consuetud. Bituric. tit. des coutumes concern. gens mariez, quorundam tamen locorum moribus: legata res donata, successiones & hereditates quę constante

matrimonio obveniunt inter acquisita recensentur. Pyrrh. ad consuet. Aurel. tit. de societ. inter vir. & uxor. Everar. cons. 53. Pap. lib. 17. tit. 3. arrest. 16. Imbert. in Enchirid. verb. donation entre vifs vers. doute s'est men In quo à quibusdam etiam distinguuntur solet, an ab extraneo vel consanguineis processerint. Sed de hisce controversiis (cum variis distinctionibus contrariis DD. opinionibus & Curiarum Aristis involvatur) videto Garz. de conjugal. acqu. n. 101. cum mult. seqq. Gomez ad Tauri l. 50. n. 27. Charond. lib. 7. respons. 43. Illud dubitari posset; an si maritus prædium suum quod ante matrimonium cum pacto de retrovendendo distraxit, constante matrimonio redimat, id, ejusvè incrementum, quo plurius convento pretio valet, acquæstus nomine veniat, vel præcipuum ad maritum spectet Et spectare cum Gregorio Lopez ad l. 18. tit. 11. part. 4. verb. O estimada & Gutierrez tract. qu. lib. 2. qu. 16. respondet Molina tom. 2. disp. 433. vers. juxta doctrin. de usufr. eò quod redemptio hæc originem suam ex causa matrimonio anteriore traxerit. Idem quoque in prædio majorum, à marito jure sanguinis constante matrimonio retracto, definit Gomez ad l. 70. Tauri n. 28. Gutierrez dict. qu. 16. nu. 3. Garz. de conjugal. acqu. n. 100. licet in contrarium (referente Molina ubi sup. versic. utrum autem) recesserit Advandanius, vid eund. Molin. d. tom. 2. disp. 371. versic. dubium est. Congruenter his etiam à Garz. de conjugal. acqu. n. 61. deciditur, prædium à marito ante matrimonium emptum, eo tamen constante pretio soluto, marito cedere. Hisce tamen casibus, pretium ipsum in emptionem vel retractum prædii insumpsum, uxori ejusvè hæredi pro medietate debetur. Si quod tamen constante matrimonio ex pecunia prædii mariti vel uxoris venditi comparatum est, id commune fieri, atque idem in fundo ex pecunia alterius conjugis empto obtinere; respondet Garz. n. 62. & 63. Porro si circa bonorum naturam incidat controversia, quænam patrimonialia vel acquisita habeantur, pro acquæstu præsumendum est, donec contrarium probatum fuerit Gomez. ad dict. l. 50. Tauri n. 70. Mol. d. tom. 2. disp. 433. ver. dissol. matr. & sic moribus, præsertim Hispaniæ, cessat contraria Juris Civilis præsumptio, in dubio omnia de bonis mariti censentur, leg. Quintus Mutius, ff. de donat. inter vir. & uxor. leg. etiam. C. eod. gloss. ibid. in verb. marito. Garz. de conjugal. acqu. n. 158.

Quod autem ad effectum communionis attinet, nihil ei impedimento est bonorum inter conjuges inæqualitas, vel quod nihil ab altero in subsidium matrimonii allatum est: siquidem tamen absit dolus Peck de testam. conjug. lib. 2. c. 3. & 4. Boët. decis. Burdegal. 22. n. 32. nec etiam quod bona acquisita alterius tantum conjugis nomine comparata sint. Garz. d. tract. de conjugal. acqu. n. 171. hoc tamen discrimine quod tunc ipso jure dominium & possessio in alterum conjugem non transeat. Covar. hoc cap. num. 2. vers. 3. Partem autem, quam quisque conjugum in bonis acquisitis habet eam dissoluto matrimonio jure suo proprio consequitur, etiam si potestatem, maritus constante matrimonio actu sit dominus. Argent. ad consuetud. Britann. tit. des mariages, art. 444. gloss. 3. Covar. hoc cap. n. 2. Molinæus ad consuetud. Parisiens. tit. de feudis, §. 25. n. 1. & 2. Peck de testam. conjug. lib. 2. tit. 1. n. 2. Circa quod consuetudine Antverpiensi receptum, quod maritus non solum immobilia uxoris patrimonialia bona, sed nec ejus partem in acquisitis, in quibus ipsa pariter investita est, sine ipsius consensu, & nisi coram magistratu cum tutore alieno, alienare possit. Hoc etiam in acquisitis notandum est, quod medietas uxori in iis competens, non magis in confiscatione bonorum mariti comprehendatur

quam ipsius dos, lib. 2. observ. 86. n. 14. Molina Gaill. tom. 2. disp. 434. vers. ut simul cum seq. Garz. de conjugal. acqu. nu. 75. Ut autem acquistorum, bonorumque patrimonialium soluto matrimonio incautur ratio, quæti potest quænam ex diversis consuetudinibus domicilii contrahentium, contractus, vel loci ubi res sita est, spectanda sit, cujus controversiæ decisio extat apud Charond. lib. 7. respons. 100. & lib. 5. respons. 3. Gomez. ad l. 50. Tauri n. 75. plenè Garz. de conjugal. acqu. n. 140. cum sex seq. Covarr. de matrim. in 4. part. 2. cap. 7. n. 7.

## CAPUT XX.

De meri & misti imperii, ac jurisdictionis delegatione.

## SUMMARIUM.

- 1 *Causa meri & misti imperii, an jure Pontificio possint delegari.*
- 2 *De delegatione causarum criminalium qua ad merum imperium pertinent, & ibidem intellectus cap. in archiepiscopatu de raptoribus.*
- 3 *Intellectus cap. quod sedem, ff. de offic. ord. & c. aqua de consecrat. Eccles.*
- 4 *Episcopi & urbium Prætores, vicarios constituere possunt ad civilia & criminalia negotia.*
- 5 *Intellect. ult. de offic. ordin.*
- 6 *Voluntaria jurisdictio, an delegari valeat?*
- 7 *Vicarius Episcopi, an possit conferre beneficia Ecclesiastica ex generali commissione.*
- 8 *Jurisdictio voluntaria an possit extra territorium exerceri? Et inibi intellect. c. statutum, de præb. in 6.*
- 9 *Episcopi Rome habitantes non possunt in eadem urbe benefic. Eccles. conferre.*
- 10 *Delegatus ad ea, que Principi reservata sunt, non potest subdelegare n. 5.*
- 11 *Delegatus legati Cardinalis à latere Romani Pontificis destinati non potest subdelegare.*

IN jurisdictionis delegandæ tractatu plura tradi solent, quæ summa contentione difficilem examinationem, ac disceptationem habent, è quibus ad quarundam decisionum faciliorem intellectum aliquot compendio quodam attingam, quæ Juris Pontificii constitutionibus convenite videntur: quibus præmittendum est, quonam modo distinguantur ea quæ sunt meri imperii ab his, quæ misti esse censentur: & rursus: quod discrimen sit inter hæc, & ea quæ sunt simplicis jurisdictionis. Qua in re non admodum contentiosus ero, etiam si videam satis dubias & difficiles esse Bartoli definitiones, quia hæc frequentiori interpretum calculo receptæ hæcenus fuere, in l. imperium, ff. de jurisdict. omnium jud. & in c. quod sedem de offic. quod. quò in loco Andr. Alciat 5. not post alios quorum ipse meminit, Paulus à Monte Pico, & Juniores quidam præsertim Longovallius in dict. l. imperium, communes definitiones reprobate validis rationibus conantur, verè contendentes, merum imperium, item mistum, & jurisdictionem simplicem à Jurisconsulto congruè diffiniri in dict. l. imperium Cui addenda est Regia l. 18. tit. 4. part. 3. Horum sane controversam disputationem missam facimus, illud tantum tractaturi, an sit in hac materia inter Jus Pontificium & Cæsareum aliquod discrimen. Nam etiam si concedamus ea quæ sunt misti imperii minimè esse delegabilia: quod validissimis Jurisconsultorum auctoritatibus evertere contendunt Fulg. in l. ff. de off. ejus cui est mandat. juris Alc. in d. c. quod sedem n. 69. Longoval-

lius in *d. l. imperium*, fol. 65. §. *venio ad tertium articulum*, communem improbanes sententiam, qua jam diu obtentum est; non tantum ea, quæ meri sunt imperij, esse indelegabilia *d. l. 1. in pr. l. nemo potest gladij, ff. de reg. jur. l. solci, ff. de offic. procons. & leg.* in quo nulla fere est controversia; sed & ea, quæ sunt misti imperij: idque ex eadem *l. 1.* adnotatum est, & à Doctoribus ibi advertit Fulgosium aliis rationib. & responsis: maximo conatu defensum: attamen id verum est Jure Cæsareo: siquidem Jure Canonico cause meri & misti imperij delegari possunt. Unde Archiepiscopi, Episcopi, & alij judices Ecclesiastici merum & mistum imperium habentes, poterunt illas alteri committere & delegare; sicut asserunt glos. in *c. in Archiepiscopo de raptoribus*, glos. in *d. c. quod sedem*, ita glos. in *d. c. pervenit 95. dist.* quarum sententiam communem esse fatentur Panorm. Imol. & Alc. *n. 76. in d. c. quod sedem. & Juniores in d. l. 1. præsertim Curt. Jun. n. 22. Alex. Jas. Puzpurat. n. 492. & Jacob. de Nigris col. 13.* Huic opinioni primùm suffragatur text. in *d. c. in Archiepiscopatu*, † ubi inferior à Principe & ordinarius judex, qualis erat Rex Siciliae, causas criminales quæ ad merum imperium pertinebant, omnino delegavit, Sed profectò pluribus rationibus parum urget ille textus. Etenim quamvis Rex Siciliae subditus sit Romano Pontifici. *Clem. pastoralis, de re jud.* Rex tamen & verus Princeps est, habens ea omnia jura, quæ Principibus jure conveniunt, & eis speciali privilegio reservantur: agnoscit etenim Romanum Pontificem jure feudi, & in recognitionem supremæ potestatis ipse nihilominus omnem & integram jurisdictionem in regno habet, & eam exercet & exequitur, nec tenetur appellationem admittere à propriis ejus sententiis, notat Bild. in *tit. que sunt regal. a. c. 1. in fin.* colliguntur & alia, quæ hunc intellectum manifestissimè probant ex *Matth. de Afil. q. 2. & 13. præfationis constitut. Neapolit.* Unde sicut ipse Siciliae Rex potest alicuj nobili merum imperium sibi competens in aliqua urbe concedere, ut id perpetuò jure feudi habeat: ita poterit & meri imperij ac misti causas delegare. Deinde ea delegatio cujus meminit ille textus, fieri jure potuit: quemadmodum & inferior à Principe judex ordinarius ex causa potest ea quæ sunt meri & misti imperij, delegare, *l. 1. in pr. ff. de off. ejus*, text. in *auth. de collator. §. ad hæc.* & in *d. c. quod sedem.* Quæ autem, obsecro, major causa ad hæc deleganda esse aut contingere potest, quam quòd Siciliae Rex minimè valeat ipsemet ea expedire, quæ pertinent, ad animadversionem scelerum, tot negotiis alioqui ad Reipublicæ utilitatem impeditis? & maxime quòd in *d. c. Archiepiscopatu*, causa illa justissimè per Regem fuit Episcopis delegata, quia quodammodo ad religionem pertinebat; & ided per Prælatos Ecclesiasticos poterat diligentius & utilius examinari & expediri. Quibus tandem fit, nullo pacto posse opinionem communem deduci ex dicta constitutione, & Romani Pontificis responso.

Secundò eidem opinioni communi adstipulatur text. in *c. aqua. de consecrat. Eccles. vel altar.* qui probat, ea quæ sunt ordinis Episcopalis delegari posse: & tamen ea gravissima sunt, & ardua, atque ad merum vel mistum imperium pertinentia, & specialiter Episcopis ratione ordinis conceduntur, argum. *l. 1. in prin. ff. de offic. ejus.* Sed & huic probationi facillimè occurritur; si interpretemur, hanc delegationem fieri posse justa causa: nempe ipso Episcopo absente, vel impedito, quod satis expressum est † in *d. c. quod sedem*, sic sanè itidem respondetur *cap. suffraganeis, de elect.* Forfan diceas, ex hac responsione constare, sacros ordines, Episcoporum consecrationes à delegatis Episcopis ministratas, cum nulla fuerit delegandi justa causa, nullos esse, neque eum effectum & vim habere, quam alioqui jure divino & humano es-

sent habitura; si a proprio Episcopo ministrarentur, quod perquam durum est. Nam & Hostiens. quem ceteri sequuntur in *d. cap. quod sedem*, indistinctè tenent, ea quæ sunt ordinis fore delegabilia, etiam si delegans nullam habeat justam delegandi causam. At si rem istam exactè pensitemus, non oberunt hæc, quæ modò diximus, ei opinioni, qua probatur, non posse delegari quæ sunt ordinis, nisi delegatio ex justa causa fiat cum etsi Episcopus delegatus ea expenderit & gesserit, eam vim ab eo gesta habebunt, quam habuissent, si absque delegatione forent expedita. Non me latet, Hostiensis sententiam frequentiori Doctorum calculo receptam esse, & posse defendi, etiam refragante Alciato, speciali quadam ratione: si quidem ea, quæ sunt ordinis, delegari non possunt nisi alteri Episcopo, qui & ordinis potestatem absque ulla delegatione habeat: cui solum deficit, non potestas ordinis quæ sufficiens est ad eam actionem; sed licentia & permissio Episcopi proprii illius diocesis: quia juxta Canonicas sanctiones, inhonestum & illicitum censetur, quemquam Episcopum exercere potestatem ordinis in ea diocesi, quæ sibi commissa non fuerit, & in eos qui sibi subditi non sint. Quo fit, ut in hac specie, non sit vera, nec propria ordinis delegatio. Quamobrem in his, quæ jure divino ad solam potestatem ordinis pertinent; etsi jura Canonica ex causa punierint utentem ea potestate in aliena diocesi, & item ipsos, quib. ministratum est, vel suspensione ordinum, vel alia pœna: nihilominus quod actum fuerit, ex potestate ordinis, vim omnino habet. At in his quæ ex institutione Ecclesiæ ordinis potestati applicantur: non solum Canones potuerunt ministros, & eos, quibus ministratum est, alia pœna punire; sed & ipsosmet actus irritos facere, & habere quod constat ex his, quæ doctissimus Alfonso à Castro diligenter scripsit *lib. 2. de justa heret. puni. cap. 22.* ita quidem mirum non erit, si Jure Pontificio permissum sit, etiam absque ullo justo impedimento, ea quæ sunt ordinis, alteri ordinis potestatem habenti delegari; tamen si videam, quòd Rom. Pontifex in *d. c. quod sedem*, causam justii impedimenti exegerit ad hanc delegationem: eam verò ad honestatem quamdam pertinere communis interpretatio censet.

Tertiò adducitur in favorem communis sententiæ text. in *c. ult. de cler. monach. in 6.* ex quo apparet, inferiorem à Principe causa meri imperij posse delegare. Sed id ex eo obtinet, quòd Episcopus habens merum imperium, non potest illud exercere in causis, quæ sanguinis pœnam requirunt: impedit etenim ipse Ecclesiasticus ordo.

Quartò, citatur pro communi textus in *Clem. 1. §. 1. de heres.* quo probatur Episcopum posse causas hæresis delegare, & alteri committere. Nam, ut inibi expressum est, hæreticæ causæ inquisitores non possunt de ea cognoscere, nec eam tractare regulariter absque Episcopo, vel ejus vicario aut delegato. Igitur delegari poterit causa hæreseos cognitio, ejusque punitio. Huic tamen auctoritati respondent Felin. in *d. c. quod sedem*, & alij ibidem, esse speciale in causa hæresis, favore fidei, quòd & Cardin. adnotavit in *d. Clem. 1. §. 1.* nam quòd Alciat. in *d. c. quod sedem, n. 77.* admonet, dicens textum in *d. §. 1.* permittere Capitulo, vacante sede, delegationem; non tamen Episcopo, qui ejus vicarium generalem debet causis illis hæreseos examinandis præficere; non admodum convenit, cum idem text. in fine mentionem faciat delegati ipsius Episcopi, & delegati Capituli, sede vacante.

Quintò, qui communem sententiam sequuntur, citant pro ea text. in *c. licet, de offic. vicar. & in c. cum Episcopus, de offic. ord. n. 6.* Quibus permissum est Episcopis,

copis, per se vel per alios jurisdictionem civilem & criminalem exercere. His tamen respondetur, & id obtinere in Episcopis, qui pares censentur Proconsulibus, qui olim à Senatu Romano mittebantur ad provincialem administrationem: & hi legatis delegabant jurisdictionem, merum & mixtum imperium, *l. solent. ff. de offic. proconsul.* quæ quidem responsio minimè congruit, cum ex *d. l. solent.* constet manifestè, disparè esse delegationem factam à Proconsule ejus legato, ab ea, quæ per Episcopos fit, juxta text. *d. c. licet*, cum legatus Proconsulis ex vi delegationis non posset causas meri imperii definire per sententiam: tametsi eas posset examinare, *d. l. solent. in princip.* Idèò verior est responsio, quod text. in *d. c. licet*, obtineat in officialibus qui ab Episcopis constituuntur & hi vicarii appellantur. Nam & isti quadam conscientia, & permissione juris exercent mandatam sibi à Prælati jurisdictionem: & ideo Episcopis tacitè permissum censetur jure Canonico hos vicarios constituere, atque eis jurisdictionem demandare, ut eorum locum teneant vicarijque gerant: quia ratione dicuntur vicarii judices ordinarii, & ordinariam habent jurisdictionem, gloss. in *c. 2. de offic. vicarii, lib. 6. & in c. Romana, in princ. in verb. generaliter, de appellat. in 6. & in c. perlectis, 21. dist. Fel. in rub. de offic. deleg. n. 4. Alex. n. 17. Jas. n. 2. in rub. ff. de offic. ejus, cui est mand. jurisd. Matth. de Afflict. in constit. Neapol. lib. 1. rubr. 59. nu. 12. Panorm. in c. decernimus, n. 12. de jud. & idem in c. si quis contra clericum. num. 35. de foro competen. in reper. quorum communis est, & profectò jure probatur, quidquid in contrarium scribat Aciat in rubric. de offic. ord. 5. judicium specie. Si quidem satis erit, ut vicarii habeant jurisdictionem ordinariam, quòd generaliter, tacito consensu Principis, legis aut Reipublicæ, ab Episcopis constituentur, ut eorum vice & loco jurisdictionem generaliter exercent. Qua ratione idem erit dicendum in judicibus secularibus, quia apud Hispanos à rectoribus civitatum delegantur, & eorum *Locum tenentes*, appellantur. Nam & hi ordinariam habent jurisdictionem, & eam exercent consensu Principis, licet ab ipsis rectoribus, non à Principe nominentur: habent etenim rectores civitatum apud nos jus istud constituendi vicarios, etiam absque ullo impedimento. Atque ita hos habere ordinariam jurisdictionem, etiam Jure Civili, asserit Paul. Castrenf. in rubric. ff. de offic. ass. & Curt. Jun. in rubric. ff. de offic. ejus n. 19. contra Alexand. inibi, qui voluit, vicarios istos Jure Civili non habere ordinariam jurisdictionem. Histandem probatio communis sententiæ refellitur: & ea ratione verior est opinio quorundam Juris utriusque interpretum, qui existimant, nullam esse differentiam inter jus Canonicum & Civile in delegatione meri & mixti imperii: imò probatissimi juris esse, ita Jure Canonico ea, quæ sunt meri & mixti imperii, esse indelegabilia, sicuti jure Civili. Quam sententiam adversus communem tenuerunt Imol. Felin. Aciat. n. 76. in *d. c. quod sedem Anan. in d. c. in Archiepiscopatu. Dec. in l. 1. col. 6. & ibi Jacob. de Nigris, col. 13. ff. de offic. ejus cui est mand. jurisd. sensit Innoc. c. super quæstion. de offic. deleg. col. 3. communis tamen sententia adeò obtinuit, ut difficillimum sit eam in praxi refelli.**

In hac verò disputatione adhuc communi sententiæ additipulatur & text. in *c. ult. de offic. ord. in hæc verba: His quide n ex officio in certis casibus competet illos absolvere, qui pro violenta manuum injectione incidunt in Canonem sententiæ promulgata, licet aliis hujusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire.* Quæ quidem constitutione probatur, ea quæ jure speciali magistratibus conceduntur, à lege vel rescripto Principum delegari posse. Et tamen hæc Jure Civili sunt

indelegabilia, text. in *d. l. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. jurisd.* à qua & illud deducitur, meri & mixti imperii causas non posse delegari. Igitur constat ex his, maximam differentiam constitui inter Jus Canonicum & Civile, in harum causarum delegatione. Idem manifestius apparet, si præmittamus Jure Pontificio latam esse excommunicationis sententiam, ejus absolutio Romano Pontifici tantum competit, in eos, qui manus injecerint violentas in clericos, *c. si quis suadente, 17. q. 4.* Quæ tamen absolutio speciali quodam jure quandoquæ Episcopis committitur, *c. mulieres, c. de monialibus, c. pervenit. c. quod de his, c. ult. de sentent. excommunic.* Quòd si probaverimus communem sententiam, facilis erit interpretatio *d. text. in c. ult. de offic. ordin.* cum Jure Pontificio merum & mixtum imperium delegabilia sint. At si nullam in hoc differentiam inter Jus Canonicum & Civile admitterimus, superest adhuc difficultas; cur ea quæ speciali quodam jure, & nominatim lege, vel canone, alicui tribuantur, possint delegari, & alteri committi, contra Jurisconsulti responsum in *d. l. in princ.* Et ut simul elegantem Juris Pontificii constitutionem, ab aliis objectionibus tutemur, adversus eam item opponitur text. in *c. ult. §. ult. de offic. delegat.* quo palam probatur, potestatem absolvendi vel excommunicandi alicui datam, ab eo alteri delegari non posse. Idem instituit ille text. de potestate prædicandi, dispensandi cum irregulâribus, injungendi pœnitentias: hæc etenim demandari alteri non possunt, unde Doctores in *l. imperium, ff. de jurisd. omnium jud.* ex eo capite adnotarunt, voluntariam jurisdictionem non posse delegari, gloss. in *l. ab ea parte, ff. de probat. Fel. in d. c. quod sedem nu. 2. Bald. l. 3. n. 6. quando provoc. non est necess.* Deinde & tertio obstat prædictæ constitutioni, quod habens specialem commisionem à Principe ad expediendum aliquid, quod sit Principi reservatum, non potest id alteri delegare, secundum Bald. in *c. ult. de offic. deleg.* ex eo quòd negotium grave & arduum sit, & ad id videatur electa industria delegati. Idem notant Barb. col. 3. in *d. c. ult. de offic. ord. Fel. in d. c. quod sedes, col. 2.* post Anton. & Imol. ibi Alex. in *l. 1. ff. de offic. ejus n. 6. & ibi Jas. n. 28.* quæ opinionem sequuntur, asserentes eam esse communem Lancelot. Dec. col. 2. & Jacob. de Nigris col. 15. in *eo. l. 1.* unde habens potestatem legitimandi, creandi tabelliones & dispensandi non potest, si delegatus sit, & ex commissione Principis eam potestatem habeat; delegare. Et tamen in *d. c. ult.* habens potestatem absolvendi ab excommunicatione cujus absolutio Papæ reservatur, optimè poterit eam alteri delegare. Quibus tandem effectum est ut difficilis sit interpretatio illius responsi. Et sanè Bald. in *d. c. ultim.* scribit, eum textum procedere non in jurisdictione delegata; sed in ordinaria competentem alicui ex privilegio speciali: nam hæc delegari poterit, sicut & ea, quæ jure ordinario & communi data est, sequitur eandem Baldi adnotationem Jas. in *l. à divo Pio. 1. col. ff. de re jud.* idem in *l. à judice in pr. C. de judic.* Ego verò non inficior, jurisdictionem ordinariam alicui datam privilegio speciali, delegari posse, sicuti & ea legatur, quæ absque privilegio jure communi ad aliquem pertineat; ambigo tamen, quæ sit ratio cur in *d. c. ult.* ea quæ jure speciali, & nominatim ordinario judici lege, vel canone tribuantur; delegari possint, Jurisconsulto refragante in *dict. l. 1.* idèò dici potest, delegationem cujus Rom. Pontifex meminerit in *d. c. ult.* factam fuisse tantum quoad quemdam actum, & nudum ministerium, nempe simplicem absolutionem. Quod quidem nudum ministerium absolutionis Episcopus, quoties viderit id expedire, & delegare committere poterit: quemadmodum deduci-



aut ex ratione in *o. super quæstion. §. nos autem de off. deleg.* atque juxta hanc interpretationem nihil in ea constitutione decisum est, quod Jurisconsulto in *d. l. 1. refragatur*

Secundò illud fortassis non incongruè Pontificiæ responsioni aptabitur; quòd ea delegatio jure permiffa fuerit in favorem animæ, & ejus utilitatem, ne periclitetur excommunicatione ligata: unde ad facilitiorem hujus servitutis libertatem, erit item liberam Prælati, absolutionem hanc alteri committere, sic etenim responderunt Lancel. Dec. col. 2. & Curt. Jun. n. 80. in *d. l. 1. ff. de offic. ejus.* Et præterea jus hoc absolvendi excommunicatos propter clericorum percussione ego censeo Episcopis competere, & aliis Prælati jure officii ordinario, & ita jure magistratus eo ipso, quòd quis Episcopus aut Prælati sit. Nam etsi hujus excommunicationis absolutio sit Romano Pontifici reservata, propter gravem injuriam clericorum ordini illatam; nihilominus Jure Pontificio statuti sunt quidam casus, in quibus justissimis rationibus, ad Reipublicæ utilitatem, Episcopis, & aliis Prælati, ratione officii ordinarii, non quidem specialiter ob negotii pondus, imò quia tunc non ita convenit criminis punitionem augeri & extolli, permiffum est; quod Christianis absolutionem ab hac excommunicatione ministrent. Etenim quod Jurisconsultus scribit in *d. l. 1.* tunc obtinet, cum propter causarum pondus & gravitatem, specialiter lege, Senatusconsulto aut decreto Principis negotia magistratibus committuntur, quæ alioqui non suberant eorum cognitioni, nec examini. Et ideo causæ meri imperii, atque item mixti, propter earum pondus, specialiter committuntur judicibus, nec ab eis delegari possunt: quæ quidem ratio satis aliena est à responso Romani Pontificis in *c. ult.* cum inibi negotii qualitas efficiat facilem Juris Canonici commissionem, qua Prælati in absolvendis excommunicatis utantur, & ejusdem absolutionis delegationem: quoties id visum Prælati æquum fuerit. Ex quibus mihi libuit aliquot inferre ad intellectum *d. c. ult.*

Primum, deducitur ejus conciliatio cum *c. ult. §. ult. de offic. deleg.* siquidem text. ille procedit in eo qui habet potestatem absolvendi ex commissione, inquam, nudi ministerii: is etenim delegare nudum illud ministerium; ad quod delectus fuit per Papam, minimè potest. At in *d. c. ult. de offic. ordin.* potestas absolvendi competit ex officio: ratione dignitatis, sive illi dignitati hoc tributum sit jure communi, sive privilegio, unde subinfertur, potestatem exercendi nudum ministerium ex officio, aut dignitate adhuc jure privilegii alicui competentem, delegari posse, quod adnotaverunt gloss. Joan. Andr. Imol. Panor. & alii in *d. c. ult. de offic. ordin.* Fel. in *d. c. ult. de offic. deleg.* Secundò deducitur, potestatem absolvendi, & sic nudum hoc ministerium competentem alicui ex simplici delegatione, alteri mandari non posse text. in *dist. §. ult.* Deinde & tertio apparet, judicem delegatum, cui non nudum ministerium, sed & jurisdictio commissa fuerit, posse absolutionem ab excommunicatione alteri delegari gloss. omnium consensu recepta in *d. c. ult. de offic. ordin.* quam sententiam admittunt Doctores in *d. §. de offic. deleg.*

Secundò infertur, jurisdictionem ¶ voluntariam competentem alicui ex commissione legis, Senatusconsulti, aut canonis, delegari posse: quod in *d. c. ult.* satis probatur: quando hæc voluntaria jurisdictione non sit tanti momenti, quin per alium expediri valeat, idem colligitur ex *l. apud proconsulem ff. de manumiss. vind.* quam ad hoc citat Bald. in *l. 2. ff. de*

*off. procons. & legat.* facit ad hæc text. in *c. 2. & 3. de off. Archiepresb. & in cap. 1. §. ult. de temporib. ord. in 6.* quibus probatur, jurisdictionem voluntariam alicui lege datam posse alteri committi. Quod si voluntaria jurisdictione à principe data sit per rescriptum, ea alteri per delegatum committi non poterit, text. in *d. c. ult.* cum delegatus ad nudum tantum ministerium, non possit id alteri demandare: atque ita difficultatem istam componit & explicat Longovallius in *d. l. imperium fol. 36.* Nec quidquam oberit, quod voluntaria jurisdictione jure alicui ratione dignitatis aut officii. Etenim ex eo quòd ea potestas, dignitati vel officio perpetuo datur, jam ordinaria potius dicenda est, quam delegata. Et idèd potestatis ordinariæ jure habet & sequitur: juxta notata per Abb. Card. & Fel. in *c. licet de off. ord.* Bart. Alex. & Jas. in *l. 3. ff. de offic. ejus, cui est mand. jur.* Ergo jurisdictione voluntaria competens alicui sive speciali jure sive privilegio; modò ratione officii aut dignitatis perpetuo à canone vel lege data sit, delegari poterit: nisi ea jurisdictione magni sit momenti. Nam ratione obtentum est, Episcopum non posse potestatem conferendi beneficia committere alteri quam ejus vicario generali *gl. ult. in c. statutum, de prob. in 6. & in c. deliberatione, in verb. cuicumque de off. deleg. eo. l. Oldr. conf. 77. Card. in c. cum dilect. 2. col. de consuetud. Abb. in c. constitutus, n. 5. & in c. ult. n. 6. de concess. pref. Rota in antiq. 288. & 327. Joan. de Selva in tract. de benef. 2. part. q. 21.* Et est communis sententia Doctor. in *d. c. statutum, & in c. deliberatione.* Quod satis justè obtinuit ex eo, quod collatio beneficiorum maximi sit momenti, & requirat sedulam ac diligentissimam Prælatorum examinationem & curam. Eadem sententiam asseruit gloss. quam ibi Domin. & Franc. sequuntur in *c. ult. de off. vicarii* quo in loco Romanus Pontifex perpendens rem hanc seriam esse, statuit collationem beneficiorum minimè ceteri commissam ab Episcopo vicario, quem generalem constituit, nisi expressim ejus delegatio & commissio fiat. Sic nec eidem vicario, vi & ratione generalis commissionis, censetur data potestas inquirendi, corrigendi aut puniendi subditorum excessus, nec privandi quemquam Ecclesiastico beneficio, officio aut administratione, *c. licet, de off. vicar. eodem lib.* Hæc siquidem graviora sunt & majora, quam ut in generalem delegationem veniant. Est igitur necessaria specialis commissio Ecclesiasticorum beneficiorum, nec continetur sub generali delegatione, quæ per Episcopum sit vicario totius diocesis. Huic verò sententiæ non obstat text. in *c. ex frequens, de instit.* Quia licet ibi expressim ¶ sit vicarium generalem posse beneficia Ecclesiastica conferre: habet tamen ea constitutio varias interpretationes, ut demum vicarius conferre possit beneficia, non quidem ex generali commissione exercendi jurisdictionem; sed vi & ratione specialis delegationis, secundum Dyn. in *reg. 1. de reg. jur. in 6. n. 14.* quam interpretationem & Panor. sensit in *d. c. ex frequ.* Qui tamen subjungit aliam; quam Imol. & Doctores probarunt, asseverantes illum textum tractare non de libera collatione beneficiorum; sed de institutione, quæ fit ad pattonorum præsentationem; quam vicarius generalis absque speciali commissione ministrare & impartiri poterit, quod etiã tenuerunt, *gl. in d. c. ex frequ. in verb. offic. Rom. sing. 601. gl. in c. ult. de offic. vicar. in 6.* inibi communi omnium suffragio recepta: item *gl. in c. cum in illis §. cum autem, de prob. in 6. Selva de benef. 2. part. q. 14.* Eandem opinionem sequuntur, dicentes eam communem esse Rochus Curt. in *tract. de jur. patr. in verb. competens, q. 31. & Lamb. 2. l. de jur. patron. 3. part. q. 1. art. 5. idem eam tenet d. part. q. 4.* Quin & tertio poterit intelligi text. in *d. c. ex frequens, de institutione, quæ non confert*

titulum beneficii, sed habenti jam illum, vel vicario, dat auctoritatem administrandi animarum curam juxta text. in *C. 1. de Capel. monach. in 6.* nam vicarius Episcopi generalis, absque speciali commissione, potest habenti beneficium, vel ejus vicario, auctoritatem hanc exercendi animarum curam impartiri, secundum Imol. & communem in *d. c. ex frequentibus*, præcedens verò intellectus absumi potest à text. in *c. 1. de instit. lib. 5.* ubi constat, vacante sede Episcopali transire in Capitulum & collegium Canonicorum jus instituendi præsentatos à patronis, quamvis non possit Capitulum vacante sede beneficia libera collatione conferre.

Obiter verò ex his quæ diximus de jurisdictione voluntaria competenti alicui jure speciali: vel privilegio; ratione tamen perpetuæ dignitatis, vel officii, quibus perpetuo jus hoc specialiter tributum sit à lege vel canone: colligitur quid dicendum sit de jurisdictione voluntaria ꝑ competenti ex privilegio: an ea possit extra territorium exerceri? Cui quæstioni præmittendum est, voluntariam jurisdictionem exerceri posse extra territorium, *l. 2. ff. de officio proconsul. & gloss. in DD. in c. novit. de offic. leg. & in e. penult. eod. tit. Hostiens. & alii in c. quia diversitate, de concess. præbend. & in c. post electionem, eod. tit. Bald. & Alber. in l. emancipari, ff. de option. gloss. & ibi post alios Jas. in l. ult. ff. de jurisd. omn. jud. ubi Hippol. nu. 7. & Decius col. 1. testantur, hanc sententiam communem esse. Unde apparet, Episcopum posse beneficia Ecclesiastica conferre, existendo in aliena diocesi, gloss. in *d. c. novis* Joan. de Selva. latè in *tract. de benef. 3. part. q. 40. & 63.* Fatentur omnes, qui præcedentem conclusionem probarunt; & Joan. Crott. in *c. ult. de consit. in 6.* Imò ipsius Episcopi vicarius habens potestatem conferendi beneficia potest ea conferre extra propriam diocesim: sicuti notant gloss. in *c. statutum, verb. per seipos, de præb. in 6.* Rota antiquor. *de offic. vicar. Dom. in c. ult. & in c. licet, de offic. vicar. in 6.* gloss. *pragm. sanct. tit. de collat. §. quia in verb. vicario.* Rebuffus in *tract. nominat. q. 14. nu. 65. & 27.* Selva *de benef. 2. part. q. 14. col. 3.* Anton Corset. in *tract. de excell. Regis q. 80.* Nicol. Boër. in *desis. 30.* ubi scribit, ita sententia judiciali obtentum fuisse tamen contrarium tenuerint Bald. in *d. l. 2. ff. de officio proconsul. Barb. in d. c. novis n. 17. & Franc. in c. ult. de offic. vicar. in 6.* quorum opinio ex eo corrui, quod cum hæc jurisdictione voluntaria sit, & possit extra territorium exerceri, nulla potest congrua ratio constitui, nec dari, quo minus ejusdem usus vicario Episcopi extra territorium sit licitus. Illud tamen est adnotatione dignum, quod si Episcopus beneficium vacans alicui contulit; præferendus erit habens titulum à Prælato etiam si vicarius speciale mandatum habeat ad conferendum beneficium: secundum Cald. *conf. 2. de off. vicar. & Cæsarem Lambert. de jure patr. 2. l. 3. part. q. 2. art. 3.* Ex quibus illud constat, an hæc voluntaria jurisdictione, quæ in conferendis beneficiis exercetur, possit per Episcopos & Prælatos ꝑ intra curiam Romanam ad usum & præxim deduci: ita quidem, ut inibi commorantes valeant beneficia, quorum collatio eis competit conferre? Et sanè posse id fieri, probatur ex communi omnium sententia, qua obtentum est jurisdictionem voluntariam exerceri posse extra territorium: atque ita in specie, Prælatos, quibus competit beneficiorum collatio posse beneficia conferre existentes in Romana curia, tenent Franc. Pavius in *tract. de potest. Cap. sede vac. q. 1. 2. part. col. 3.* Præposit. in *c. qui aliquo, col. ult. 51. dist.* Hiero. Paul. in *pract. cancell. fol. 48.* Rebuffus in *tract. nomin. quest. 14. numer. 28.* Lud. Gom. in *reg. de non jud. juxta formam supplic. quest. 3.* Probus in *d. c. statutum, n. 9.* Receptum tamen est secundum eosdem in praxi, quod Episcopi non possunt beneficia conferre: etiam ea quæ vacaverint extra curiam,*

dum ipi præsentate summo Pontifice curiæ adline: imò oportet eos ad hunc collationis actum curia exire, idem asserit Aeneas de Falconib. in *tractat. reservat. q. 4. princip. qu. 10.* quo in loco citat decisionem Rotæ in *Antiquis 573.* quam & Pavius adduxit: at quæ præmittit jure ipso, seclusa praxi, hanc voluntariam jurisdictionem posse exerceri in ipsa curia Romana præsentate inibi summo Pontifice. Dubitat tamen ipse Aeneas existimans jurisdictionem voluntariam minimè posse exerceri in curia præsentate ipso Principe, ex *l. 2. ff. de offic. proconsul. Omnes, inquit Jurisconsultus, Proconsules statim, quam urbem egressi fuerint, habent jurisdictionem non tamen contentiosam, sed voluntariam. Igitur intra urbem nec voluntariam habent.* Potuisset urgentius adduci text. in *l. ult. eod. tit.* ubi Proconsul urbem ingressus deponit imperium. Cujus loci auctoritate Fulg. & Corad. ibi adnotarunt, Episcopos Romam ingressos nec sacerdotia conferre posse, ad idem facit text. in *c. nisi, de offic. leg. & in l. 4. §. si tam vicinum, ff. de damn. infect.* quo fit, ipsum Romanæ curiæ stylum non omnino adversari his, quæ jure communi statuta sunt. Illud profectò minimè potest negari, Episcopos, Archiepiscopos, aliosque Prælatos Romanam curiam habitantes, nequaquam posse admittere resignationes simplices, nec permutationes beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ sint propriæ cujusque diocesis: cum ex hoc in curia Romana vacare dicantur, & eorum collatio palam ad summum Pontificem pertineat, *c. 2. de præbend. in 6.* Ab eadem radice deducitur, quod Alber. scripsit in *l. emancipari, ff. de adopt. asseverans Episcopum in aliena diocesi posse subditis conferre primam ordinis Ecclesiastici tonsuram, cui accessit Rebuffus in d. tract. nomin. q. 14. n. 29.* Nam idem Alberic. in *l. ult. ff. de jurisd. omn. jud. & Panor. in c. ex tuarum, n. 11. de auctor. & usu pallij,* expressum tenuerunt, Episcopum non posse in aliena diocesi ordines conferre, etiam propriis subditis. Etenim prior Alberici sententia obtinet in primæ collatione tonsuræ: posterior verò in ministerio sacrorum ordinum, qui conferuntur ab Episcopis celebrantibus divina officia; indutis vestibus Pontificalibus, siquidem quamvis Episcopus in aliena diocesi jure valeat sacra Missarum solemnia vestibus Pontificiis celebrare, gloss. in *Clem. ult. in verb. etiam celebrare,* & ibi Card. *de privil. Abb. in c. 1. col. 2. ut lite pend. idem in c. antiqua, in fin. de privil. Hostiens. in c. ult. de auct. & usu pallij,* gloss. in *pragm. sanctione tit. de spectaculis in Ecclesia non edendis, in verbo, benedicunt.* Nequaquam tamen poterit simul & vestibus Pontificiis celebrare, & sacros ordines etiam subditis conferre, absque diocessani licentia, sicuti visum est gl. in *d. Clement. ult. Ant. & Panor. in c. ex tuarum, n. 11. & in d. c. ult. de auct. & usu pallij.*

Ceterum, ut quæstionem propositam absolvamus, quibusdam placet, prænotatam conclusionem veram esse in voluntaria jurisdictione competente jure communi & ordinario, ac secus esse in voluntaria jurisdictione, quæ quidem competat jure speciali, vel privilegio, ut tandem hac nemo uti valeat extra territorium, secundum Rom. in *sing. 48. & Curt. Jun. in d. l. ult. col. 1. ff. de jurisd. omn. judic. quam sententiam Roman. adnotavit ex c. statum de præben. in 6.* quo decisum est, Ecclesiastica beneficia, quæ Romani Pontificis collationi, ex eo quod in curia vacaverant, reservata sunt, posse post mensam à die vacationis numerandum, si à Romano Pontifice collata non fuerint, per Episcopos ipsos intra propriam diocesim habitantes, non extra conferri. Mihi verò ut plurima egregiè placent, quæ Lud. Romanus, uti quidem non vulgaris eruditionis in illo singularium conclusionum opere adnotavit: ita sanè visum est, quandoque eundem auctorem aliqua Jurisconsultis & Romanis Pontificibus, dum ni-

mis propter festinatet, imposuisse, quæ omnino aliena sunt à Legislatorum judicio & sensu : atque ita in presentiarum ei contigisse suspicor, quippe qui censuram ejus adnotationem minimè probari in *d. c. statutum*, & deinde falsam fore, quod palam erit, si observemus, Episcopum jure ordinario collatorem esse omnium beneficiorum, quæ sint propriae diocesis, gloss. & omnes in *c. quamquam*, in verb. *secus*, de elect. in 6. traditur in *c. cum venerabilis*, de except. l. 1. tit. 16. par. 1. Selva docet latè 2. part. de benef. q. 1. & q. 22. optimus text. in *e. novis*. & *e. quanto*, de his que sunt à prælat. Hæc verò ordinaria Episcoporum potestas per reservationes Romanorum Pontificum vel Canonicorum tollitur, & interim dum urget, earum vis suspenditur, sicuti jure manifestum est. Quibus ad amissim consideratis, apparet in *d. c. statutum*, non probari Romani conclusionem. Quia in ea constitutione statutum est, beneficia vacantia in curia post mensem conferti posse à Prælati in propria quidem diocesi, non in aliena: non ea ratione, quòd jurisdictionis voluntaria in hac specie competat jure speciali, & privilegio; sed ad evitandas fraudes quibus Prælati utebantur, constituentes procuratores, qui statim elapso mense in curia, vel loco proximo eadem beneficia conferrent, & Romanorum Pontificum collationes prævenirent, quemadmodum gl. communiter recepta in *d. c. statutum*, in verb. *se ipsos*, evidenter adnotavit. Et præterea licet in specie *d. c. statutum*, collatio beneficiorum competeret Prælati jure speciali & privilegio; potius foret privilegium in extendendum, quàm restringendum: quippe quod Episcopis jure eis antiquitus competente donaret, gl. in *d. c. statutum*, in verb. *numerandum*. Præsertim, quòd, ut tertiam rationem constituamus, non competit eo casu Episcopis collatio beneficiorum jure speciali, nec privilegio: sed jure communi & ordinario cessante, & extincta reservatione per lapsum mensis, ut in eo capite apertissimè probatur. Quartò, idem text. juxta communem interpretationem probat contrariam conclusionem: siquidem secundum omnes speciale inibi statuitur in beneficiis vacantibus in curia, quòd ea non possit Episcopus conferre extra propriam diocesim: consequitur ergo in aliis casibus, jus commune permittere Episcopis collationem beneficiorum intra alienam diocesim; modò ea ad ipsos pertineat. Deinde & quintò, si Romani opinio vera esset Archidiaconi, Abbates, & similes Prælati non possent conferre beneficia extra territorium: cum eis competat collatio jure speciali, quod falsum & absurdum est: præsertim quòd hi territorium non habeant. Ultimò, Romani sententia maximè falsa foret in casu, quo Episcopis & dignitatibus jure communi competeret collatio beneficiorum ratione privilegij dati ab ipsomet jure perpetuò ipsi dignitati: quia tunc ea collatio jam ordinaria est, & ratione dignitatis, vel officij competit. Quamobrem id habet peculiare, ut omnino minimè sequatur conditionem ejus jurisdictionis, quæ speciali hominis privilegio personæ datur: quod in *d. c. ult. de offic. ordin.* probatur.

Tertiò, principaliter apparet ex hac resolutione, Baldi sententiam, qua probare conati sumus habentem † potestatem delegatam à Principe ad exercendum ea, quæ Principi specialiter sunt reservata, nequaquam eam alteri posse committere: procedere in eo, cui hæc potestas à Principe data sit: nam is eam alteri delegare nequit, etiam quoad quamdam & certam specialem subdelegationem, secundum omnes: tametsi Dec. in *c. 3. col. 3. de offic. deleg.* Præposit. in *c. per venerabilem qui filij sunt legit.* §. quod autem, col. 37. & Martin. Laud. in repet. l. 1. ff. de offic. ejus, est mandata. jurisdict. asseverent, subdelegationem in hac specie fieri posse ad certam legitimationem, vel dispen-

sationem: licet generalis subdelegatio fieri non possit. At si ex officio aut dignitate habeat quis jus exercendi ea, quæ Principi supremo jure sunt reservata: quamvis id contigerit causa privilegij dati eidem dignitati; tunc existimo eam potestatem delegari optimo jure posse. Et id deducitur à decisione text. in *d. c. ult. de offic. ordin.* cum ista potestas jam ordinata sit ex eo, quòd ratione dignitatis competat perpetuò ipsi, qui eam dignitatem obtinuit, ejusque in eadem legitimis successoribus; atque ita est intelligenda responsio text. in *d. c. ult.*

Supereft modò & hæc in loco, cum de delegatione causarum tractemus, duo competere Romanorum Pontificum responsa, quæ maximè contraria videntur: nempe text. in *c. cum Bertholdus*, de re judic. & in cap. *cum causam*, de appellat. Horum prius admittit subdelegationem ejus, qui delegatus est ab inferiori ordinario, vel delegato iudice, qui quidem Princeps non sit: posterius autem eam subdelegationem palam probat, statuens regulam juris, qua obtentum est delegatum inferioris à Principe non posse subdelegare, idem expressim probat Regia l. 19. tit. 4. part. 3. notatur in l. à iudice, C. de judic. & in *c. super questionem*, §. si vero, de offic. delegat. Et sanè receptum est, etiam post litis contestationem, delegatum inferioris à Principe non posse subdelegare, gloss. in *d. c. cum causam*, quam Doctores ibi approbant omnium ferè consensu, & in *d. §. si vero*. Jas. post alios in *d. l. à iudice*. Socinus in l. 1. ff. quis & à quo appellandum sit, col. 3. qua tandem supposita conclusione, quidam responderunt textum in *d. c. cum Bertholdus*, procedere in delegato legati Romani Pontificis: is etenim propter auctoritatem dignitatis subdelegare poterit ad exemplum legati Proconsulis, qui subdelegare potest, l. legat. ff. de offic. procons. ubi Jurisconsultus scribit, legatum Proconsulis iudicem dare posse, ita etenim affirmativè legendus est is locus: quod gloss. ibidem innuit, atque ita absque negatione legi in Pandectis Florent. affirmant Angel. Polit. lib. Miscel. cap. 78. Bud. Coraf. Eguinar. in *d. l. legatus*. Anton. August. lib. 1. emend. c. 3. Nebrilsensis in Lexic. Juris civilis, in verbo, non, & id palam apparet ex l. cum prator. §. is quoque, ff. de judic. Is quoque, inquit Paulus, cui est mandata jurisdictione iudicem dare potest, ut sunt legati Proconsulum. Idcirco parem constituentes legatum legati Rom. Pontificis legato proconsulis, existimarunt eum posse subdelegare. Bald. in l. à iud. C. de jud. Angel. in *d. l. cum prator*. §. 1. Panorm. in *c. cum Bertholdus*, n. 22. quorum opinionem asserit communem esse Fel. in *d. c. super questione*, nu. 17. Sed hæc interpretatio, nec convenit textus in *d. c. cum Bertholdus*, nec vera est. Primum etenim constat legatum † Apostolicæ sedis, cujus meminit text. in *d. c. cum Bertholdus*, non fuisse legatum de latere: de quo Bald. Angel. & Felin. prædictam constituere conclusionem. Unde manifestè fallitur Brunell. dum in tract. de leg. conclus. 10. tradit text. in *d. c. cum Bertholdus*, procedere in legato de latere: atque inibi de eo tractari. Deinde falsum est, quòd delegatus legati etiam à latere similis sit legato Proconsulis. Qui quidem Proconsulis legatus ejus ferè vicaria utebatur potestate, quam etsi à Proconsule acciperet, à lege tamen eam habebat ex nominatione Proconsulis: & ideo iudex ordinarius dici potuit: sicuti de vicario Episcopi superius adnotatum est. Idem profectò constat, siquidem legatus Proconsulis constituebatur ad cognitionem omnium causarum in universum totius provincie: atque idè ejusdem legati officium inter alia Romanæ Reipubl. munera publica connumeratur: quo fit, nil mirum esse, quòd is subdelegare possit, nam delegatus ad universitatem causarum subdelegare potest unam aut alteram causam, secundum gl. in *d. l. legatus*, & in *d. c. cum causam*, & in *d. c. super*

questionem, & si vero, quas DD. communiter sequuntur. *Jaf. in l. à judice, n. 8. C. de judic. Felin. in d. c. super questionem, n. 17.* fateatur eam communem esse opinionem *Purpurat. in l. more, n. 98. ff. de jurisdic. omnium judic. & inibi Curt. Jun. n. 67.* licet ipse & Dec. *in d. c. causam, de appellat.* conentur contrariam in hoc tutari sententiam, quod modò non disputo: fat etenim est, non esse parem delegatum legati, etiam Cardinalis, legato Proconsulis, inter quos maximam verè discrimen est, & jure ipso palam constituitur. Est tamen ad interpretationem *d. l. legatus,* observandum, quòd regulariter maxima inest differentia inter hæc duo: mandare jurisdictionem judex dicitur, qui jurisdictionem suam omnem, vel speciem aliquam delegat, & generali causarum cognitioni aliquem præponit suo loco: dare autem judicem est, alicui unam aut alteram causam committere, aut delegare ex his quidem causis, quæ suberant cognitioni delegantis, probaturque discrimen istud in *l. i. § ult. cum l. seq. ff. quis & à quo appel. ubi Soc. hoc adnotavit col. 5.* optimus text. in *d. l. cum prator. §. 1. & in d. l. legatus, gl. in l. i. §. qui mandatum, ff. de offic. ejus cui est mandat. jurisdic. l. à judic. l. sape, in fine, & l. sequ. ff. de offic. præsid.* Nec tamen inficior: quandoque ex subiecta materia verba suprædicta confundi, quod apparet ex *leg. ultima ad fin. Cod. ubi & apud quos, lib. 1. in princ. ad fin. ff. de offic. ejus, & leg. placet, C. de judic.* Tandem fit, ut, cum potissimum differat legatus Proconsulis à delegato legati, etiam à latere Romani Pontificis destinati; nequaquam huic delegato legati liceat subdelegare, quemadmodum asseverant Alberic. Paul. & Jaf. *in d. l. à judice. Roman. in l. c. & quia, ff. de jurisdic. omn. jud. Collectar. in d. c. cum Bertholdus. Archid. Joan. Anch. Domin. & Franc. in c. 2. de offic. deleg. in 6. Decius in c. si pro debilitate. col. 3. de off. deleg. ubi testatur, hanc opinionem communem esse: atque dubio procul quidquid Felin. dixerit, hæc posterior sententia frequentiori Doct. consensu recepta est, & jure vetior: tamen Alex. *in l. more, ff. de jurisdic. omn. jud. nu. 8. & Franc. in d. c. cum causam. qu. 8. de appellat. Baldum & Ang.**

secuti, priorem existimant jure probatissimam esse. Quibus minimè patiocinatur text. in *c. 2. de offic. legat.* nam licet ex eo pares censeantur Proconsules, & legati Cardinales: non sic pares judicandi sunt legati Proconsulum, & delegati legatorum Cardinalium. Quamobrem aliter componenda sunt prædicta Decretalium responsa. Et profectò quibusdam visum est, text. *in d. c. cum Bertholdus,* ex eo procedere, quòd delegatus inferioris à Principe possit articulum causæ, et si non totam causam, delegare, scribit etenim Innocent. *in d. c. cum Bertholdus.* posse delegatum inferioris à Principe subdelegare articulum causæ, qui tamen jurisdictionem non requirat: qualis est simplex examinatio testium, idem probant inibi Anchar. Henric. & Panorm. *n. 19. idem Anchar. in Clem. 1. n. 4. de offic. delegat.* quorum opinio communis est secundum Felin. *in d. c. cum Bertholdus* ubi delegatus non tantum subdelegavit articulum causæ absque jurisdictionis exercitio, sed & totam ipsam causam: quod colligitur ex illis verbis, *Præfatis Abbatibus committentibus aliis vices suas, ipsi subdelegati testes super prædicto articulo receperunt: à quibus dictus clericus, vocem ad nos appellationis emisit.* Qua quidem oratione manifestum fit, delegatos articulum sibi commissum, & totum subdelegasse: alioqui à subdelegatis appellandum foret ad delegantem, non ad Romanum Pontificem. Quòd si hæc vera sunt, quemadmodum apertissimi juris esse censeo ex *c. super questionem, §. porro, de offic. deleg.* certissimum erit, minimè posse admitti prædictam interpretationem, ideo forsitan magis expeditum erit, subdelegationem, cujus mentio fit *in d. c. cum Bertholdus,* nullam fuisse, nec jure potuisse fieri: & tamen de hoc in ea Decretali tractatum non est, vel ex eo quòd litigantes hanc discepcionem omiserint; aut tandem, quia jam ad curiam Romanam causa delata, parum intererat de hac retractare: imò potius oportebat de jure & meritis, ac justitia causæ agere quod gloss. *in d. c. cum Bertholdus. in d. c. cum causam,* insinuat, ac sensit Card. post alios in *eod. c. cum Berth.*

FINIS LIBRI TERTII.



D I D A C I  
 COVARRUVIAS  
 A LEYVA, TOLETANI,  
 VARIARUM EX IURE PONTIFICIO,  
 Regio, & Casareo  
 RESOLUTIONUM  
 LIBER QUARTUS.

CAPUT I.

Quot, & quæ fuerunt olim Romæ Tribus;  
 & Scævola J. C. responsum de legato  
 Tribus, quo in sensu sit accipiendum.

S U M M A R I A.

- 1 Roma in tribus rusticas, & urbanas triginta quinque olim divisa fuit, & ibidem unde tribus dicta.
- 2 Tui Livii locus ex Plinio, ac rursus ex Macrobio expenditur.
- 3 Romana tribus que nomina olim habuerint?
- 4 Valerii Maximi, & T. Livii historia quadam tractatur obiter.
- 5 Quæ fuerit prerogativa tribus.
- 6 Athenæ quot tribus habuerint: & earum nomina ex Græcis auctoribus.
- 7 Quod jus liberti apud Romanos ex manumissione habuerint, & de Latinis ac deditiis libertis.
- 8 Liberti olim in tribus Romana censebantur: in eaque suffragium ferebatur.
- 9 Legatum ressera explicatur.
- 10 Quam utilitatem libertis attulerit tribus legatum apud Scævola.
- 11 Jus Italicum quid sit apud Jurisconsultos.
- 12 Intellectus ad l. Titia Scio. & ad l. mortuo bove. §. 1. ff. de lega. 2.
- 13 Viri clarissimi qui dicantur.
- 14 Hæres ex testamento ad factum obligatus cogitur præcisè facere.

**P**ATRONUS libertis statim tribus emi petierat, libertus diu moram ab hærede patroni passus est, & decedens hæredem reliquit clarissimum virum. *Questum est, an tribus estimatio hæredi ejus debeatur? respondi deberi. Idem quæsit, an & commoda, & principales liberalitates, quas libertus ex eadem tribu usque in diem mortis sue consecutus fuisset. si ei ea tribus secundum voluntatem patroni sui tunc comparata esset, an verò usura estimationis hæredi ejus debeantur? respondi, quidquid ipse consecutus esset, id ad hæredem suum transmittere.* Hæc Scævola lib. 17. digestor. & Cap. 35. de legat. 3.

Et sanè cum patronus voluerit, ipsius impensa, ejus libertum in aliquam tribus Romæ adscribi; unde multa commoda ex publicis largitionibus, & Casarum liberalitatibus consecutus foret: nec hæres patroni hoc fuerit executus, mortuusque sit libertus relicto hærede, qui vir clarissimus erat, & in tribu censebatur, minimèque indigeret emptione tribus: Accursius, & alii non satis intellexerunt, quid in hoc responso Scævola docuerit. Quæ ratione, licet brevius posset compendio quodam hujus loci interpretatio explicari; nos tamen conabimur de Romanis tribubus, aliquot hoc in loco adnotare; quo expeditius Jurisconsulti, & veteres historici, à quibus non raro mentio fit alicujus Romanæ tribus, planè intelligi valeant.

Fuere autem Romanæ tribus numero 35, ex Cicerone contra Rullum, & Philippica 6. & in 3. in Verrem actione, atque illic Ascanio Pædiano, T. Livio lib. 1. & lib. 6. item lib. 23. ac rursus lib. 5. decad. 5. & Plutarcho in Gracchis. Siquidem Romanus ÷ ager primùm divisus est sub Rege Romulo in partes tres, quæ Tribus ea ratione appellatæ fuere, quòd tres essent: Tatiensis, Ramnensis, & Luceres, auctore M. Varrone lib. 4. de lingua Latina. Idem scripserunt Dionysius lib. 2. de Antiquis,

*Antiquit. & Plutarchus in Romulo.* Ex quibus & illud constat, quamlibet ex his partem, in alias decem, quæ Curie dicerentur, divisam fuisse. Huic nominis rationi accedit & Columella *lib. 5. c. 1.* quo in loco, inquit, *Sicuti tribus dictæ primùm à partibus populi tripartitò divisi, quæ tamen nunc multiplicata pristinum nomen possident.* Idem Alconius observavit, qui tamen falsò existimat, tribus Romanas à raptis Sabinis nomina accepisse: cum hoc non de tribubus, sed de curiis, Livius *libro primo* scripserit, & ne hoc quidem placuerit Plutarcho *in Romulo*, quamvis Servius *in lib. 8. Æneidos* scripserit, curiis nomina fuisse imposita triginta Sabinarum, quibus jam enixis intervenientibus pax facta fuerit. Sed & tribus à tributo dando nomen accepisse, idem Livius tradidit, illud adjiciens, Romulum sanè in triginta curias populum Romanum divisisse: quod & Pomponius Jurisconsultus retulit *in l. 2. de origine juris.* ut obiter mirer, Festum & Budgu n dixisse, Romæ fuisse triginta quinque tribus, quæ & curiæ dictæ fuerint, cum tribus à curia maximè differret essetque curia apud Romanos decima tribus pars ex Romuli divisione, qui tres tribus contituit, & earum quamlibet in decem curias divisit, quis Græcè dici *Φυλῆες* auctor est Dionysius *in libro secundo* aut *Φυλῆας*, ut asseverat Appianus *libro tertio de bellis civilibus.* tamen à quibus Græcos *Φυλῆες* tertia tribus pars esset: quod & Homeri interpretes adnotavit. *Iliad. libro nono.* Cicero tamen *lib. 2. de officiis*, quos Græci *δήμους*, id est *vicos*, dixere, curias esse censet: ita enim de Cimone, qui à vico Lacia Laciales dicebatur, scripsit: *Theophrastus quidem scribit, Cimone Athenis, etiam in suos curiales Laciadas hospitalem fuisse. Ita enim instituisse, ut omnia præberentur, quicquam; Laciades in villam suam divertisset.* Hæc Cicero, ea fortassis ratione, quod ex Herodoto *in Terpsichore* olim quælibet tribus Atheniensis ex decem vicis, qui *δήμοι* dicebantur, constaret: sicut & Romana ex curiis decem. Demum Servius Tullius urbem in quatuor tribus divisit; pagos autem rusticorum in triginta & unam, quod idem Halicarnassæus *l. 4.* optimè tradidit, asseverans à locis quatuor urbanas tribus dictas esse, Palatinam, Suburrinam, Collinam, Esquilinam: quorum nominum M. Varro, Titus Livius, & alij meminere. Reliquas verò tribus præter has quatuor Urbanas, extra Romam in pagis fuisse: M. Varro sentire videtur, adnotante Petro Victorio *lib. 16. Variar. lection. c. 24.* Sed & † Livius *l. 9.* inquit: *Quintus Fabius simul concordia causa simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem fore isem urbem, excretam in quatuor tribus coniecit, urbanasque eas appellavit.* Hæc Livius, non quod tunc primùm habuerint initium quatuor urbanæ tribus, quæ ex eodem auctore *lib. 1.* Servio Tullio fuerant institutæ, sed quod reliquæ tribus essent rusticæ, & laudatissimæ eorum qui rura colebant. quod Plinius *l. 18. c. 3.* probat, dum inquit, *Jam distinctio, honosque civitatis, ipsius non aliundè erat. Rustica tribus laudatissima eorum, qui rura haberent. Urbana verò, in quas transferri ignominia esset, desidia probro. Itaque quatuor solæ erant à partibus urbium in quibus habitabant; Suburrina, Palatina, Collina, Esquilina. Nundinis urbem revisitabant: & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Hæc Plinius, cujus locum obiter expendat lector ex Macrobio *l. 1. Saturn. c. 16.* fortassis enim legendum erit: *Et ideo comitia nisi nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Etenim si comitia fieri possent internundinis, rustica plebs extra ordinem avocaretur, quod Plinius negat. Rursus ex eodem Macrobio forsan videbitur, nihil fore immutandum, ne rustici avocarentur à legibus recipiendis, quæ internundino dabantur, utque ipsis facultas foret componendi lites, aut denique transigendi, quod explicat Alexander ab Alex. *l. 4. dierum genial. c. 3.* Adhuc tamen lectioni, quam nos adversus vulgo receptam observavimus, patrocinantur ipse Macrobius, Halicarnass. *l. 7.*

& Columella *in præfatione de re rustica.* (tandem nihil temere mutandum esse censemus, sed diligenter observandum, quod Gruchius, Sigonius, & Paulus Manutius hæc de re adnotarunt.) Ex his verò, quæ de tribubus Romanis adnotavimus, intelliges quæ de censoribus scribit Livius *l. 5. decadis quinta.* Hoc, inquit, cum ita servatum esset, negabat Claudius suffragii lætionem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo, adimere posse. Neque enim si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus emovere posse, id est civitatem, libertatemque eripere, non ubi censetur finire, sed censu excludere. Non me latet, eundem Livium *lib. 2.* memoriæ prodidisse, Consulibus App. Claudio, & Publ. Servilio Romæ tribus unam & triginta factas fuisse: & *lib. 6.* anno fermè tertio post Romam à Gallis captam, tribus quatuor ex novis civibus additas, easque triginta quinque tribuum numerum explevisse. Potius tamen sequor Dionysium, ex quo à Serv. Tullio Romam in quatuor tribus urbanas, agrum verò Romanum in unam & triginta rusticas divisum fuisse superius adnotavi. Quod si quis sequi malit Livij sententiam, non admodum refragabor; modò si illud ex omnibus ferè auctoribus constitutissimum, Romanam urbem in quinque & triginta tribus olim divisam fuisse, quarum quatuor urbanæ, reliquæ omnes rusticæ censerentur, nec numerum majorem unquam apud probatæ fidei auctores legi. Nam quod idem Livius, postquam *l. 6.* dixerat triginta quinque tribus eo tempore fuisse hoc numero expletas, *lib. 7.* duas, *lib. 8.* duas, *lib. 9.* duas, *lib. 10.* duas, & Lucius Florus *in Epitome l. 9.* duas tribus additas esse commemorant; ipse interpretatur, has tribus jam equidem veteres, civibus & tribulibus auctas fuisse, vel ex rusticis pagis in urbem translatis: alioqui plures essent Romæ tribus, quam triginta quinque, quod Livio, Ciceroni, & aliis probatissimis auctoribus admodum repugnat: tamen Lælius Taurillus *de militiis ex casu* existimet, urbem Romam in tribus divisam esse, initio quidem unam & triginta, deinde & supra quadraginta, ex secundo & sexto, nec non septimo, nono ac decimo Titi Livij libris, cujus demum ætate ad quinque & triginta redactæ essent: ut primo ejus libro in actis Servij Tullij Regis proditum est. Ubique etenim Livius subindicat, Romam ejus ætate, & multo prius, nempe à tertio anno post urbem captam à Gallis in triginta quinque tribus tantum divisam fuisse: quod ex libro trigesimo tertio constat. Nam L. Furio Purpureone, & M. Claudio Marcello Consulibus, bello Macedonico cum Philippo anno ab urbe condita D. LVIII. Ea, inquit, rogatio in Capitolio ad plebem lata est, omnes quinque & triginta tribus uti rogata, jusserunt. Idem *lib. 1.* sensit, post expletum numerum tribuum triginta quinque, ad ejus ætatem nullam in numero isto mutationem contigisse. Quod ex Cicerone & Pædiano itidem probatur: & quia nomina tribuum, quorum Livius ibi meminit, ad triginta quinque veteres tribus communi doctissimorum hominum opinione referuntur. Sed & Lucius Florus *lib. 9.* commemorat, tunc adjectas fuisse tribus Velinam & Esquilinam cum auctoribus Varrone & Dionysio, multo ante initium habuerit Esquilina tribus. Qua ratione par est, has duas tribus adjectas esse, non quod tunc initium habuerint, sed quod novis fuerint civibus auctæ: quo in sensu, & quæ Livius post librum sextum scripsit, accipienda fore existimaveram, priusquam opus elegans Nicolai Gracchij *de comitiis* legissem: is etenim *lib. 7.* validis profectò conjecturis censet, apud Livium *lib. 2.* legendum esse: *Trib. unam, & viginti.* Rustus apud eundem *lib. 6.* viginti quinque non triginta quinque, ex Dionysio *l. 7.* in M. Coriolani judicio, qui asseverat eo tempore unam & viginti tribus tantum Romæ fuisse. Qua ratione observata omnia convenire videntur, quæ de tribuum numero à veteribus aucto-

tribus traduntur, præter Dionysii locum: etenim is auctor libro quarto Veronio accedit, qui, ut ipse interpretor, scripserat, à Servio Tullio agrum Romanum divisum fuisse in unam & triginta tribus: quibus quatuor urbanæ adjectæ triginta quinque; tribus efficiunt. Censet enim Gruchius, vel sibi parum constare Dionysium, vel locum illum in numeris corruptum esse, atque ita emendandum, ut probet, à Servio Tullio constitutas fuisse viginti tribus urbanas & rusticas: vel, ut ipse opinor, agrum ab eo divisum in sexdecim tribus: quibus adnumeratæ urbanæ, & Claudia tribus, efficiunt numerum unius & viginti. Sed etsi hæc vera sunt, apud Florum lib. 19. non est legendum, *Esquilina*, quia olim vetus erat ex urbanis quatuor: sed *Sapina*, ut censet Gruchius: vel *Veturia*, quod mihi magis arridet forsitan *Mentina* (sive *Menenia*) ex Ciceronis Epistolis. Ex quibus lector expendere poterit, quid hac in re sit magis veritati consonum. Sunt etenim multa apud Livium, Dionysium, ac Florum mutanda. Sed & Diodorus Siculus l. 19. omnino sentit & Falerinam & Ofentinam tribus eo anno his quæ prius Romæ erant, additas fuisse. Sed ut constet, quàm incerta hac in re ferè omnia sint, observandum erit, Appianum li. 1. de bellis civilibus scripsisse, bello Marfico maximè urgente, Italos ferè omnes à Senatu civitate donatos, & ex hisce novis civibus, decem tribus adjectas triginta quinque veteribus fuisse, ut tandem numerus omnium tribuum fuerit quadraginta quinque. Sed Vellejus Paterculus l. 2. eandem rem tractans, scribit, novos cives in octo tribus ex veteribus acceptos, adscriptos fuisse, ut suffragium ferrent: ne tamen potentia eorum & multitudo, veterum civium dignitatem frangeret, plusque possent recepti in beneficium, quàm actores beneficij, Cinna in omnibus tribubus eos se distributum pollicitus est. Hæc Paterculus. Ex quo, & Epitome Livii l. 80. & 84. socios omnes, quibus Romana civitas data fuit, in omnes veteres tribus distributos fuisse suspicatur Carolus Sigonius lib. 3. de antiquo jure Italiae, c. 1. Dion. verò l. 44. tradit, tribum quamdam ex veteribus, Juliam à Senatu in honorem Augusti (Julij Cæsaris) appellatam fuisse. (Idem in Flavix & Vespasianæ tribuum nominibus in honorem Vespasiani & Trajani, factam fuisse scribit idem Sigonius l. 1. de jur. civit. Rom. c. 3. & id adnotari posse ex Dionis loco scribit Onuphrius in civitate Romana pag. 540.) Ex quibus illud constat, tribus veteres ex omnium testimonio triginta quinque fuisse ad Ciceronis, Liviique ætatem: quarum nomina ex Livio, Cicerone, Marco Varrone, L. Floro, & aliis auctoribus, quorum paulò antè mentionem fecimus, constare videntur, licet de una & altera sit controversia. Alia verò nomina, quæ inscriptionibus & quorundam testimonio traduntur diligenter & eruditè ab Onuphrio Panvino, vel ad veteres tribus, quorum nomina mutata fuere in Principum aut alicujus gentis favorem, vel ad eas, quæ à veteribus additæ fuerunt, pertinere videntur, qua in re nil, quod certum sit, asseverare possum. Habuere & apud Romanos Curie propria nomina, nam & Curie Tifatæ, item Titix, Forensis, Vellejensis & Velitix meminuit Festus Pompejus, & Faucix Livius lib. 9.

3 Tribus verò Romanæ propria quædam apud auctores nomina habuere, quæ hoc in loco libentissimè adscribam, existimans, illud observatione dignum esse, quod Alconius tradit 2. in Verrem actione. Moris, inquit, fuit, cum aliquis civis Romanus ostendendus esset, significaretur aut à prænominis suo, aut à nomine, aut à cognomine, aut à cognatione, aut à tribu, in qua censetur aut à curia aut à censura, aut si erat Senator, eques Romanus à curia sua. Sic alibi ait: L. Claudium Palatinum. Hæc tenet Alconius. His ad stipulatur Quintilianus l. 7. c. 4. Propria liberi, qua nemo habet nisi liber, prænomen, cognomen, nomen, tribum habet hic additus. His sanè verbis Quintilianus ferè idem cum Padiano

Didaci Covarr. Tom. II.

tractat, quæ longius ipse persequatur, siquidem Alexander ab Alexandro l. 1. dierum genialis. c. 17. vir aliquot diligentissimus, non satis diligenter rem istam mihi indagasse videtur: qua ratione & Volaterranus notari poterit l. 6. c. 1. Diligenter tamen rem istam expendisse mihi videtur Paulus Manutius in Cicer. familiares epist. cujus adnotationes ingenuè fateor, anno nostro postquam hæc scripserim me primùm legisse. *Emilia* tribus. Hujus meminere Livius l. 8. decad. 4. Cicer. ad Atticum, epist. 29. *Balicam* habeo, non villam, frequentia Formianorum. At quam partem Basilicæ Tribum *Emiliam*, sed ornito vulgus.

*Aniensis* tribus, cujus meminere Titus Livius li. ult. decad. 1. L. Florus in Epitome lib. 10. Cicero pro Plancio, & ait, inquit, prioribus comitiis *Aniensem* à Plotio: idem Cicero, libro epistolarum familiarium 8. Epistol. 8. L. Atejus. L. F. An. Capito. id est, ex tribu *Aniensi*, rufus illic: L. Atilius. L. F. An. Capito. quo in loco miserè se torquent Rutilius, & Cameraarius. (Sed & apud Livium l. 4. decad. 3. dum vulgo legitur: *Eo die cum fors prerogativa ante juniorum exisset*: legendum censeo. *Eo die cum fors prerogativa Aniensem juniorum exisset*.) extat inscriptio apud Wolphgangum Lazium, lib. 5. de Rom. Repub. c. 22. cuius initium est:

M. VIBIUS. C. F. ANIENSIS.

Et cap. sequ. altera,

TER. EXOMNUS. TER. F. AN. VER.

MIL. LEG. XVI. AN. XI. STIP. XVI.

H. S. E. AURELIUS. D. S. P.

*Collina* tribus constat ex testimonio Mar. Varronis lib. 4. de lingua Latina. Plinij lib. 18. c. 3. Dionysij l. 4. Roman. antiquit. L. Flori in Epitome, li. 20.

*Cornelia* tribus. Cujus mentio extat apud T. Livium lib. 8. decad. 4. & marmoream inscriptionem, quæ Mathelicæ apud Italos legitur; ejusque mentio fit in eo libro, qui de inscriptionibus his Fuggerorum impensis typis est traditus.

C. ARIO. C. E. COR.

CLEMENTI. MILITI.

IX. COH. PRÆT.

Reliqua ejusdem inscriptionis missa facimus, ne præter nostrum institutum in his plus æquo immoremur. Cajus igitur Arius civis Romanus lignificatur, prænominis, à nomine familiæ, à patris prænominis, & à tribu, atque cognomine, & aliis, quæ quis poterit ex eadem inscriptione facillimè adnotare, præsertim observabit eum fuisse ex tribu *Cornelia*.

*Claudia* tribus ex Livio, qui l. 2. de Ap. Claudio inquit: *Nam Ap. Clausus, cui postea Appio Claudio fuit Roma cognomen, cum pacis ipse auctor à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni esset, à Reo magna clientum comitatus manu Romam transfugit. His civitas data, averque trans Anienem, vetus Claudia Tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo agro venerant, appellata.* Dionysius l. 5. de eodem Claudio: *Senatus populusque ipsum in Patricios adlegit, partemque urbis ei concessit, quantum voluisset, ut domo sibi & suis edificaret: agrumque ei adjecterit ex publico inter Fidenas & Picentiam, ut illum sorte inter suos divideret, ex quibus postea tribus facta est, quæ adhuc hac ætate Claudia vocatur.* Hæc Hæcarnastæus. Virgilius li. 7. *Aeneid.*

Ecce Sabinorum prisco de sanguine, magnum Agmen agens Clausus, magniq. ipse agminis instar; Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens.

*Crustrumina* tribus aut *Clustrumina*: nam & per l. legitur. Hujus meminere Cicero in oratione pro Plancio. *Quid cum Crustrumina?* idem pro L. Cornelio Balbo. *Obiectum est etiam, quod in tribum Crustrumina pervenerit.* T. Livius l. 2. decad. 5. *Permissu*, inquit, *omnium ita locutus fertur Sp. Ligustinus tribus Crustrumina.*

Ex eodem Inscriptionum libro constat. Interamnæ in platea extare marmoream inscriptionem, cujus hoc sit initium.

A. POMPEIO. L. F. CLV.

*Esquilina* tribus ex Varrone l. 4. de lingua Latina. Livio l. 5. decad. 5. Dionysio lib. 4. Plinio l. 8. c. 3. L. Floro in *Epitome* lib. 19. & Sext. Pompeio, qui & ple-  
rarumque aliarum meminit.

*Falerina* tribus apud Livium l. 9. *Et dua Roma addita tribus, Usentina & Falerina.* Idem Lucius Florus tradit post Diodorum Siculum l. 9. sic apud Josephum l. 13. de antiquit. c. 17. Cod. Sempronij, C. F. Falerina, mentio fit expressim apud Wolphgangum Lazium lib. 5. de Rom. Republ. c. 10. extat inscriptio ex Neapoli, cujus est initium.

L. BONUS L. F. FAL.  
CLER.

*Fabia* tribus. Ex Horatio l. 1. epist. 6. ad Numicium.

*Hic multum in Fabia valet, ille Velina.*

Suetonius in Augusto c. 40. *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia nummum assè dividebat.* Extat apud Wolphgangum Lazium lib. 9. de Repub. Roman. c. 5. inscriptio quædam ex Austria, ejus est initium.

C. JULIUS. C. F. FAB. ANTIOCHUS.

*Galeria* tribus, cujus meminit Plinius l. 7. c. 49. de vita spaiis scribens: *unus centum quadraginta, M. Matius. M. F. Galeria, Felix.* Ita etenim legendum est, quamvis vulgò legatur *Galerius*. Hujus tribus frequentissima extat mentio in marmoreis inscriptionibus. Apud novam Carthaginem.

ON. CORNELIUS. L. F. GAL.  
CINNA. II. VIR MURUM.

LONG. P. CII. EX. D. D. FF. I. Q. P.

Tarraconæ in Hispania citeriori:

Q. CÆCILIO. GAL. RUFINO. Q. CÆCILII.  
VALERIANI. F. SAGUNTINO. OB. LEGATIONEM. QUÆ GRATUITA. APUD. MAXIMUM  
PRINCIPEM ADRIANUM AUG. ROMÆ.  
FUNCTUS. EST. P. H. C.

*Lemonia* tribus apud Ciceronem in oratione pro Plancio *Quid Plancio cum Lemonia?* idem in Philip. 9. *Et cum Serv. Sulpicius, Q. F. Lemonia Rufus, ita de Republ. meritis sit.* Et apud Wolphgangum Lazium lib. 6. de Roman. Republ. c. 1. extant inscriptio ex Auxino Italiæ, cujus est initium.

L. PRÆSENTINO. LEM. PÆTO.

*Metia* tribus, aut *Macia* sive *Metia* ex Cicerone ad Attic. Epist. 48. l. 4. *Tribus, inquit, habet Pontidam, Velinam, Mariam; pugnatur acriter.* Livius l. 8. *Tribus propter hos addita, Metia & Scaptia.* Est & Caravalli à Genua ad Mediolanum inscriptio, cujus initium tantùm adscribam:

Q. ATTIO. T. F. MÆC. PRISCO.

*Narniensis* tribus, cujus meminere Cicero in oratione contra Rull. Ab. Otriculana usq; ad Narniensem nomina vestra proponat. Livius l. 6. & L. Florus in Epitome: quibus in locis legitur *Arniensis*, pro *Narniensis*, (ut quidam existimarunt: vulgatam tamen lectionem probat Onuphrius & ex veteribus inscriptionibus & ex Arno Tusciæ amne: quæ & mihi potius placet.)

*Osentina* tribus, quæ & *Usentina*, & *Ousentina*: cujus meminere Livius l. 9. & L. Florus in Epitome. *Tribus dua addita Roma, Usentina, & Falerina, & Dio-*

dorus Siculus l. 9. Extat marmorea inscriptio, cujus meminit Alciat. in *Cornelium Tacitum* li. 16. ex agro Comensi:

L. CALPURNIUS. L. F. OVF. FABATUS.  
Item Comi in æde Sanctæ Fidelis.  
P. ATILII. P. F. OVF. SE. PTITIANI.

*Palatina* tribus, cujus M. Varro l. 4. Plinius li. 18. c. 3. L. Florus Epitome li. 20. Cicero 3. in Verrem actione, & Alconius Pædianus in 2. meminere. Extat inscriptio Tarraconæ

C. MARIO. C. F. PAL. VERO.  
GERUNDENSI. OMNIBUS HONORIBUS FUNCTO  
FLAM. PROV. HISP. CITER.  
Illic & altera.

L. MUMISSIO. L. F. PAL. MON.  
TANO TARRACONEN, OMNIBUS HONORIBUS  
IN REPUB. SUA FUNCTO FLAM. P. H. C.

*Papyria* tribus ex Sext. Pompejo, & T. Livio li. 8. *Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem. Pollia sententia fuit, puberes verberatos necari, conjuges liberosque sub corona lege belli venire, memoriamque ejus ire, Tusculanis in pœne tam atrocis auctores mansisse ad patrum aetatem constat, nec quemquam fermè ex Pallia tribu candidatum Papyriam ferre solitum.* Hæc Livius. Sed & marmorea inscriptio apud Astigim hujus tribus meminit.

T. DOMITIUS. T. FIL. PAP. CLEMENS.

Sed & aliæ inscriptiones illic leguntur, in quibus hujus Tribus mentio fit non semel.

*Pollia* Tribus, † ex Livio li. 8. proximè citato, & Val. Max. lib. 9. c. 10. qui de Tusculanis idem quod Livius scribens, *Quam ob causam, inquit, Popilia tribus in qua plurimum postea Tusculani in civitatem recepti potuerunt, neminem umquam candidatum Pollia tribus fecit magistratum.* Ex quo loco duo libenter observabimus. T. Livium Papyriæ tribus meminisse in eâ re commemoranda, in qua Val. Max. Popiliæ meminere. Item Latinos, aliosque Italiæ populos in civitatem Romanam receptos, in aliquam ex Romanis tribubus adjectos conscriptosque fuisse. Sic Formiani in Æmiliam tribum ex Cicerone *Atticum* epist. 29. T. Livio li. 8. decad. 4. quo in loco, inquit, *Rogatio perlata est, ut in Æmilia tribu Formiani & Fendani, in Cornelia Arpinates ferrent.*

*Popilia* tribus apud Val. Max. in d. c. 10. & Ciceronem epist. 8. li. 8. epist. famil.

C. SCRIBONIUS. C. F. POP. CURIO.

*Pontina* sive *Pomptina* tribus ex Cicerone ad Atticum, epist. 84. *Tribus habet Pontinam, Velinam, Maciam: pugnatur acriter.* Idem Cicero in d. epist. 8. L. Julius, L. F. Pomp. Livius item li. 7. Eodem anno dua tribus. *Pontina, & publica addita.* Extat & inscriptio in Saltu Mariano, quam, quia elegans est, integram subjiciam.

C. SUBERIUS C. F. POMPT. CALENUS. QUI  
OCULOS AB OCCIDENTE ITALIA AVERTENS  
CUM MULTIS AMICIS TRANQUILLITATEM  
EXPECTANTIBUS HISPANIAM VENI: UBI  
SEVISSIMO COORTO BELLO MORTEM CUM  
VITA COMMUTAVI. VOS FILII IN VIV.  
PARENT. PIENTISS. IN MORTUUM  
PIENTIORES. PATRAN. CINERES EX HISP.  
EXPORTATE, COMMUNIQ. SEPULCH.  
CONDITE, QUO AVITIS CINERIBUS  
IMMIXTI SACRO GAUDEANT ANNIVERSARI  
PARENTARI.



*Publica tribus*; cujus meminit Livius *lib. 7. extat* & de ea marmorea inscriptio Romæ, quæ traditur à *Martiano lib. 5. antiquit. Rom. c. 6.* quæ quidem significat sepulchrum C. Cestij septemviri Epulonem, ad portam Hostiensem mœnibus urbis inclusum.

C. CESTIUS. F. PUB. EPULO.

PR. TRI. PL. VII. VIR. EPULONUM.

Est & altera inscriptio Tergesti in Istria, cujus meminit Wolphgangus Lazius *lib. 5. de Rom. rep. c. 8.*

Q. PETRONIUS. C. F. PUB. MODESTUS.

*Pupinia tribus*, ex Sext. Pompejo & Alexandro ab Alex.

*Quirina tribus* apud Ciceronem *lib. 8. epist. Famil. epistol. 8. C. Sepsimius, T. F. Quirina.* Idem Cicero in oratione pro P. Quintio inquit: *L. Albinus Sext. F. Quirina*, quo in loco falso legimus *Quirinas*. Extat & marmorea inscriptio Eboræ in domo Lucij Refendij, cujus initium est:

L. VOCONIO L. F. QUIR. PAULO.

Item Tarraconæ:

C. ATILIO. C. F. QVIR. CRASSO.

SECVNTINO OMNIBVS HONORIBVS IN REP. SVA FVNCTO. FLAM. PROV. HISP. CITER.

Aloræ in agro Malacitano.

C. CÆCILIO. Q. F. QUIR. BASSO.

Ex DECRETO MUNICIPII MAL. VALERIA, Q. F. MACRINA UXOR HONORE CONTENTA IMPENSAM REMISIT.

*Romilia tribus*, aut *Romilia* ex M. Vartone *lib. 4. de lingua Latina.* Cicero 2. in *Verrem* actione. Ex eadem familia, Q. Verrem *Romilia*. Eodem contra Rullum: Respondit à *Romilia tribu se initium esse facturum.* Hujus & Alconius meminit in eadem 2. in *Verrem* actione.

*Sabatina tribus* apud Livium *lib. 6.* & Sextum Pompeium.

*Scaptia tribus*, cujus meminere Suetonius in *Augusto cap. 40.* Livius, & L. Florus *lib. 8.* item Sextus Pompejus.

*Sergia tribus*, ex (Alconio Pædiano in *Cornelianam*: Frontino *lib. 2. de Aquaductibus*: (Alexandro ab Alexandro, & marmoreis inscriptionibus, quarum una extat in Rupe Mattensi Tuccitani municipij.

Q. JULIUS. Q. F. T. N. SERG. CELSUS.

AED. II. VIR. BIS DE SUO DEDIT.

Altera in eodem oppido:

L. JULIO L. SERG. CULLEONI.

II. VIRO, COL. AUG. GEM.

*Stellana tribus* ex Livio *lib. 6.* & marmoreis inscriptionibus, quarum duæ extant Urbini, earumque initia subjiciam.

C. VESINO. F. STEL. Vindici

C. CESTIO. C. F. STEL. Sabina.

*Suburrana tribus*, cujus meminere M. Varro *lib. 4. Sextus Pompei.* Plinius *lib. 19. c. 3.* Dionys. Halicar. *lib. 4.* & Lucius in *epitom. lib. 20.* Hanc verò tribum *Suburbanam* appellavit Varro, quòd ea sic olim dicta fuerit. Sed & idem censet, à regione urbis Succusa, dici *Succusanam*, atque ideo scribi tertia littera C. non B. quod Quintilianus explicat *lib. 1. c. 13.* scribens, *Suburra, cum tribus litteris notatur, C. tertiam ostendere, quo fit, ut his litteris, Suc. Suburranam tribum intelligamus* Extat inter urbis Romæ inscriptiones & epigrammata inscriptio hæc:

D. M. CACILIO

M. CÆCILIO. SP. F. SUC. RUFO SOLIARIO.

AB. LUO SEMELES. EX. TESTAMENTO. EJUS.

CALVISIA. ZOZIMA. ET. M. CÆCILIVS

ALIPRVS. HÆREDES FECERUNT.

Hujus item tribus mentio fit in alia inscriptione, quæ Romæ extat ante Arnum Septimii Severi Augusti, ejusque meminit Onuphrius Veronenensis in *commentariis Reip. Rom.* quo in loco tribus his litteris: SUC. significatur. Sed & is auctor aliam tradit inscriptionem, in qua eadem tribus per B. litteram scribitur hisce litteris: SUB.

*Terentina tribus* apud Cicer. in oratione pro *Plancio.* Non enim tribum *Terentinam.* Livium *lib. 10. L. Florum in Epitom.* Et rursus Ciceronem *lib. 8. epist. famil. epist. 8. M. Opius. M. F. Ter.* id est, ex tribu *Terentina.*

*Tromentina tribus* ex Sext. Pomp. & T. Livio *lib. 6.* apud quem corruptè legitur *Pomentina.* sicut & apud L. Florum *Promentina.* Extat marmorea inscriptio apud Cajetam:

L. ATILIO. L. F. TROM.

Et Tarraconæ.

L. GRAVIO ROMANO. VIVIO, TROM.

SECUNDO. TRIB. LEG. III. AUG.

FLAMINI. PROV. HISP. CITER.

L. ÆMILIVS. SATURNINVS.

*Velina tribus*, cujus meminere Cicer. ad *Atticum epist. 84.* Tribus habet *Pontinam, Velinam, Mactiam.* Idem Cicero in *Bruto.* Prudens etiam T. *Annius Velina.* Horatius *lib. 1. epistol. ad Numicium.*

Hic multum in *Fabia valet*; ille *Velina*

Perfius *Satyra. 5.*

*Libertate opus est, non hac, qua quisque Velina.*

*Publius emeruit scabio sum tessera far.*

Inscripção item Marmorea Tarraconæ.

L. AUFIDIO. Q. F. VELINA, SECUNDO

PALMENSIS OMNIBVS HONORIBVS IN

REPUB. SUA FVNCTO FLAM. P. H. C.

*Volitina Tribus* ex Cicerone pro *Gn. Plancio.* in autem *Laterensis* quas tribus edidisti? *Terentinam* credo, aut *Volitinam*, & ex lapide, qui Venetijs est in æde S. Vitalis:

DN. NUMERIUS. CN. FRONTO.

Et alio lapide Veronæ apud Divum Florianum,

S. LIGURIUS L. F. VOL. ASPER.

Extat integra inscriptio apud Rhenanum *libro tertio* de rebus Germ.

*Vejentina Tribus* apud Ciceronem pro *Gn. Plancio.*

Quid, inquit, cum *Vejentina.*

*Veturia Tribus*, quæ & inter alias connumeratur ab Alexandro ab Alexandro, & Volaterrano, quin idem Alex. *lib. 4. diæ. genial. c. 3.* scribit, præsci fuisset moris, ut *Veturia tribus* prærogativam haberet suffragiorum, atque prius in suffragium iret pro suo candidato. *Prærogativa* enim sunt tribus, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas: & hæ tribus, prærogativæ, quos vellent, consules dicebant fieri: secundæ jure vocatæ, quod in his sequente populo, ut sæpè contingit prærogativarum voluntate jura omnia completerentur, auctore Alconio 2. in *Verrem* actione. Præter quem multa de prærogativa *Budæus ad legem Juliam de ambitu.* Illud mihi verius videtur, tribus prærogativas sorte fuisse eductas ex Cicer. *Philip. 2.* idemque ex Appiano in historia Gracchorum adnotavit Nicolaus Gruchius. *lib. 2. de comitiis.* Illud verò lectorem admonere non præmittam, ad hanc prærogativam pertinere, quos Livius *lib. 9.* scribit, *Papyrius*, inquit. *C. Junium Bubulum Magistrum equitum dixit: atque ei legem Curiam*

de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Faucia curia fuit principium duabus cladibus insignis: captae urbis, & Caudinae pacis: quod utroque anno ejusdem curiae fuerit principium. Maceo Licinius tertia etiam clade, qua ad Cremeram accepta est, abominandam eam curiam facit. Haec Livius, idem ferè de tribu Sergia scribit Frontinus libro secundo de Aquaductibus. Lucius, inquit, Crispinus Cons. populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro pro Rostris Aedis divi Julii Pontif. Roman. & Julia tribus Sergia principium fuit, pro tribus Sex L. F. Varro. Fortassis etenim idem est principium curiae, & principium tribus, quod praerogativa tribus, & praerogativa curiae. Nam id jus sorte contigit, planius asseverari potest, obiter tamen locus Frontini castigandus erit ex observatione diligentissima Petri Chaconij, viti alioqui omnigena eruditione insignis, qui sic legendum esse censet: Lucius Crispinus Cons. populum jure rogavit, populusque jure scivit, in foro pro Rostris Aedis divi Julii pridie calendae Julias: tribus Sergia principium fuit. Pri. tribus Sex L. F. Varro. Ut sit idem principium quod praerogativa, & princeps tribus sit Sextus L. F. Varro: aut primus, qui vel magistratus electione, primus ex tribu suffragium ferebat, id enim, quod de primo, aut de principe diximus, observari potest ex Cicer. in oratione pro Planco, & in oratione pro domo sua. pro Rostris autem Aedis Divi Julii apud Frontinum intelligo: pro Aede Divi Julii Suetonius in Augusto capitulo centesimo. Verum adhibito honoribus modo bifariam laudatus est, pro Aede Divi Julii à Tiberio, & pro Rostris sub veteribus à Druso Tiberij filio. Don. li. 56. Feretro, inquit, posito ad Rostra, pro illis Drusus quendam orationem de scripto recitavit. Caeterum pro Rostris Julii Tiberius ex Senatus consulto hanc ad populum habuit orationem. Sed ex Livio in diel. li. 9. intelligi planè poterit Cicer. locus in 1. de divinatio. praerogativam, inquit, majores omen iustorum comitorum esse voluerunt.

Et haec quidem fuerunt quinque & triginta tribus Romanae, in quas olim urbs illa divisa fuit, quas vel à conditoribus, vel à locis, à quibus duxere originem, nomina habuisse constat. Nec Plutarchus in Romulo scribit, eas nomina propria consecutas fuisse à Sabinis faeminis, quae raptae fuerunt. Tametsi Volaterranus id falsò ex Plutar. adnotaverit.

Sapinam verò tribum quidam inter Romanas censere videntur: & tamen Livius l. 31. & 33. Umbriam Italiae regionem tribum Sapinam appellat. Quamobrem locum illum lector expendet diligentius. Nam Paul. Manutius, & Nicolaus Gruchius hujus meminere, Veturiam omitentes. Nec tamen desunt qui apud Livium l. 6. Veturiam tribum agnoverint, aliis existimantibus eo in loco non fieri ullam Veturiae tribus mentionem, atque sic locum illum legendum esse, ut nulla fiat Veturiae mentio. Sed Cicero l. 13. epist. famil. epist. 10. ac Josephus l. 13. de antiq. c. 17. Mentinae tribus mentionem fecerunt de Romanis civibus tractantes: & fortassis illa est vera tribus quae ommissa Sapina & Veturia, numerum triginta quinque tribuum integrum efficit. Extant & inscriptiones quaedam de Mentina tribu: quarum & Paul. Manutius in Lexico meminit. Etenim quam Cicero his litteris, Men. scripsit, eandem Joseph. Mentinam integro nomine significavit: suspicatur tamen Onuphrius apud Cicero. & Joseph. intelligendam esse tribum Meneniam ex quadam inscriptione quae extat Feltriae, atque ideo Josephi locum emendandum esse censet. (Sic & Sigonius non semel hanc tribum Meneniam dictam fuisse scribit, tametsi ex inscriptionibus, minimè videam posse probare Mentinae nomen potius, quam Meneniae, cum ubique in eis his litteris MEN. tribus haec significetur.)

Simili propè ratione Resp. Atheniensis civis habuit in tribus, quas Graeci *ὄλως* vocant divisos. Ex multis etenim Atticae pagis, & oppidis una urbs Athenarum quasi conflata est à Theseo qui Athenas ipsas

ἀστυ appellavit, quasi nomen hoc omnibus urbibus commune, illi per excellentiam quandam conveniret, auctore Plutarcho in Theseo item Iocrate in Helenae Encomio: quibus & Thucydides ad stipulari videtur l. 2. etiam si paulò aliter hoc ipsum scripserit, quod & Cic. l. 2. de leg. commemorat: ut ille, inquit, Cato cum esset Tusculi natus in P. R. civitatem susceptus est ita cum ortu Tusculanus esset, civitatem Romanam habuit, alteram loci patriam, alteram juris, ut vestri Attici, priusquam Theseus eosdem migrare ex agris, & in astu, quod appellatur, omnes se conferre iussit. Haec Cic. Athenas siquidem, ut dixi, hoc nomen obtinuisse constat ex Iocrate in oratione de jugo. Lycurgo contra Leocratem, Emilio Probo in Alcibiade, Terentio in Eunuchis, act. 5. scena 6. inquit enim senex, An in Astu venit aliud ex alio malum? Sic & Alexandria dicta est per ἑξοχλή πόλις, & Roma urbs. Tribus verò Athenienses fuere decem numero auctoribus T. Livio l. 1. decad. 4. Plutarcho in Cimonis Xenophontis li. de rebus. Ulpiano Demosthenis interprete in oratione contra Timocra. Demosthenes ipso in epitaph. Pausania in Atticis, qui ab initio quatuor tantum Athenis tribus fuisse, sed post earum numerum ad decem auctum ex testimonio Herodoti in Terpichore tradidit. Earum nomina haec sunt: Cecropis, Erechtheis, Aegeis, Pandionis, Acamantis, Leontis, Oeneis, Hippothoontis, Antiochis, Aentis, ex Demosthene, & aliis, praesertim Pausania. Ex quo observandum erit tribus Athenienses haec nomina à quibusdam priscis Heroibus accepisse, qui ex eo dicti fuere Eponymi, quod ab eis Atheniensium tribus nomina acceperint, quorumque statuae Athenis fuere propè quingentorum curiam, quos Latine, cognominatores dicere poteris. Hoc praeter Pausaniam adnotavit Ulpianus, asseverans, hos Heroas omnes praeter Ajacem Salaminium Athenienses fuisse. Sunt & quidam qui existimant, postea numerum istum auctum esse aliis duabus tribubus, nempe Antigoniade, & Demetriade: quod Plutarchus tradidit in Demetrio, & Diodorus Siculus l. 20. Pausanias tamen duas tribus, quae decem veteribus additae fuerunt, ab Attalo, & Ptolemaeo Philadelpho nomen accepisse, scribit. Sed & Stephanus de Urbibus in dictione, Agnus, Attalicae tribus Atheniensis meminit ex Phrynico. Quaelibet autem tribus apud Athenienses in vicos, quos *δήμους* appellabant, distinguebatur, sicuti ex Demosthene, Plutar. Stephano de Urbibus & Suida facillimè percipiet lector. Nam civis Atheniensis nomine proprio, & patris, atque vicus nominabatur, ut inde cognosceretur, quae ex tribu, & cujus filius, & quod civis Atheniensis esset, id ipsum constat ex Demosthene in controversia de nomine. Vicorum verò nomina hoc in loco minimè adscribam exactè, ne longior sit, quam fortassis par est, nostra haec observatio: aliquot tamen ex Graecis auctoribus adducam, ut interim constet, Alexandrum ab Alexandro mirè hallucinatum fuisse, dum vicos Athenienses, tribus esse censet, atque ideo numerum earum majorem multò, quam à probatissimis auctoribus sit traditus, postea fuisse, falsò crediderit. Demosthenes cum esset civis Atheniensis, non semel his verbis significatur. Demosthenes Demosthenis F. Paeaniensis. Quibus cognoscitur, Demosthenem civem esse Atheniensem, Demosthenis filium, & ex tribu Pandionide, cujus erat vicus Paeanicus ex Suida, & eodem Demosthene in oratione contra Midium, & in oratione de corona, Praetore, inquit, Mnesiphilo pridie Calendas Quintiles Pandionide tribu praesidente Demosthene Demosthenis F. Paeaniensis retulit, unde apud Suidam, & Plutarch. errare videntur qui Latine scripserunt: Demosthenis F. & Cleobulae, ex municipio Paeaniensi: cum potius vertere debuissent, ex vico Paeaniensi, aut ex Pago Paeaniensi. Nam & Festus *δήμους* pagos Latine interpretatur. Apud Laertium Plato Colyctensis dicitur à vico Athenarum Colyctae, qui tri-

bus erat Hippochoontidos ex Demosthene in oratione de corona quamvis Suidas, & Apocration, hunc vicum tribus Egidios, & Lucianus in Timone tribus Erechtheidos esse subindicaverint, Apud Demosthenem in oratione contra Boeotum de nomine, Thoricus vicus tribuitur Acamantidi tribui: Dic mihi, Boeote, qua ratione nunc in Acamantidem tribum translatus es, & vicum Thoricum, & factus Mantia filius, & portionem relicta ab eo hereditatis habes? Quo in loco rursus Hieronymus Wolfphius interpretatur municipium: cum Thoricus vicus sit ipsius urbis Athenarum, non municipium. Plutarchus in Pericle: Pericles, inquit, ex tribu Acamantide, vico autem Cholarge si Apud eundem in Aristide. Aristides Lysimachi F. ex tribu Anchide, & vico Alopece, item in Themistocle: Themistocles Neoclis F. ex tribu Leontide, & vico Phreario. idem Plutarchus in Cimone scribit. Cimon Miltiadis F. ex tribu Oeneide, & vico Laica. Unde dictus est Laciades. Et eadem ratione qui ex eodem vico erat: dicti sunt Laciadae à Cicer. li. 2. de offi. Theophrasto. Ex eodem Plutarcho constat, Phocionem Atheniensem fuisse ex vico Melita: & ideo tribus Cecropides, auctoribus Suida, & Stephano, qui & Laciadarum meminit ex tribu Oeneide, apud Lucianum in meretricio dialogo Dorido, Polemon miles Striatis dicitur, & tribus Pandioniae, siquidem Stria vicus fuit ejusdem tribus, auctore Suida. Vicos verò nomina habuisse par est à locis, à quibus originem duxere: qua ratione Phyle vicus tribus Oeneidos, auctore Suida, fortassis nomen habuit à Phyle castello ipsius Atticæ munitissimo, cujus idem Suidas itidem meminit; meminere & Isocrates in oratione de pace. Diodorus Siculus li. 14. Æschines contra Ctesiphontem, & Andocides de mysteriis. Demosthenes in oratione de corona. Æmilius Probus in Thrastulo. Plutarch. in Demetrio, idem in Lysandro, & Xenophon in 2. Hellenicorum. Decelia item vicus, qui auctore Stephano post Lysiam Rhetorem in oratione contra Panleonem fuit tribus Hippochoontidis, nomen habuit à Decelia oppido ipsius Atticæ, à quo & bellum Decelicum, de quo plerique auctores tractaverunt, præ cæteris Diodorus Siculus l. 13. Thucydides l. 7. & Plutarchus in Alcibiade: Hoc ipsum & de Sphetio, atq; Agnatio, vicis tribus Acamantides auctore Suida, adnotari poterit, si ea, quæ scribit Plutarch. in Theseo, ubi de Pallanthidis agit, observaverimus. Nam & Strabo l. 9. memoriæ tradit, Cecropem primum multitudinem Atheniensium in duodecim Atticæ oppida habitanda digessisse, quæ Theseus in unam Athenarum civitatem denuò congregavit: atq; ille horum oppidorum nomina commemorat, quæ vicis Atheniensibus convenire videntur, sicuti & quod paulo antè idem auctor retulit de numero Atheniensium pagorum ad vicos potius, quàm ad tribus pertinet, cum receptum sit, Atheniensium urbem etiam Strabonis ætate decem tantùm aut duo decim tribus habuisse. Idem quod Strabo de Theseo, scribit; atq; Diodorus Siculus l. 4. tradit & Stephanus in li. de urbibus ex Characis monumentis. nisi quòd undecim tantùm oppida fuisse commemorat, quæ in unam Athenarum urbem Theseus congregavit, illa ex hoc celebritate instituta, quæ ab Atheniensibus Synœcia plurali numero dicitur. Verùm ex Isocrate in Arcopagico illud planè deducitur, veteres Atheniensis Reipublicæ institutores urbem ipsam in tribus, regionem in vicos, aut pagos partitos fuisse, ut hinc liceat non temerè observare hos vicos, aut pagos certa constituta ratione ad civitatis tribus pertinuisse. Nam & Pausanias in Atticis dum vicorum meminit, eos extra urbem esse censuit, idem scribit Eustathius in navium catalogo. idq; Thucydides significare videtur l. 2. quo in loco vici meminit, qui dicebatur Acharnæ: & Aristophanis interpret in Ranis scribens, Tichrasum vicum Atheniensem hoc nomen accepisse à Tichrante Pandionis filio, & in Egidia tribum distributum fuisse. Idem ex Herodoto in Terps-

chore, libenter ipse adnotaverim, dum is auctor meminit vicorum Atheniensium, qui dicti fuere Oeone, & Hylia, & ex eodem li. ultimo, ubi Decelii mentionem facit. Sed & Julius Pollux li. nono, c. 1. vicos, qui ἄγμοι Græcè dicuntur, etiam extra urbem constituit. Vici verò, qui dicebatur Acharnæ, meminit & Pindarus in Nemeis Od. 2. quo in loco apud interpretem Aristarchus eum tribuit Æantidi tribui: interpretes autem ab eo dissentias tribus Oenopidi: cujus nulla mentio est apud auctores, qui de tribubus Atheniensibus scripserunt, qua ratione cenfeo, sic locum illum castigandum esse, ut de Oeneide tribu intelligatur: cum & Stephanus de urbibus hunc vicum Oeneidi tribui adscribat. Sic sanè Hebræi habuerunt φύλας, quas tribus; & δῆμοι, quas cognationes & familias iusta quadam ratione dixerunt Latini interpretes n. 1. c. 27. Præter hæc, & alia, quæ ex variis locis veterum scriptorum adduci poterant, constat etiam ex sacra historia: Hebræorum gentem in duodecim tribus divisam olim sacrosanctam provinciam habitasse, atque tribum quamlibet urbes, oppida, & pagos distinctos habuisse.

His sanè prænotatis, quòd faciliùs Jurisconsulti responsum interpretemur, scholia quædam illi adjiciam, ex quibus lector ejus intellectum, ac sensum commodiùs, ac diligentius, quàm ex Accursio, Bart. Alber. & aliis percipiet.

Patronus, inquit Scævola, liberto. Servi tamen quàmvis manumitterentur à dominis, non statim cives Romani efficiebantur. Si quidem hi tantùm cum libertate civitatem adquirebant, qui vindicta, testamento, aut censu manumittebantur: reliqui verò, etsi liberi forent per manumissionem, cives tamen Romani non erant. Vindicta verò manumittebantur apud Magistratum, censum verò eo, quòd servi jussu dominorum nomen suum in censum urbis Romæ detulissent: non statim quidem, sed ipso lustrali tantùm censu, solemnè, ac lustrali sacrificio peracto: quod ex Ulpiano in fragmentis, Cicerone in Topicis, & li. primo de Oratore adnotatur Chatondas ad Ulpianum, & Antonius Con. li. 2. Subsequarum, c. 9. testamento autem, qui à domino ultimo ejus voluntate in testamento, aut codicillis liberi esse jussi sunt, hi simul cum libertate civitatem Romanam adsequabantur. Liberti autem dedititii, id est, qui tempore servitutis in aliquod vitium incidissent, cujus causa illum confessi notis in fronte, & stigmatis compuncti, vel in publica vincula conjecti, verberibusve affecti, ac deinde gratia cum domino intra manumissi ab eo fuerint, hi nec cives Romani per manumissionem efficiebantur, nec jure ordinario fieri poterant. Suetonius in Augusto 140. servos non contentus multis difficultatibus à libertate iusta removisse: cum & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiosè cavisset, hoc quoque adjecit ne vindictus unquam totusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur. Latini autem liberti, quorum melior & honestior fuit conditio: eodem modo civitatem non habebant, eam tamen habere poterant. Hæc breviter adnotavimus ex Cajo primo suarum Institutionum. Theophilo Institutio. de libertinis, §. & dedititiis. & Julio Pauloli. 4. sentent. iiii. ii. Angel. Polit. c. 84. Miscell. Alciato l. 1. parer. c. 14. 15. & 16. Zasio in l. 2. ff. de orig. jur. in verb. vind. & Franc. Conna lib. 2. Commentariorum, c. 4. & 6. Dicebantur & hi liberi Latinæ conditionis liberti ex lege Junia Norbana, quod Alciatus lib. 10. parer. c. 7. admonet, & constat ex Justiniano in §. libertinorum, Instit. de lib. & Boerio in Topicis. Latini tandem liberti, quibusquæ solemnè manumissionis decrat, sunt aut per epistolam, aut inrer amicos, aut convivii adhibitionem, id est, cum servus assidet mensæ domini: quod erat signum datæ à domino libertatis. Libertis verò dedititiis & Latinis hoc commune erat, quòd nec testamento capere, nec dare poterant: quia cives Romani non erant. Quod in specie Cajo probat in suis institut. lib. 1. de statu

stat hom. (tradit & ex Salviano Massiliensi Episcopo Jacob. Cujacius lib. 4. observ. c. 5.) Et alii ex eo tradidere Latinorum etenim quorum melior conditio erat, nullæ penitus erant legitimæ successiones. Quia licet, ut Liberti vitam suam peragebant, attamen ipso ultimo spiritu simul vitam atque libertatem amittebant, & quasi servorum eorum bona jure quodammodo peculii ex lege Julia Norbana manumissores detinebant. §. neque, Instit. de success. libert.

Verum & ex his libertis, qui olim civitatem adsequabantur sola ipsa manumissione, reliquos cives ingenuos privilegiis, & honoribus non æquiparabant. Nam in postremam tribum rejecti, nullam habebant in suffragiis auctoritatem: quod tardè accideret, ut ad eos usq; descendendum foret. Tullius Hostilius Rex, auctore Dionysio, l. 4. libertos omnes † qui à domino manumissi fuissent, civitatem statim consequi, & in quatuor urbanas tribus censeri, lege lata sanxit, idque ad eus usque ætatem obtinuisse ipse Dionysius scribit, sed & Alconius in oratione pro Milone testis est, libertinos in quatuor urbanis tribubus suffragium tulisse. Lucius Florus in epitom. l. 20. *Liberuni*, inquit, in quatuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent Equilinam, Palatinam, Suburranam, Colinam, Imò ex quatuor his urbanis tribubus in unam tantùm conjuncti libertini fuere: Esquilinamque sorte in atrio libertatis sunt consecuti auctore Livio l. 5. *decad. 5.* quamvis Vindicio illi qui primus vindicta manumissus dicitur à populo Romano, jus datum fuerit, in qua vellet tribu suffragari, teste Plutarcho in *Publicola*, qui & idem jus omnibus libertis concessum esse ab Appio Claudio commemorat, nec tamen id obtinuisse Livius sentit lib. 9. *decad. 1.* quo in loco libertinorum filii & Appij Claudij actionem, & conatum intelligit, quorum avi liberi fuissent, atq; ex eo à libertis, & libertinis differrent, quòd ingenui, licet humillimi forent, quippe qui avum, etsi liberum, liberum habuissent. Etenim libertini tunc dicebantur non ipsi liberti, sed eorum liberi ex Suetonio in *Claudio* c. 24. Fortassis adjectio in Senatam ab Appio Claudio tentata de libertinorum filiis erit accipienda: divisio verò in omnes tribus de libertinis, & de omnibus libertis, quod Plutarchus existimat. Ex quibus non omnino convenit veteribus historicis quod Lælius Taurellus censet de militiis ex causa asseverans, ipsos libertos tribuum jus nullam habuisse, nec ipsorum filios, sed ingenuorum ex his qui manumissi essent, procreatorum, qui tunc libertini dicebantur. Nam & libertinos libertorum filios, etiam si vetustissimam dictionis significationem sequamur, ex Titio Livio, Lucio Floro, & Alconio & adhuc ipsos libertos, qui vindicta, censu vel testamento essent manumissi, civitatem Romanam, & jus tribuum consecutos fuisse ex Plutarch. & Dionys. probavimus. At Justinianus imperator sublata in universum Latina libertate constitutionem edidit, voluitque & his modis manumissos pro civibus haberi, nihilque in eos domini æ potestatis residere, & idem deditiis observari mandavit in l. *unic. C. de deditis lib. tol.* & in *auth. ut liberti de cetero aureo non indig. anul.* & in l. *unic. C. de lati lib. tol.* & in §. *ultim. Instit. de libert.* qui & in §. *secl. & deditiorum*, asseverat hoc ipsum & à primis imperij Romani incunabulis institutum fuisse, ut ipse opinor, Tullij Hostilij Regis legem illam æquissimam subindicans. Sed & ante Justinianum Constantinus Imperator servis manumissis in Ecclesia sub aspectu plebis, vel antistitum, civitatem Romanam datam censeri lege lata stabilivit, quæ extat lib. 4. *codicis Theodosiani*, ut. 7. & lib. 1. *codicis Justiniani*, tit. de his, qui in Ecclesi. manumit. cujus legis mentio fit à Sozomeno lib. 1. *Ecclesi. histor. c. 9.* & Niceph. lib. 6. c. 46.

Tribum emi.) Ut verus justusque ac legitimus civis Romanus fieret, cum liberti hoc jus ex manumissione omnino non consequerentur, nec fierent veri cives

Romani. Unde oportebat civitatem Romanam impetrare à Republica, vel à Principe, aut pecunia data in pretium obtinere. Nam & Romanæ civitatis jus pecunia quæri, & parari solitum, constat ex actis Apostolorum, c. 22. *accedens enim tribunus dixit Paulo: Dic mihi, num tu civis Romanus es? at ille dixit, etiam. Et respondit tribunus: Ego multa summa civitatem istam comparavi. At Paulus ait: Ego autem & natus sum.* Tribus autem legatum ad hoc pertinere, ut quis verè, & omnino civis Romanus fieret, tribumq; Romanam ea ratione obtineret, in eaq; censeretur, satis fit manifestum ex his, quæ ad hoc Scævola responsum superius adnotavimus. Qua ratione mera sunt deliramenta, quæ hoc in loco de tribu ab Accursio, & aliis traduntur. Veram tamen, ac genuinam interpretationem, tametsi brevi quodam compendio tradidere Alciat. l. 1. *parerg. c. 16.* & Lælius Taurellus de *militiis ex casu ad Ant. August.* Nam tribus apud Scævola nec progenie servorum, ut Accurs. somniat, nec promittit ad hæredem, præsertim clarissimum minimè transmittenda: quod Cumanus divinat, ac veteres quidam, & cum his Albert. sensere, tametsi hæc ultima interpretatio practica sit commodior in argumentum, & hujus responsi inductionem. Quod paulò post iteram admonebimus.

Huic legato, de quo in hoc responsu agitur, simile videtur, & illud, † quo tessera frumentariam emi legatario testator jussit, cujus meminere Jurisconsulti in l. *Tutio Scio. in prin. & in l. mortuo bove. §. 1. ff. de legat. 2.* & in l. *sed etsi susceperit, §. si libertis, ff. de judiciis* quibus in locis, licet alibi alia multa significet, tessera signum est frumentarium, quo exhibitò frumentum à Principe, vel Republica dabatur populo Romano, vel Symbolum ad accipiendas Principum largitiones, quod civibus tantum Romanis dari Romæ continevit quandoque ad frumentum, quandoque ad pecuniam, aliquando ad vestem accipiendam. Qua ratione tessera pro jure percipiendi frumentum & has largitiones publicas, accipitur, quemadmodum Budæus in d. l. *sed etsi susceperit*, diligenter explicat ex Suetonio in *Augusto* c. 40. *Populi*, inquit, *Romani censum vicatim egit, ac ne plebs frumentationum causa frequentius à negotiis avocaretur, ter in anno quaternum mensium tesseræ dare destinavit. Sed desideranti consuetudinem veterem concessit rursus, ut sui quisque mensis acciperet.* Hæc Suetonius. Tulerat sanè Clodius legem Annonariam, teste Alconio Pædiano, ut frumentum populo gratis daretur. Quibus probari poterit, nihil aliud esse tessera frumentariæ, aut tessera emptionem, quam emptionem juris percipiendi principales, & publicas largitiones, & sic civem verè Romanum per emptionem tribus, in qua Romæ censeretur, fieri. Nec etenim alibi, quàm Romæ, nec aliis, quàm Romanis civibus eisdemque tribulibus ejus urbis, publicæ largitiones donabantur. Idcirco emptio tribus, & emptio tessera mihi probè idem esse videntur, quod & Andreas Alciat. sentit in d. c. lib. 1. *parerg.* & post eum Anton. Vacca in l. *fœmina, ff. de Senatorib.* sed Imperator in l. *ult. C. de frumento. Alex. lib. 11.* inquit, & tessera designatur. Servius item lib. 1. *Georg.* in illud: *aut numeros impressit acervis*, Tesseras interpretatur, quibus frumentorum numerus designaretur. Nam numeros pro litteris posuit, quibus numeri continentur.

Cæterum illud libenter inquirere minimè cunctabor, † qua ratione liberto à Scævola responsu opus fuerit, tribum emi? Nam vel hic libertus justa fuit manumissione manumissus, testamento, censu, vel vindicta, & tunc civis erat ex ea manumissione Romanus, tribumque ut civis habebat, aut fuit libertus dedititius, vel Latinus, & hi cum cives Romani non essent, testari non poterant, & tamen hic libertus testamentum fecit, hæredemque instituit, Unde consuetudo

Etate licebit, eum civem Romanum fuisse, a quo ideo non Latium liberum, nec dedititium: quod rursus Scævola refragatur, qui sensit, legatum hoc utile liberti futurum, ut civis Romanus fieret, eoque jure publicas, & principales largitiones consequeretur in tribum Romanam adlectus. Et præter hæc alia deinde conjectura difficilem hujus loci rationem efficit. Cajus etenim *lib. 1. Institutionum, tit. 1. Latini*, inquit, *patronorum beneficio, id est si iterum ab ipsis testamento, aut in Ecclesia, aut ante consulem manumitterentur, civium Romanorum privilegia consequuntur.* Quod si auctore Cajo, liberti Romani, id est, vindicta, censu, vel testamento manumissi, cives erant Romani, & Latini liberti si iterum a patrono, testamento, censu, vel vindicta manumitterentur, civium Romanorum privilegia, ut cives Romani consequerentur, quid obsecro opus erat, liberti emptionem tribus legare, cum facillimè ipso testamento posset illum iterum justa manumissione manumittere? Scribit etenim Plinius *lib. 7. Epistol.* Fabato pro loco. *Hic nunc Proconsul provinciam Beticam per Ticinum est petiturus: spero, imò confido facile me impetraturum, ut ex unere defleat ad te si voles vindicta liberare, quos proximè inter amicos manumisti.* Hæc Plinius. Qui mirè consentit Cajo asseverans, patronum posse Latium liberum iterum, vindicta manumittere apud Proconsulem, ut hic libertus justa manumissione civis Romanus fiat. Quam iterationem supervacuum esse censet Justinianus in *authent. de cætero libert. aureo annulo. non indig.*

Et verò illud omnino observandum esse cenfeo, tempore quidem Justiniani jam ex multis temporibus dedititios libertos in desuetudinem abiisse, Latini vero nomen non admodum frequens fuisse, sicuti idem Imperator asseverat in *§ sed dedititiorum, Inst. de liber. & in l. unica. C. de dedit. libert. toll.* ex Plinio etenim constat, ejus ætate Latinam libertatem in usu esse ut & par sit adhuc sub Scævola, Paulo, & Ulpiano eandem in usu fuisse. Quo fit, ut omnino hoc responsum de libertis justa manumissione manumissis, non de dedititiis, nec de Latinis sit intelligendum, cum hi testari non possent, illi verò, ut cives Romani testamentum dubio procul facere poterint. Quod si de libertis Romanis est accipienda Scævola sententia, quid obsecro opus erat tribum liberti emi? ut is civis Romanus fieret, cum jam ex justa manumissione eam civitatem, & idem jus esset consecutus?

Laelius Tautellus his objectionibus facillimè responderet, Scævola de liberti justa manumissione manumisso respondisse, ac de eo qui testamentum facere poterat, cum civis Romanus esset: tribum tamen Romanam nondum haberet, in qua censeretur. Principumque & Reipubl. largitates obtineret, ex eo, quod libertis etiam justa manumissione manumissis, tribus Romana minimè Romanorum legibus concessa foret, & ideo eam sibi emi, aut beneficio Principis, vel Reipublicæ adquiri oportebat. Nam de libertinis libertorum filii ipse Tautellus intelliget quæ Livius, L. Florus, & Alconius memoriæ prodidere. Atque ita verum est, hos auctores de Libertinis tractasse, & tamen Dionysius, ac Plutarch. de ipsis libertis scripsere, quæ nos paulò antè retulimus, nisi Græcos auctores de Libertinis, id est, de filiis Libertorum velit quisquam intelligere, quod dictionis significationi refragatur, & Tiro Livio, qui *lib. 5. decad. 5.* libertinos hæc in re libertos etiam ipsos significari sensit, dum inquit; *Postremò eo descensum est, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in arvio libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent conicerent. Esquilina sors exitit, in ea T. Græchus pronuntiavit, libertinos omnes censere placere.* Sed & libertinus frequentissimo Latinæ linguæ usu libertum ipsum significat, & olim significavit: quod *lib. 4.*

*Elegantiarum Valla* probat *c. 1. & Justinianus* inquit, *Libertinus est, qui ex justa servitute manumissus est, in pr. Inst. de libertinis. & in pr. Inst. de ingenuis.* Cajus item Jurisconsultus in *l. libertini ff. de statu homin.*

Qua ratione omnino erat observandum, non omnes cives Romanos ejusdem conditionis fuisse, nec ea jura, quæ veri, & naturæ cives Romani habuerunt, habuisse: quemadmodum Andr. Alciat. alio in tract. diligentissimè docet *l. 2. dispunct. c. 21.* Ex quo ipse adnotaverim, Italicis & Latinis olim, quod viciniore Romanis essent, indultum fuisse non tantum jus Liti veteris nempe, ut in legione Romana militare possent, in eaque magistratus gerere, sed & ipsis in societatem adsumptis jus etiam adipiscendi honores in urbe Romana, utque cum Romanis tribus suffragia ferrent. Unde plerumque & ipsi Latini, magistratus eligebantur: & ea causa jus civitatis Romanæ, non tantum jus Latij dicebantur habere: quod & Alconius Pædianus in oratio. in *L. Pisonem* scripserat. Erantque ipsi Latini, sicuti Romani à vectigalibus, mulctis, & tributis, capitacionibusque immunes: † & hoc est jus Latij, & jus Italicum, & civitatis Romanæ cujus Jurisconsulti plerumque meminere quod & alia jura complectebatur, scilicet, ut civis hic Romanus flagris subici ex delicto non posset: *Actor. c. 22.* tamen quandoque jus Romanæ civitatis pluribus nationibus datum fuerit honoris potius causa, & ut aliqua consequerentur commoda, non tamen ea omnia, quæ veri, & naturæ cives Romani obtinebant, quod explicat Wolphgangus Lazius *de Repub. Rom. lib. 12. c. 1.* Nam licet Galli civitatem Romanam adepti forent, jus tamen ad adipiscendi honores, aliquamdiu illis detractum fuit, donec Aulo Vitellio, & L. Vipsiano Cos. Claudius Imp. universæ Galliæ Comata illud quoque indult, teste Cornelio Tacito *lib. 11.* quamobrem idem Alciatus Pij Antonini constitutionem, cujus meminere Jurisconsultus in *l. in orbe Romanoff. de statu homin.* & Justinianus in *authent. ut liberti de cætero annul. aur. non indigeant.* & quia civitas Romana omnibus Romano Imperio subditis tributa est, ita intellexit, ut non censeretur omnibus his data immunitas à tributis, & vectigalibus, quæ verè Romanis, & natura civibus competeat, etiam si alia multa jura sub ea concessione venerint. Suetonius in *Augusto c. 40. Civitatem*, inquit, *Romanam parcissime dedit & Livia pro quodam tributario Gallo roganti civitatem negavit, immunitatem obtulit, affirmans, se facilius passurum filio detrabi aliquid, quam civitatis Romane vulgari honorem.* Hæc Suetonius. Ex quo constat, jus civitatis Romanæ, quoad omnia ejus privilegia, commoda, & honores, parcissime dari solere. Eadem ratione, ut opinor, quamvis liberti civitatem Romanam fuerint ex justa manumissione consecuti, non tamen ea omnia statim consequerentur, quæ veris civibus Romanis competeant. Nam & ante Justinianum liberti à Principe jus impetrabant auctorum annulorum, & restitutionem natalium, quemadmodum apparet ex tit. *de jure aureo. annulo, & de natalibus restituend.* Licet hæc Justinianus in d. Novella in universum libertis omnibus concesserit. Sic itidem existimo, libertos, etiam justa manumissione manumissos, ex eaque cives Romanos factos civitatem quidem consequi ad plura profectò commoda non tamen ad ea omnia, quæ veris Romanis civibus, ingenuis competeant, & ideo nec quemlibet libertum in tribu Romana censerit, nec eam habuisse ex sola manumissione, & jure civitatis Romanæ: siquidem ætate Ulpiani, Scævola, & Pauli Jurisconsultorum jam ex Pij Antonini constitutione omnes erant cives Romani effecti, quicumque in orbe Romano erant, & tamen apud Jurisconsultos legata vel tribus vel teste-

rae, maximae utilitatis censentur. Non enim omnes cives Romani tribum habuerunt, non illi, qui ex beneficio Antonini Romanam civitatem obtinuerunt, nec alij, qui speciali beneficio Principum, aut Reipublicae idem jus antea fuerunt consecuti, sed tantum cives verè Romani, vel qui praeter Romanæ civitatis jus, etiam tribus à Cæsaribus vel à Reipublica impetraverant. Igitur quod Livius, Florus, & Ascenius Dionysius, & Plutarch. scripsere, de his libertis erit accipiendum, qui Romæ à civibus Romanis manumittebantur, ut veri cives Romani fierent, & in ea urbe habitarent, in patriam ad habitationem minimè redituri. Alioqui liberti in provinciis à Romanis civibus manumissi, quamvis cives Romani essent ex manumissione, & testari possent, tribum tamen Romanam minimè assequerentur, nisi vel emptione, vel beneficio Cæsaris aut Reipublicae eam obtinerent. Plin. lib. 10. *Epist.* à Trajano jus Quiritum Latinis suis petit, idque à Cæsare illi animo indulgentissimo concessum fuit, ut inde conjectari liceat, Latinos illos cives Romanos verè factos fuisse.

(Hæc planè adnotavimus ut jus proprium & perfectum civitatis Romanæ ab alijs juribus distinctum esse probarem, sed & jus Latij à jure Italico in aliquo differre adnotari solet ex Alconio, & alijs, de quo Carolus Sigonius in *lib. de jur. Italia.* & Cujac. *lib. 10. observ. c. 3. §.* diligenter tractaverunt: post Alex. ab Alex. *lib. dier. genial. 4. c. 10.* Illud profectò adnotaverim obiter, quibusdam doctissimi viris, Etymon hujus nominis Hidalgo; quo Hispani nobilem appellamus, diligenter, & seriò inquirentibus, placuisse ab Italico dictum fuisse Hidalgo, quasi immunem à tributis & alijs indictionibus Reipublicae ex eo præsertim, quòd & olim in Hispania Paceses & Emeritenses, Valentini & Illicitani juris Italici fuerint, teste Paulo Jurisconsul. in *l. in Lusitania. ff. de censibus.* Hujus vero Etymologiae primus auctor, quòd ipse sciam, fuit Gensius Sepulveda in *Epist. ad Regem Philippum*, vir quidem Græcè & Latine apprime doctus, & omni genere scientiarum, quoad humanam & divinam Philosophiam attinet, insigniter eruditus. Verùm quantum licuerit his, qui Etymos scrutantur, satis competentum est his, qui M. Varronem, Isidorum apud Latinos, & Etymologicum quod vocant magnum apud Græcos legerint. Mihi planè, ingenuè fateor, nusquam hæc ratio nominis satisfacit. Existimo enim eam, ut ingeniosè ab antiquitate deductam, sic à vera Hispani nominis origine dubio procul alienam esse. Jus etenim Italicum ad immunitatem ab indictionibus & tributis pertinere non negaverim, sic tamen ut ad ignobiles pariter & nobiles referatur: præterquam quòd jus istud Italicum, & alia præter dictam immunitatem complectitur, sicut & nobilitas, quæ Hidalgo dicitur, nul a privilegia jure obtinet, quæ non omnibus de populo, sed tantum nobilibus lege humana concessa fuere. Constatque nomen istud sic esse nobilitati proprium, ut ad eos, qui alio quam nobilitatis jure, vel privilegio immunes à tributis censentur minimè pertineat. Exempti enim hi, ab Hidalgo maximè differunt. Sic sanè & nobiles, qui ex lege aliqua non sunt à tributis immunes, imò speciali quadam ratione, ut in Wandalia contigit, tributa solvere coguntur, verè nobiles sunt. Unde ad veram nobilitatem non pertinet necessariò hæc à tributis exemptio, cum ea sit accedens nobilitati privilegium, ex diversis legibus provincialium. Atque idèd ubi tantum nobilibus hæc competit exemptio, signum est nobilitatis, hæc nunquam tributa solvisse. At ubi omnes tam nobiles quam ignobiles à tributis eximuntur, & ubi nobiles & ignobiles tributa solvere coguntur, alia sunt indicia ad probandam nobilitatem exigenda: nam ubi nobiles tributa solvere consueverunt, non erit igno-

bitatis indicium tributa solvisse. Denique his & alijs rationibus quas modò non vacat adducere, existimo constanter apud Hispanos nomen hoc Hidalgo ad nobilitatis conditionem omninò referendum esse. Quod autem *l. 3. tit. 2. part. 2.* docet esse quidem aliquem Hidalgo, qui tamen nobilis non sit in eum sensum accipiendum erit, ut quamvis genitus ex patre nobili, Hidalgo quidem, ex matre tamen ignobili, quæ Hidalgæ non sit, nobilis dici non debeat propter matris ignobilitatem: & tamen quia natus ex patre nobili, eò quòd Hidalgo sit, & ipse filius Hidalgo propriè appellatur, & verè nobilitate patris ceteri debet, & omnibus uti privilegijs, quæ præter immunitatem à tributis Hidalgo jure competunt. Idcirco ad nobilitatem nomen istud pertinet, etiam in eo casu, quamvis ratione matris ea nobilitas à propria & vera nobilitate quodammodo degeneret: Nam etsi natus matre ignobili, patre autem nobili sit. *l. eos. l. exemplo & l. nullus. C. de decurionibus, lib. 10.* matris tamen ignobilitas tenebras offundit filijs, quibus est impedimento, ne eorum nobilitas, quam à patre sunt assecuti, illustrior, clarior, atque splendidior sit. Quod multis probat Andr. Tirac. *de nobilit. c. 18. num. 26. & 35.* Cæterum ubi nobilitatis conditio lege, vel constitutione aliave humana institutione sit exigenda, an sit eo casu necessaria nobilitas ab utroque parente, alibi erit tractandum opportunius. His verò adnotatis, mihi potius probatur Etymologia, qua Partitarum lex utitur *l. 2. tit. 21. part. 2.* docet enim Hidalgos ex eo dictos, quòd sint *hijos de algo*: hoc est *de bono & de bona sanguine*. His accedit usus loquendi frequentissimus apud veteres, apud eos, inquam: qui proximiores fuerunt his, qui juris Italici cognitionem in Hispania habuerunt. Hi siquidem, ut constat ex veteribus Constitutionibus, instrumentis publicis, ac privilegijs, sic nobiles Hispaniæ nominantur, ut eos *hidalgos*, & frequenter *hijos de algo* appellaverunt. Extat & hic modus loquendi apud Latinos & Græcos auctores. Cicero non semel, *ad Atticum tamen lib. 3. Epist. 15. Eas, ut velis me esse aliquem, quoniam qui fui, & qui esse potui, jam esse non possum. Et lib. 4. Epist. 2. Et si unquam in dicendo fumus aliquid.* Plato in *Apolog. Socrat. οἶον τὸν τι εἶναι, ἕδενός ὄντες ἀξίος, qui se existimant esse aliqui, cum sint nullius æstimationis.* Demosth. *Philippica. 4. Ὡς σὲ μὲν εἶν τῆ πόλει δὲ τινα φαινομένην ἔπιδον δ' εἶν τῆς Ἰλλυρῆς μηδενός ἀξίαν εἶναι.* Nec enim illud, Aristodeme, dices, (cum eò etenim agit,) te oportere in urbe esse conspicuum, urbis autem nullam apud Græcos esse auctoritatem. Illud siquidem: te esse conspicuum, ex Græco, nihil aliud est, quam te esse aliquem. Et in *Actis Apostolorum c. 5. Ante hos dies extitit Theudas dicens se esse aliquem. Et c. 8. Simon dicens se esse aliquem magnum.* Plutarchus in *Apophtegmat. de his qui se εἶναι τίνας*, id est, *esse aliquos existimabant*, nempe viros non vulgaris æstimationis. D. Basil. in *Homilia περὶ ταπεινοφροσύνης*, inquit, *εἶναι δοκῶσι τίνας.* Jus verò Italicum universæ Hispaniæ à Vespasiano datum esse ex Cajo Plinio adnotavit Reverendiss. Anton. August. Illerdensis Præsul. *lib. 3. emend. c. 9.*)

Fortassis libertis ante Cæsarem Augustum manumissis tribus competeat cum Romana civitate: postea verò, ne majestas Romanæ civitatis libertis ad suffragia, & alia admissis pollueretur, illud obtentum fuit, ne liberti etiam Romæ manumissi, & cives Romani effecti in tribus Romanas admitterentur, nisi speciali quodam Cæsaris, aut Reipublicæ beneficio: quòd ex Suetonio in *Augusto c. 40.* deduci quodammodo poterit, quamvis nec hoc constanter asseverare auserim, etiam si L. Cornelio tribus concessa non fuit statim, ac civitas quod Cicero pro L. Cornelio mihi significare videtur,

*Liberus diu moram ab hærede passus est, & deveniens hæredem reliquit.*) Idem erit, & si libertus nondum decessisset, habuisset tamen tribum Romanam, ex causa lucrativa, & ideo alia tribu non indigeret, & quod Paulus respondit in *l. Titia Seio. in princ. ff. de legat.* 2. Etiam nullam ab hærede patroni moram passus ex ejusdem Pauli Jurisconsulti mente, & adnotavit illic Paulus Castrensis, atque sententur alii, idem est, si ex causa onerosa libertus hanc tribum, aut tesseram habeat, quod omnes admittunt eadem ratione, vel majori. *l. planè, §. quod si rem, ff. de legat.* 1. Sic sanè idem respondendum foret, etiam si in vita testatoris eo ignorante tribum, vel tesseram legatarius habuisset, ex elegantiori ratione Jurisconsulti in *leg. mortuo §. 1. ff. de legat.* 2. Si Titio, inquit Paulus, tesseram frumentariam legata sit, & is decesserit, quidam putant, extingui legatum. Sed hoc non est verum. Nam cui tesseram vel militia legatur, æstimatio videtur legata. Est eadem ratio apud Jurisconsultum in *d. l. Titia.* inquit enim: Titia Seio tesseram frumentariam comparari voluit post dies 30. à morte ipsius, quæro, cum Seius viva testatrice tesseram frumentariam ex causa lucrativa habere cæperit, nec possit id, quod habet petere, an & actio competat? Paulus respondit, ei, de quo quaritur, pretium tesseræ præstandum, quoniam tale fidei commissum magis in quantitate quam in corpore consistat. Hæc Jurisconsultus. Unde apparet, nihil referre ad horum responsorum intellectum, quod testator legaverit tribum, aut tesseram, vel jufferit emi tribum, aut tesseram, licet Bart. Paul. in *d. l. Titia* hoc discrimen consideraverint, excepto Cumanum, qui ab eis hac in opinione juris & verè dissentit, deinde apparet Battolum & alios, Cumanum excipio, falsò, & maximo errore intelligere Jurisconsultos in his responsis de legato frumenti, & cetra ejus mensura, vel de legato vasis, quo frumentum ejus metitur, utraque enim interpretatio nec rationem habet, nec digna est veteribus Jurisconsultis: præterquam quòd secundum eam minimè constarent sibi nostri interpretes, imò nec sibi constaret Jurisconsultus, ex quo tot absurda deduci possent. Primum etenim sequeretur, legata certa frumenti quantitate ad mensuram certam, videri legatum, non frumentum, sed frumenti pretium, & æstimationem, cum alioqui hac specie legatum videatur frumentum potiùs, quam ejus æstimatio, quod probatur in *leg. 2. ff. de vino, tritico & oleo legat.* Quod secus erat in tribu, vel tessera legata, quæ necessariò, & ex rei natura est ab hærede emenda, nec possit ea res à testatore, nec ab hærede præstari: atque idèò æstimatio legata videtur: siquidem aliter haberi non potest, quam si à Principe, vel Republica emptione, aliàve ex causa acquiratur. Quæ quidem tribus emi non potest, ac deinde legatario tradi, sed necessariò simul emenda est ipsi legatario ad ejus utilitatem, eique tradenda, Secundo sequeretur, legato frumento ad certam usque mensuram, vel ipso vase, quo frumentum metitur, quidquam interesse, quòd legatarius ante solutionem legati mortuus fuerit, ut aliqui putare potuissent, legatum extingui. Etenim nullus esset adeò stolidus, nedum Jurisconsultus, qui in hac controversia dubitaret cum in *dicta l. mortuo bove. §. 1.* Paulus scripserit, quosdam existimasse, morte legatarii extingui legatum: nam dubio procul ad hæredes transmittetur. Tertio, si vera est Accursii, Bar. & aliorum interpretatio, quæ obsecro causa potuit movere eundem Paulum Jurisconsultum in *d. l. Titia.* tesseram per legatarium ex causa lucrativa acquisita, ut responderet, deberi æstimationem? nonne potuit frumentum aliud ad eandem quantitatem, & mensuram in eodem genere dari legatario? nonne & aliud

simile vas? Præcticus ergo observabit diligentissimè, hæc Jurisconsultorum responsa hodiè quoad eam militiam esse accipienda, quæ emptione haberi possit, nec jure hæreditario transmittitur ad hæredes, quæque ab eodem duplex haberi nequeat.

*Hæredem reliquit clarissimum virum.*) Hic rursus cum Accursio & aliis contendendum erit. Nam si legatum Tribus eo modo quo ipsi interpretantur, foret accipiendum, quid referret, reliquisset libertus hæredem clarissimum virum, an plebejum? cum utriusque idem jus competere posset nec plus juris, nec minus clarissimus haberet, quam plebejus? Sed & Lælius Taurellus idèò clarissimi hæredis factam mentionem censet, quòd is nihil opus haberet tribu, nec ejus emptione, atque idèò tribum consequi non posset. Unde æstimatio præstanda erat ex *d. l. Titia Seio.* Sed eadem ratio planè obtineret, si civem Romanum quemlibet libertus hæredem reliquisset, cum & is jure Romanæ civitatis tribum haberet, in qua censeretur, nec ei opus esset aliam sibi emi, postèque ea ratione jure proprio Principum, & Reipublicæ largitiones consequi, quæ populo Romano tributim dari consueverunt. Verum ipse in hoc responsò Clarissimum virum accipio quemlibet Romanæ urbis Senatorem: siquidem Senatores Romani clarissimi ætate Scævole Jurisconsulti passim dicebantur: sicuti constat ex *l. fœmina ff. de senatoribus. l. speciosus, ff. de verbor. significat. l. 2. C. de his, qui ven. atat. impetr. l. custodias, ff. de public. judic.* adnotavit Andreas Alciat. *lib. 3. dispunct. cap. 4. & in dict. l. speciosus.* Sed & præter hoc etiam dicebantur clarissimi Senatoria, Consularia, Proconsularia, aut Prætorica ornamenta ex beneficio Principis meruerant, *l. 2. C. de domestic. & prætor. lib. 12. l. 1. C. de præpos. & cubicul. tradit Wolphgangus Lazius lib. 2. de Roman. Repub. cap. 1.* Dicebantur & olim clarissimi filii Senatorum, & clarissimorum, *l. fœmina, ff. de senatoribus. l. senator. Cod. de dignit. lib. 12.* de quibus multa Ant. Vacca. in rub. de senatoribus, qui in *d. l. fœmina,* censet, hoc Scævole responsum ea ratione intelligendum, quòd clarissimi forent incapaces quorumdam legatorum, & præsertim hujus legati quo tribus eis emenda legaretur, fortassis ex eo, quamvis ipse hoc ampliùs non explicet, quòd licet clarissimi Romæ tribum haberent ex Sueton. in *Augusto cap. 40.* suffragium tamen in eligendis magistratibus minimè ferebant, nec ex Reipublicæ, & Principum legatione frumentarias tesseras, quæ plebi Romanæ quolibet mense dabantur, poterant habere. Hæc enim & his similia propria plebis erant: non Senatorii ordinis, nec clarissimorum, quibus minimè conveniebat: imò esset illis probio, ac ignominia, si cum plebeiis æquarentur. Quamquam idem Suetonius in *Domitiano cap. 4.* scripserit, dièque proximo omne genus rerum missilia sparsit, & quia pars major inter popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos Equestris, ac Senatorii ordinis pronuntiavit. Hoc etenim ad missilia pertinet. Sic sanè dubium erat apud Scævolum, an vit clarissimus hæres liberti consequi posset, ut illius hæres ea omnia, quæ jure proprio minimè habere potuisset, nec honestè habere poterat.

*Respondi deberi*) Tribus etenim legatario eo jam mortuo emi non poterat, ut testator jufferat: quod Accursius, & plerique censent, idque verè his rationibus, quas superiùs adduximus: nec liberti hæres eo legato indigebat, imò nec poterat, nisi quoad æstimationem, illud obtinere, quia clarissimus erat. Quòd si libertus hæredem reliquisset filium, qui commodè posset tribum consequi, & voluntas estatoris aliqua ex causa minimè refragaretur, hæredi foret emenda tribus, tamen à Jurisconsulto

hoc in loco non tractetur, an sit solvenda æstimationis, vel ipsa tribus præcisè emenda per hæredem patroni, cum emptio utilis foret hæredi liberti: sed illud tantum in controversiam incidit, an teneatur patroni hæres ad æstimationem, ubi tribus nec emi poterat, nec ejus emptio utilis erat hæredi liberti. Qua ratione Bart. fallitur, dum ¶ existimat patroni hæredem ad factum ex legato teneri, & ideo post mortem ad interesse, quia, ut inquit Cuman. solum deberetur tunc æstimatio tribus, non autem commoda, aliæque liberalitates, l. si calendis, ff. de re judic. l. fundum, ff. de novatio. & quia verè patroni hæres, si libertus viveret, cogi posset præcisè tribus emere, argumento deducto ex leg. fidei ommissa, §. ul. ff. de legat. 3. & ex his, quæ traduntur in l. stipulationis non dividuntur, ff. de verborum obligat. à Bart. & Alex. & Jac. n. 32. à quibus, & aliis frequentius receptum est teneri quem ad factum præcisè nec liberari præstando interesse, sive id quod interest, ubi ex ultima voluntate, & testatoris jussu teneretur facere.

*Commoda, & principales liberalitates.*) Nempe tessera frumentarias, nummarias, missilia, aliasque Reipublicæ & Principum largitiones. Nam sicut tessera frumentaria symbolum erat plumbeum, æreum, aut ligneum, cui inscripta erat nota, qua summa frumenti significabatur, sic & tessera nummaria idem symbolum erat cum nota summam accipiendæ pecuniæ significante, quod ex multis Suetonij locis lector facillimè poterit intelligere, & Xiphilino in Tito.

*Respondi, quidquid ipse consecutus esset.*) Nec tamen usuræ debentur æstimationis: cum sit satis æstimationem dari, & omnia illa commoda, quæ si statim mortuo testatore solutum esset legatum, vel emptum fuisset tribus, legatarius consecutus esset. Idem enim est, ac si ab initio data foret tribus æstimatio, & ideo ejus quantitatis usuræ non debentur, nec ut usuræ olim apud Ethnicos, nec apud Christianos ratione ejus, quod interest. Siquidem soluta quantitate quæ debetur, usuræ ab eo die minimè veniunt in condemnationem.

## CAPUT II.

## SUMMARIUM.

*Justiniani & Celsi Jurisconsulti responsa, de Hippocentauri stipulatione ex variis auctoribus examinantur.*

**I**ustinianus lib. 3. Institutionum, tit. de inutilibus stipulat. inutilem esse docuit stipulationem, qua id promittitur, quod natura esse non potest, veluti si quis Hippocentaurum fuerit stipulatus, qui natura quidem esse non potest. Idem Celsus respondit in leg. si ita stipulatus, ff. de verbor. obligat. quibus Cicero ad stipulatur in lib. 1. Tusculanarum, n. 142. *Qui enim, inquit, satis viderit id, quod est luce clarius, animo, & corpore consumpto, totoque animante deleto, & facto interitu universo, illud animal, quod fuerit, factum esse nihil: is planè perspicit, inter Hippocentaurum, qui numquam fuerit, & Regem Agamemnonem nihil interesse, nec pluris nunc facere M. Camillum hoc civile bellum, quam illo vivo ego fecerim Romam captam.* Idem Cicero lib. 1. de natura deorum, n. 145. *Nam si tantummodò ad cogitationem valent: nec habent ullam soliditatem, nec eminentiam, quid interest, urivem de Hippocentauris, an de eo cogitemus?* Idem lib. 2. numer. 7. *Etenim videmus ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim Hippocentaurum fuisse, aut Chimeram putat.* Xenophon lib. 4. de pædia Cyri, Chryfantam refert oratione quadam equites

laudasse, maximeque admiratum fuisse, fœlixque existimasse Hippocentaurum animal, si id usquam fuerit. Quo in loco sentit is auctor, animal hoc natura esse non posse. Idem ex Galen. in lib. 3. c. 1. de usu partium probare conatur Andreas Alciatus lib. 9. parerg. c. 13. D. August. lib. 18. de civitate Dei c. 13. de Centauris fabulam fuisse confictam scribit, quod equorum hominumque fuerit natura conjuncta. Hoc ipsum & Lucretius lib. 5. de natura rerum, ostendere videtur.

*Sed neque Centauri fuerant, nec tempore in ullo Esse queunt duplici natura, & corpore bino.*

Et rursus:

*Ne forè ex homine, & veterino semine equorum Conferri credas Centauros posse, nec esse.*

Sed hoc esse contra fidem historiarum asseverat Joa. Corasius lib. 3. Miscel. c. 2. ex eo, quod Plinius Veronensis lib. 7. cap. 3. Claudium Cæsarem scribat, memoriæ prodidisse Hippocentaurum in Thesalia natum, eodem die interiisse. Et nos, addit Plinius, principium ejus allatum illi ex Ægypto in melle vidimus. Cujus rei meminit & Phlegon Cæsaris libertus, idem & Trallianus in libello, de mirabilibus longævis. D. Hieronymus in vita Pauli Eremitæ, auctor est, Antonium Eremitam Hippocentaurum, & Satyrum in eremo vidisse. *Nec plura his, inquit, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio Poëtarum Hippocentauris vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontem. Es heus tu, inquit, quam in parie serpens Dei hic habitat? At ille barbarum nescio quid infrensens, & frangens potius verba, quam proloquens indicat iter. Et sic patentes campos volucris transmittens fuga ex oculis mirantis evanuit. Verùm hac urivem diabolus ad terrendum eum simulaverit, an ut solet, eremus monstruosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiam, incertum habemus, Stupens itaque Antonius, & de eo quod viderat secum volvens ulterius progreditur. Nec mora, inter saxosam convallem hand grandem homunculum videt aduncis naribus, fronto cornibus asperata, cujus extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractusque, & hoc Antonius spectaculo scutum fidei, & lorivam spei, ut bonus praliator arripuit. Nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad vitium un, quasi pacis obsoles offerrebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum & unus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrosque & incubos vocans colit. legatione fungor gregis mei, precamur ut pro nobis communem Deum deprecetis, quem pro salute mundi venisse cognovimus.*

Hæc Hieronymus. Sed & de Satyris, Plutarchus in Sylla scribit, propè Apolloniam captum à militibus Satyrum ad Syllam adductum, & quisnam esset per interpretes interrogatum, vix quidquam quod intelligi posset, pronunciasse, potiusque vocem asperam equi hinnitum, hircique balata permixtam emisisse, ab ipsoque Sylla fuisse dimissum. Sed & Satyros esse idem Plutarchus in Numa, Plinius lib. 7. cap. 21. & lib. 6. cap. 30. & lib. 8. cap. 54. Mela, & Solinus, Philostratus in Apollonio lib. 6. & plerique tradidere. Sed hæc, & quæ Pausanias de Satyrorum insula in Atticis scribit, fabulosa esse existimo, hisque similia, quæ Lucianus de veris narrationibus venustè quidem, & eleganter confinxerit. Illud tanè obervandam erit centauros propè Pelium Thesaliæ montem habitantes, primum equos aut subgisse, aut ad equitandum domuisse, auctor Diodoro Siculo lib. 5. Nam & Palaphatus lib. 1. incredibilium scribit, Ixionem regem,



gem, cum tauri præferoces Larissam, & eam Thessaliæ regionem vastarent, præmium proposuisse his, qui tauros arcerent. juvenesque è Nephelè pago equos mansuefactos conscendisse taurosque illos abegisse. Unde dicti fuere centaurs ἀπὸ τῆς κεντῶν τῆς κέντρος à pungendis quidem & stimulantis tauris, Idem ferè Servius in illud Virgilii lib. 3. Georgi-  
corum.

*Frena Pelethronii Lapytha, gyrosque dedere.*

Ex his dicti Hippocentauri, qui inter eos forent stimulantis & pungendis equis præstantissimi, quique arre equitandi reliquos centauros præcellerent. Etenim adnotavit Sophoclis interpret in *Ajace* apud Græcos dictionem istam ἵππος, in compositione magnum & eximium significare: qua ratione ἵππομανύ, hominem immanissimum, & maximè furentem: γνώμωνος magno & excelso præditum animo: ἵπποσίον, cum, qui inexplebiliter venerem consecratur, frequentissimè Græci interpretantur, ut indè par sit, Hippocentaurus dictos fuisse præclaros & eximios Centauros Sophocli interpreti præter alios consentit Suidas. Idem observat Aristophanis scholiastes in *Nebulis* & in *Ranis*. Aut sanè dicti fuere Hippocentauri equites præstantissimi, ἀπὸ τῆς ἵππος κεντῶν id est, à stimulantis equis. Quod apud Pindarum in *Pythiis hymno secundo* adnotarunt Scholiastæ. Nam & illic Pindarus, centaurum natum fuisse fabulatur ex conjunctione Ixionis cum nebula, quæ Græcè κεντῶν dicitur: Centaurum verò commistione Thessalicarum equarum genuisse animalia, quæ paulò antè diximus à veteribus dici Hippocentaurus. Interpret Appollonii Rhodii lib. 1. scribit, Saturnum transformatum in equum ex Philyra Oceani filia Chironem genuisse, qui ex eo dictus fuerit Hippocentaurus.

Ceterum quod divus Hieronymus scribit, quamvis & ipse hoc incertum esse existimet, potest commodè demonum illusionibus tribui. Nam & sancti viri cum tetris spiritibus congressum frequenter habuerunt, ab illisque diversis imaginibus, ac multiplici specie propriè sunt delusi. Quod passim veteres auctores tradidere; & ex junioribus Alexander ab Alexandro lib. 4. *diorum genial. cap. 19.* Sed divus Gregorius, delusionum quandoque in suis dialogis meminit lib. 4. *cap. 37. lib. 3. cap. 7. & cap. 16.*

NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

CAPUT II.

Quo in loco sentit is auctor, animal hoc natura esse non posse.

Ita quoque sentit Hammonius in lib. ἀπὸ ἐμπνεύσεως quod (inquit) possibile est & contingit aliquando esse ridiculum fuerit si quis dicat esse impossibile: repugnancia enim loquetur. Quod autem non possibile est neque esse contingit ut non possibile est, neque contingit Centauros esse; ergo impossibile est esse. &c. Chrylostom. etiam homil. 7. ad cap. 3. epistol. ad Colof. Hippocentaurus monstra esse ficta testatur: & Aristot. lib. 2. *Physic.* ait quod quemadmodum non invenitur planta quæ ex vite & olea composita vinum ac oleum producat, ita non invenitur animal ex homine & tauro conflatum. Scribit & Senec. epist. 58. In rerum natura quedam non sunt, hæc autem quæ non sunt rerum natura complectitur, quæ animo succurrunt, tanquam centauri gigantes, & quidquid aliud falsa coëctatione formatum, habere aliquam imaginem cepit, quamvis non habeat substantiam. Quin & Galen. loc.

Didaci Covarr. Tom. II.

ab Auctor. citat. superioribus assentitur, optimis, que d monstrat arg mentis absurdam atque impossibilem esse centaurorum procreationem: ex quibus illud non postremum est, substantiam hominis & equi permisceri non posse. Et quamquam interdum monstra quasi ex homine & bruto conflata videntur; talem tamen affirmat Aristot. lib. 4. *de generat. & corrupt.* cap. 3. verè non esse mixtionem: Jam, inquit, parum capite arietis, aut bovis referunt, idemque in cæteris membrum nominant animalis diversis, vitulum capite pueri, & ovem capite bovis natam asseverant, quæ omnia accidunt quidem causis supradictis: sed nihil ex his quæ nominant est, quamvis similitudo quadam genereatur, &c. Plura de his Hieron. Magius *Miscellaneor. lib. 1. cap. 20.*

Hippocentaurum in Thessalia natum, eodem die inventisse.

Constat monstruosos hujusmodi partus edi posse, exteriori quidem forma tenus, ut ex Aristotele & Galeno supra notatum est, non tamen naturæ commixtione. Præterea hujusmodi monstra vix vitam ferre, statim ac edita sunt, emori, quemadmodum rectè annotavit Servius ad verb. *Inferioribus*, ex illo Virgil. 6. *Æneid.*

Centauri in foribus stabulant Scylleque bifformes.

Adde quæ de Centauris copiosè scribit Natalis Comes lib. 7. *Mythologia*, unde primùm dicitur, qua causa, & quo victoriæ successit cum Lapethis pugnaverit, qua forma fuerint, & alia quæ fabulosè ab antiquitate conficta, mythologicè explicat idem Natalis.

CAPUT III.

SUMMARIUM.

Præfectus Calceatus apud Jurisconsultum quis sit intelligendus, & de militari calceamento.

Paulus lib. singulari de off. præf. vigil. c. 3. Sciendum est, inquit, præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum hamis & dolabris, ut curam adhibeant, omnes inquilinos admonere, ne negligentia aliqua incendij casus oriatur. Hæc Paulus. Quid sint hamæ, ex Plinio & Juvenali docuit Andreas Alciat. in lib. 4. & in *Inferri*, ff. de verb. signif. Calceatum præfectum multi adnotarunt dici à Jurisconsulto ex eo quod inter vestimenta militaria connumerentur & calceamenta apud Lampridium in Alexandro, & milites calceati apud eundem dicantur. Nos idem observavimus ex Flavio Vopisco in *Aureliani militari epistola* ad vicarium suum, quam operæ pretium me factuum existimo si adscripsero: Si vis tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine. Nemo nullum alienum rapiat. Ovem nemo contingat. Fvram nullus auferat. Segetem nemo deterat. Oleum, sal, lignum nemo exigat, annonæ sua contentus sit. De præda bestis, non de lacymis provincialium habeant. Arma versa sint, ferramenta samiata. Calceamenta foria vestis nova vestem veterem excludat. Stipendium in balteo, non in popina habeat. Torquem bractiale. & anulum apponat, equum sarnarium suum defrauet captum animal non vendat, mulum centuriarum comiter curet. Alter alteri quasi servus obsequatur à medicis gratis curentur. Aruspiciibus nihil dnt in hospitiis castè se agant: qui litm fecerit, vapulet. Hæc Aurelianus: apud quem fortia calceamenta, quæ fuerint, & qui fuerint Calcei militares, nemo, quod ipse sciam, huc

culque adnotavit; ramet si id constet ex Josepho, qui obiter hac de re *lib. 7. cap. 3. Latini codicis*, at Græci *lib. 6. c. 7. de bello Judaico*, Juliani militis insignem fortitudinem commemorans: inquit, *habens creberrimis atque acutis clavis, ut ceteri solent milites, fixos, dum strato saxeis crustis solo occurreret, labitur, magnoque cum armorum sono delectus in tergum fugientes reduxit.* Ex quibus sanè verbis intelliges quæ dixerit foris calceamenta Vopiscus. Eadem de Juliano scribit Egesippus *lib. 5. de excidio Hierosolymitano, cap. 30. Velut, inquit, hic Julianus, qui tergo imminet hostium dum alios perimit, & clastro coercet ipsa alacritate incautor, confixum clavis calceamentum gerens, usu militarium virorum: non consideravit potius lapide solum stratum, quod cavendum foret, sed quasi in campo praliaretur securus, labitur, & ingentem strage sua sonitum dedit.* Hac forsàn ratione Plautus in *captivis* dentes calceatos joco dixit, quasi ferro munitos, ut erant pedes militum calceati fortibus sanè calceamentis. Ergasilus parafitus de convivio.

*Numquam isthoc vinces me Agio, ne postules:  
Cum calceatis dentibus veniam tamen.*

Sic mulas calceare apud Suetonium in *Vespasiano cap. 23.* id est, ferreis soleis munire. Catullus ad Coloniam:

*Et supinam animam gravi derelinquere cæno,  
Ferream ut soleam tenaci in voragine mulam.*

Obiter tamen apud Vopiscum *ferramenta samiana*, intelliges mucronata & acuta, ex Nonio Marcello, qui testis est, verbum hoc *Samiare* apud veteres in hac significatione receptum fuisse. Apud Hieronymum in *epist. de Origenis erroribus*, calceati pedes, armati intelliguntur adversus serpentes.

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI I. C.

## CAPUT III.

## Oberrare Calceatum.

Ita Florent. & vulgat. Cod. legunt. Ait autem J. C. ob incendia restinguenda Præfectum vigiliam oberrare calceatum, non alia ratione, quàm ut calcei præsidio noctu securius ambulet per medios etiam ignes. Cuiac. *lib. 3. observat. cap. 30.* quibus urbem Romam obnoxiam fuisse ex historiis patet; hisque arcendis varios variis temporibus magistratus fuisse constitutos docet Briffon. *lib. 2. select. Antiq. c. 8.* Sunt tamen qui in *l. 3. §. sciendum, ff. de off. Præf. vig. Caligatum* legendum censent, à caliga quod pedum, non crurum indumentum fuisse tradit Joseph. Castalio *observat. decad. 2. c. 4.*

Cum hamis & dolabris.

Hamæ sive Amicæ instrumenta sunt grandiora, confixa longissimis contis, id est, longioribus; quibus ædificia incendij compescendi aut extinguendi causa disturbant, *loc. cit.* Plinius in *epistol. ad Trajan.* Turnebus verò *adversar. lib. 19. c. 3.* Hamam sumi vult pro vasis aquarum rotundioris formæ, & ventris globosioris, quibus ad extinguenda incendia uti solent. Quod minus huic loco convenire notavit D. Gothofred. *ad l. 3. & Briffon, d. cap. 8.* qui priorem interpretationem

propter adjunctam *dolabra* verbum probabiliorè credit. Quamquam apud Plautum in *Milite glorios.* & Columel. *lib. 10.* ita sumatur, ac de eo etiam intelligi videtur Juvenalis *Satyr. 14.*

--- *Misera est magni custodia census:  
Dispositis prædices hamis vigilare cohortem  
Servorum, noctu Licinus jubet.* --- Ubi tamen pro hamis, annis legit Joan. Britannicus.

## CAPUT IV.

## SUMMARIUM.

*Hadriani Caesaris rescriptum de Muliere pregnantè, ab Ægyptiorum & Græcorum legibus deductum fuisse.*

Pregnantis mulieris, quæ damnata sit, corporis pœnam differri quoad pariat; & eadem ratione nec eam torquendam esse respondit Ulpianus *lib. 14. & 37. ad Sabinum*, idque ex rescripto Hadriani ad Publium Marcellum in *leg. pregnantis, ff. de pœnis, & in leg. Imperator Hadrianus, ff. de statu. homin.* cujus responsi quamplures interpretationes & intellectus poterit lector ducere ex his, quæ utrobique à nostris tractantur, & à Gulielmo Benedicto in *c. Raynut. in verb. & sobolem, n. 60. de testam.* Hippol. Marfil. *in l. 1. in prin. n. 19. ff. de quest. & in practica §. nunc videndum, n. 49.* Matth. de Afflict. *in constit. Neapol. tit. 23. n. 11.* Quibus illud nec temerè addere libuit, quod Plutarch. *de sera numinis vindicta* scribit asseverans, hoc à Græcis quibusdam legislatoribus ab Ægyptiaca lege transcriptum fuisse. Ita enim inquit: *Ægyptiacam vero legem, quæ gravidam donec pariat, in mortis carcere custodire jubet, nonne Græcorum quidam consule vobis transcripsisse videntur?* Idem asseverat Diodorus Siculus *lib. 1.* Sed & Æliano auctore *lib. 5. de varia historia*, Atropagita cum fœminam quandam veneficij accusatam convictamque, mortis pœna damnate conticuisse, non prius eam occiderunt, quàm peperisset; ipsam matrem, quæ crimen commiserat, & quæ sola culpam contraxerat, punire volentes; infantem in utero, omni culpa immunem, ab eo mortis supplicio liberantes. Legis verò quæ apud Romanos erat, meminisse maxima cum laude Clemens Alexander & Philo *lib. 2. Stromatum, & Philo in lib. de charitate.*

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT IV.

Pregnantis mulieris quæ damnata sit, corporis pœnam differri quoad pariat.

Et ita Senatus Mediolanens. iussit servari in quadam Urina Melata capitaliter condemnata. Clar. *lib. 5. pract. crimin. §. final. qu. 97. nu. 5.* Et hoc locum habet non solum in pœna ultimi supplicij, sed etiam in quacumque alia pœna corporali; quemadmodum de fustigatione tradit Clar. *d. loc. & de mutilatione membrorum.* Menoch. *de arbitrar. iudic. lib. 1. qu. 86. num. 12. & 13.* ac de pœna relegationis, si verosimiliter causaretur aliquod periculum in partu, Gomez *variar. tom. 3. cap. 13. num. 37.* Nec interest an mulier tantum sit prægnans unius diei, nec etiam an in ipsa custodia ipsoque carcere prægnans facta sit, D. Gothofred. *ad leg. pregnantis 3. verb. pregnantis, ff. de pœn. licet ex adulterio dolose & fraudulenter evitanda pœna*

pœnæ causa. Gomez. *variar. resolut. tom 3. cap. 13. num. 37.* Baiard. *ad Clar. §. fin. d. quæst. 79. vers. differitur etiam*, eò quòd privilegium differendi supplicii, vel suspendendæ executionis, non sit causa mulieris sed causa partus.

Et eadem ratione nec eam torquendam esse respondit.

Accedit Iul. Clar. *lib. 5. practic. crim. qua. 64. n. 23.* ubi quoque tradit consuetudinem observare, quòd nec post partum editum mulier torqueri possit; nisi elapsis quadraginta diebus purgationis: & ita servari jussisse Senatum Mediolanens. in quadam Catharina Gatrona, quod etiam sequuntur Gomez *variar. resolut lib. 3. cap. 13. num. 37. versic. quæro tamen.* Prosp. Farinac. *in prax. crimin. lib. 5. tit. 5. quæst. 41. num. 77. & seqq.* Tradit idem Clar. *dict. loc. torturam in mulieribus lætantibus à Senatu dilatam fuisse.* In tantum autem mulier prægnans torqueri nequit, ut si torra confiteatur, talis confessio non subsistat. Notat Baiard. *ad Clar. d. qu. 64. num. 77.* ex Bald. *in d. l. Imperator, de stat. hom.*

### CAPUT V.

An olim apud veteres Furcarum supplicium fuerit in usu, & de crucis patibulo.

#### SUMMARIUM.

- 1 Furca quid significaverit apud Latinos.
- 2 Crucis supplicium an idem quod furca fuerit?
- 3 Littera T. supplicii nota.
- 4 Crucis supplicium à Constantino Magno abrogatum.
- 5 Crucis signum & character, olim salutationis nota, Hierographica significatione.
- 7 Furcarum erectio, capitalis & criminalis jurisdictionis signum.

**F** Amosos latrones in his locis, ubi grassati fuerint, furca figendos compluribus placuisse, testis est Calistratus iuriconsultus *lib. 6. de cognitionib. in l. capitalium, §. famosus, ff. de pœnis.* Ex cujus responso plerique adnotarunt quòd olim furcarum supplicium apud veteres fuisse frequentissimum, quorum opinioni suffragatur idem Calistratus *eadem leg. capitalium, in ejus initio, Summum, inquit, supplicium esse videtur in furcam damnatio.* Ulpianus item *in leg. sacrilegii, ff. ad legem Sul. peculat.* scribens, Proconsules sacrilegos quosdam in Furcam suspendisse. Eiusdem supplicii meminere Paulus *in leg. si quis aliquid, §. 1. ff. de pœnis.* Modestinus *in l. 3. §. is qui, ff. de re milit.* Titus Livius *lib. 3. Lex, inquit, horrendi criminis erat: Duumviri per duellionem judicent. Si à duumviris provocaverit, provocatione certato: si vincant, caput obnubito, infelici arbori recte suspenditio. verberato vel intra pomerium, vel extra pomerium.* Idem paulò inferiùs, eum sub furca vinctum in verbera & cruciatus videre potestis? Quo in loco infelicem arborem furcam dixit in qua quis ob crimen laqueo suspendatur. Plinius *verò lib. 16. cap. 26.* quæ dictæ fuerint infelices arbores explicat. Cicero. *in oratione pro C. Rabirio per duellionis reo: Namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant: Il ielor, colliga manus, quæ non modò hujus libertatis mansuetudinisque non sunt, sed ne Romuli quidem, aut Numa Pompilii, sed Tarquinii superbissimi atque crudelissimi Regis ista sunt cruciatus carmina, quæ tu homo lenis ac popularis libentissime commemoras: Caput obnubito arbori infelici suspenditio, quæ verba, Quirites, jam pridem in hac Republica non solum tenebris vetustatis, verum etiam luce libertatis oppressa sunt.* Hæc Cicero. Sed furcam veteres Latini appellarunt Lignum curticu-

li, cui super ficiebatur temo. Id dempto temone, fervorum, qui in familia deliquerant, humeris per viciniam circumferendum imponebatur contumeliæ causa, atque inde *furciferi* dicti auctore Plutarcho *in Mario Coriolano: & in problematis Romanis cap. 70.* Quo in loco & illud adjicit, Græcos nominare *σαυρόν*, Latinos furcam, cum in priori scripisset, à Græcis hoc lignum dici *στέργμα καὶ ἰσοςάτω.* Ex quo lector poterit intelligere quæ Macrobius tradit, *lib. 1. Saturnaliorum, c. 11. & repetit Lactantius Firmianus lib. 2. cap. 8.* qui servum sub furca ad supplicium duci dixit, quod Macrobius patibulo constructum dixerat. Arnobius *verò lib. 7. adversus Gentes* de eodem servo tractans, ad patibuli nunc, rursus ad crucis pœnas damnatum fuisse narrat Livius *lib. 2.* eandem historiam scribens sub furca casum dicit. Ex quo, & Dionysio *li. 7.* & Plutarcho, error est apud Macrobius in annis ab urbe condita. Illud forsitan placuit, furcam *σαυρόν* dici, quasi furcæ & crucis supplicium idem fuerit. At cruci affigebantur clavis nocentes, furca *verò* puniebantur laqueo suspensi, & id frequentius, licet non fuerit hoc discrimen exactè servatum. Cicero *lib. 5. de finibus*, ubi de infelici exitu Polycratis Samiorum tyranni dicit ita inquit, *Ne tum quidem, miser, cum ab Oroete prætoro Darii in crucem actus est.* De quo Herodotus *in Thalia* scribit *Ορότης ἀνεζαύρωσεν.* Oroetes cruci affixit. Euseb. *verò lib. 8. de preparat. Evangel. cap. 14.* de eodem Polycrate tractans dixit, *ὄπρως γὰρ βασιλέως ἐκολάζετο, & προσήλυτο.* id est, à Magno Rege puniuntur est, & cruci affixus. Iustinus *lib. 2. de Bomilcare Pœnorum Duce: Hoc, inquit, certaminis discriminis tanta desperatio illata Pœnis est, ut, nisi in exercitu Agathoclis orta seditio esset, transiret ad eum Bomilcar dux Pœnorum cum exercitu fuerit.* Ob quam noxam in medio foro à Pœnis patibulo suffixus est, ut idem locus monumentum suppliciorum ejus esset, qui ornamentum antefuerat honorum. Sed Bomilcar magno animo crudelitatem civium tulit, adeò ut de summa cruce veluti de tribunali, in Pœnorum scelera concionaretur, objectans illis, nunc Hannonem falsa affectati regni invidia circumventum, nunc Giskonis innocentis exilium, nunc Hamilcarem patrui suum tacita suffragia, quòd Agathoclem socium illis facere, quam hostem maluerit. Hæc cum in maxima populi concione vociferatus esset, expiravit. Hactenus. De cruce Reguli Silius *lib. 2.*

Vidi, cum robore pendens.

Hesperiam cruce sublimis spectabat ab alta.

Cicero *ultima in Verrem actione*, dum proclamas facinus indignum fuisse, Granium Romanum civem à Verre in crucem agi, ita inquit: *Quid enim attinuit, cum Mamertini more atque instiituo suo crucem fixissent post urbem in via Pompeja, te jubere in ea parte stare, quæ ad fretum spectaret, & hoc addere, quòd negare nullo modo potes, quòd omnibus audientibus dixisti palam, te idcirco illum locum dum deligere, ut ille qui se civem Romanum esse diceret ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset? Itaque illa crux sola, iudices, post conditam Messanam in loco fixa est: Italia conspectus ab isto delectus est, ut illo in dolore cruciatusque moriens, per angusto freto divisa servitutis ac libertatis jura cognosceret: Italia autem alumnus suum servitutis extremo summoque supplicio affixum videret.* Hæc Tullius. Hujus Granianæ crucis meminit Lactant. *lib. 4. divinarum institutionum cap. 18.* ubi falsò legitur Canniniana crux, cum potius sit ex Cicero Graniana Livius *lib. 10. decad. 3. De profugis gravius, quàm de fugitivis consultum.* Nominis Latini qui

erant, securi percussi, Romani in crucem sublatis sunt. Tranquillus in Galba cap. 9. Et eutorem, quod pupillum, cui substitutus haeres erat, veneno necasset, cruce affecit, implorantique leges, & civem Romanum se restituerent, quasi solatio & honore aliquo poenam levaturus mutari, multoque prater ceteras altiore, & dealbatam statui crucem iussit. Idem in Domitiano cap. 10. Item Hermogenem Tarsensem propter quasdam in historia figuras, librariis etiam qui eam descriperant crucifixum. Rursus cap. 11. Auctorem summarum pridie quam crucifigeret, in cubiculum vocavit, assidere in ebori iuxta coegit, securum hilaremque dimisit, patibus etiam de cena dignatus est. Lucanus lib. 6. agens de Erichthone maga, utriusque supplicii mentionem fecit, illius, inquam, quo laqueo furca suspensi pracluso spiritu pereunt, & quo in crucem acti clavis affixi occiduntur.

*Laqueum nodosque nocentis.*

*Ore suo rupit, pendentia corpora carpsit.*

*Abrasi que cruce, percussa que viscera nimbis*

*Vulsit, & incolas admissis sole medullas.*

*Inferum manus chalybem, nigramque per artus*

*Sullantis tibi saniem, virusque coactum*

*Sustulit, & nervo morsus retinente pependit.*

Tranquillus in Casare cap. 74. Sed & in ulciscendo natura lenissimus. Piratas, à quibus captus est, cum in deditionem redeisset, quoniam suffixurum se cruci ante juraverat, jugulari prius iussit, deinde suffigi. Quod Plutarchus in Casare dixit ἀνεσπούρωσεν, id est, cruci affixit; & in Apophthegmatis verbo à clavis deducto προσήλα elegantè significavit. Ex quibus locis apparet, crucis supplicium nimis crudele vel ex eo fuisse, quod foret lenta in eo mors. Isidorus lib. 5. Etymol. Patibulum, inquit, vulgò furca appellatur: sed patibulum minor poena quam crucis: nam patibulum appensos statim exanimat, crux autem diu excruciat. Divus Augustinus super Ioannem tractat. 31. Supplicium, inquit, crucis, idè durius cruciabat, & omnes crucifixi longa morte necabantur, tractat. 36. pendentés enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibusque confixi producta morte necabantur. Non enim crucifigi hoc erat occidi, sed diu videbatur in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. Genes. c. 40. Ioseph respondit pistorum magistro, tria canistra tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharaos caput tuum, ac suspendet te in cruce. Et rursus paulò post. Alterum suspendit in patibulo, ut veritas conjectoris probaretur, & cap. 41. Ego enim redditus sum officio meo, & ille suspensus est in cruce. Deuteron. c. 22. Quando peccaverit homo quod morte plebendum est, & ad iudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur, quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno. Iosue c. 8. Regem quoque ejus suspendit in patibulo usque ad vesperam & Solis occasum, praecipue Iosue, & deposuerunt cadaver ejus de cruce. Extat & de Aman affixo cruci, quam paraverat Mardocheo, historia Hester c. 5. 6. & 7. Seneca lib. 1. epistola. 7. Sed latrocinium fecit aliquis, quid ergo meruit? ut suspendatur. Ex quibus probatur, genus hoc supplicii, quo cruci innocentes affigebantur; & suspendebantur in ea, fuisse apud veteres frequentissimum, crucemque ipsam Græcè dictam σταυρόν. Idque evidentius erit ex Luciano in dialogo, cui titulus, iudicium vocalium. Qui finxit elegantè, litteram T. ut furem, & aliena invadentem, littera S. ex multis dictionibus expulsa, dignam videri quæ in id ageretur supplicium, quod ipsius exprimeret figura nempe crucem, quæ quidem absque ipsius nocentis suspensio corpore, sit omaino littera T.

similis. Ut obiter admoneam nihil ad hanc rem pertinere, quod Ludovicus Cælius lib. 70. Lectio. æt. cap. 8. adnotavit de litera longa, quæ ad similitudinem T. figeretur: Quoniam is, inquit, qui pendet laqueo suspensus, eam planè reddit imaginem suspendio, si desumto obtinente vicem linea ex superiori parte in unum producta: trabs verò unde laqueus desinat, transversam portionem fingere videatur. Nam utcumque id sit, & adnotari possit ad Plautinos de littera longa sales, quod lector poterit facilius expendere, ad crucis imaginem, quæ ex littera T. à Luciano doctissime traditur, nihil opus est ipsius suspensi cadavere, cum & sine ipso T. crux ipsam imaginem T. referat graphicè. Erat etenim hac ratione apud veteres Tau, atque idè T. Latinum, supplicii nota, auctore Quintiliano libro octavo, capite tertio. Sed furcis nocentes affixos olim fuisse subindicat Calistratus in diel. §. famosos. Plinius lib. 29. cap. 4. Eadem, inquit, de causa supplicia annuæ eantes pendunt inter Adem Iuventutis, & Summanò vivi in furcas sambuceæ arbore fixi. Ut tandem ratione communis frequentissimi supplicii possimus conjectura quandoque crucem dictam supplicium illud, quo suspensi pracluso spiritu occidebantur, ac deinde furcam, veteres quandoque appellasse crucem cui affigebantur nocentes. Nam Suidas scribit διδυμον ἔυλον dici Latine furcam, cum illud dici etiam crux verè possit, cum sit unum lignum alteri connexum. His aditipulatur, quod cruce non unius generis erant, sed aliter ab aliis fabricantur. Sunt etenim qui capite in terram converso suspendebant, alii per obscena stipitem agunt, alii brachia patibulo explicuerunt, sicuti ex Seneca observavit Lud. Cælius in diel. c. 9. tametsi ex propria verborum significatione illud sit verius, & frequentiori usui conveniat magis crucem dictam fuisse patibulum cui nocentes expansis brachiis, & clavis affixi, occidebantur. Eusebius martyrium Petri Apostoli enarrans lib. 3. de Eccles. histor. cap. 1. scribit: ὡς ἐπὶ τέλει ἐν ῥάμῃ ἡρόδημος ἀνασπολιώθη καὶ κεφαλῆς, ἕως αὐτὸς ἀξιώσας παθεῖν. Id est, Petrus tandem Romæ existens in crucem actus est, pedibus sursum versus sublatis aut, capite in terram verso, & in sublime pedibus elevatis ex Hieronymo in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum: vel, in versis vestigia cruci affixus, ex Ambrosio, qui Egisippum è Græco in Latinum transtulit; lib. 3. de excidio Hierosolymitano, cap. 2. Idque martyrii genus idem Petrus petierat, quod se indignum putaret, qui itidem ut magister suus, recto corporis statu pateretur. Quod sensit Eusebius, & palàm exponit Nicephorus lib. 2. cap. 36. idem Eusebius lib. 8. de histor. Eccles. cap. 8. de martyribus agens, inquit: καὶ ἄλλοι πάλιν ἀνασπολιώθητες, οἱ μὲν καὶ τὸ εὐνήδες τοῖς κακέρχοις οἱ δὲ καὶ χειρῶν ἀνάσπαλιν κατὰ κάραι προσηλωθέντες πηρέμενοι τε καὶ ζῶντες, εἰσὶ τε καὶ ἔσθ' αὐτῶν ἱκελιῶν λιμῶν ἐσθραπέειν. Quæ Latinus Nicephori interpret lib. 8. cap. 8. ita Latine tractat: Et alii quidem eodem, quo malefici modo, supplicio affecti, alij autem inversis pedibus, videlicet in sublime sublatis, vitam diu breviterque traxerunt, donec in cruce ipsa ita suffixi, fame perierunt. Græcis tanè verba hæc, ἀνασπούρω, προσηλώω & ἀνασπολιώω, peculiaria sunt in ea significatione, qua Latini crucifigere, patibulo affigere dicunt. Herodianus lib. 5. historia, συνοφάντατε, καὶ δόλοι, οἱσι δεσπότης κατηγγελλον, ἀνασπολιώθησαν. Calumniatores, & servi quicumque dominos denunciaverant, patibulo affixi fuerunt. Nam & auctore Suida, σιλόφ, palus erat præacutus, cui nocentes affigebantur, qua tandem dictione Christi crux fuit significata Apollinis Milesii responso, cuius meminit Lactantius Firmianus lib. 4. cap. 13. Sed & idem Suidas scribit, crucem

aut patibulum Græcè dici *ινελον*, & inquit, *ινελον* *ινελον* τον σωτηρα προσηλωσαν. *Cruci Salvatorem Judæi affixerunt.* Addit idem auctor, solemne fuisse apud Athenienses ex lege, ut cenotaphiis & sepulchris imaginariis eorum, qui in exilio, aliave calamitate mortui forent extra patriam, nec Atheniensi in agro sepulti crux apponeretur lignea, in signum illius calamitatis. Quod de Thucididis sepulchro quidam referunt, auctore Marcellino in *ejus vita.* Ex quo Suidæ locus fortassis vitio typographorum depravatus, illustratur. Hinc observari poterit interpretatio legis, quæ à Constantino ad Maximum P. urbis lata est, de *crim. les. majest. lib. 6. Codicis Theodos. tit. 5. cujus duæ priores partes referuntur in Codice Justiniani, l. 3. Cod. ad leg. Jul. majest. tertia, & ultima parte omiſſa. Cujus hæc est decisio. In servis quoque vel libertis, qui dominos aut patronos accusare aut deserere tentaverint, professio tam atrocis audacia statim in admisso ipsius exordio per sententiam judicis comprimatur, ac denegata audientia patibulo adſignatur. PP. Kal. Jan. Volusiano & Anniano Coss.*

Laquei verò supplicium quàm sit & fuerit ignominiosum atque idè nobiles minimè eo plectendos fore, obiter ipse adnotavi *lib. 2. Variarum Resolutionum, cap. 9. nu. 4. nisi famosi latrones, aut grassatores fuerint. Eadem ratione crucis pœna ante Jesu Dei optimi maximi passionem ubique locorum infamis erat, & fuit quidem apud Gentiles adhuc post Redemptoris mortem, quod Lactantius Firmianus lib. 4. divin. Institut. cap. 26. in hunc modum explicat: Dicat enim fortasse aliquis. Cur, si Deus fuerit, & mori voluerit, non saltem aliquo honesto mortis genere affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicij? Quod etiam homini libero, quamvis nocenti, videatur indignum. Id ipsum priùs explicuerat Arnob. lib. 1. adversus Gentes. Idem tradit Tertullian. lib. 3. adversus Marcionem. Divus Augustinus de verbis Domini, secundum Mattheum serm. 18. Si genus, inquit, mortis exhorrescit infirmitas, nihil illo tempore fuit ignominiosius, quam mors crucis. Non enim frustra commendans ejus obedientiam Apostolus addidit, dicens factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Sed quia ipse honoratus erat fideles suos in fine hujus seculi, prius honoravit crucem in hoc seculo, ut terrarum Principes credentes in eum, prohiberent aliquem nocentium crucifigi. Hæc Augustinus, & his similia rursus sermone primo in feria sexta Parasceves, & Chrysostomus super Paulum ad Philippenses cap. 2. quin & Jurisconsultus in leg. liberorum, §. non solent, ff. de his, qui not. infam. inquit, Non solent lugeri suspendiosi. Verùm post Jesu Christi mortem adeò venerandum, tantæque majestatis fuit crucis patibulum, ut Divus Petrus omnino recusaverit eodem modo, quo suus magister, id subite supplicium: quemadmodum paulò antè ex historicis observavimus. † Sed Constantinus Magnus, qui signo & vexillo crucis ferocissimos potentissimosque hostes debellavit, & evertit, lege lata constituit, ne quis crucis supplicio, quod frequentissimum tunc erat, puniretur: idque ob sanctissimæ crucis venerationem: sicut tradidit Cassiodorus lib. 1. Historiarum tripart. c. 10. Sozomenus lib. 1. Ecclesiast. hist. cap. 8. Nicephorus lib. 7. cap. 46. Caterùm ante Christi passionem crux, signumq; crucis maximæ fuit significationis. Nam & Ruffinus lib. 11. histor. Eccles. testatur, cap. 29. apud Ægyptios significatione Hieroglyphica vitam & futuram salutationem significasse. Etenim cum Serapidis templum solo æquaretur, & † Hieroglyphicæ quæ dicuntur formæ characteres signo crucis per similes apparuissent saxis incisæ eorumdem litterarum interpretandarum periti, characterem sub crucis forma vitam futuram significare dixerunt: auctoribus Socrate lib. 5. cap. 17. Sozomeno lib. 7. cap. 15. Nicephoro lib. 21. cap. 26. & Suida in dictione σωπός.*

Ezechielis cap. 9. signum Tau, quod Græcè & Latine litteram T. explicat, & præsignat, ut salutationis signum apponitur, quod illic Divus Hieronymus & Tertullianus lib. adversus Judæos, cap. de vastatione Israelis, & lib. 3. adversus Marcionem adnotarunt illud observantes, eandem litteram signum crucis significasse. Idem Augustinus in *Judicium historiam lib. 7. cap. 36. & Ambrosius de Abraham cap. 3. lib. 1. & de Joseph. cap. 13. Sed & eandem litteram Hebraicè constat signum crucis representare, non equidem juxta characteres quibus hodie utuntur Hebræi, sed quibus veteres, & Hieronymi sæculo Samaritani utebantur. Plura de crucis signo, Justinus Martyr. in orat. 2. pro Christianis. Quo in loco pag. 13. versum illum Psalm. 95. Dicite gentibus, quia Dominus regnavit, ita legit, Letamini in Gentibus, Dominus post lignum regalem potestatem habuit. Idem Iustinus in dialogo cum Tryphone pag. 57. legit, Dicite in nationibus, Dominus à ligno regnavit. Divus item Cyprianus in tract. de Syna, & Sion. adversus Judæos ex Davidis Psalm. 95. retulit, Annunciate regnum Dei in gentibus, quia Dominus regnavit de ligno. Ambr. in epist. 1. ad Corinth. cap. 15. August. in dict. Psalm. 95. atque Tertullian. in d. lib. adversus Marcionem, & lib. adversus Judam, non semel eisdem verbis ex Psalmis utitur. Quam lectionem agnoscit auctor ille, quisque is est, qui hymnum passionis, quo Ecclesia utitur, scripsit, inquit enim:*

Impleta sunt quæ concinit  
David fideli carmine,  
Dicens: In nationibus  
Regnavit à ligno Deus.

Quod obiter adnotare volui, quia locus hic insignis est, & non facile quis poterit locum signare, ubi David dixerit, quod Ecclesia ex ore prophetico canit. Siquidem Justinus ipse testatur, verba illa: à ligno fuisse detracta ab Hebræis ex Psalmo, quod palam passionem Christi prædiceret divinus ille Psautes. Sed & Faber Stapulensis in *Psalmos*, asseverat, in Psalmodia Romana legi versiculum prædicti Psalmi: Dicite in nationibus, regnavit à ligno Deus: tamen existimet ipse, verba illa, à ligno, paraphrasticè addita fuisse.

Furcarum autem erectio † signum est, & id maximum, criminalis capitalisque jurisdictionis, quod satis probatur, ex Jurisconsulto in d. §. famosos, & aliis plerisque locis, in quibus de furcarum supplicio Jurisconsulti meminere, idque Baldus censet in c. 1. quid sit invest. in feudis, nu. 6. quem sequitur Chassanæus in *consuetudinibus Burgundia. rubr. 1. §. 8. idem repetit Bal. in leg. à procuratore, Codic. mandati.* Potest enim, qui criminalem in aliquo loco habet jurisdictionem, furca erigere ad pœnarum executionem, criminumque punitionem. Quin & id agere poterit, qui cognitionem habet harum causarum criminalium, simul & executionem, licet qui in eodem loco tantum cognitionem, habet, earum erectionem prohibere velit, auctore Oldrado *conf. 6. probatque Andr. Alciat. lib. 9. Parerg. cap. 24. erectione furcarum jurisdictionis capitalis, & meri imperij quasi possessionem acquiri & retineri. Quod passim in his controversiis, quæ de criminalis jurisdictionis usu tractantur, observari diligentissimè solet ab Advocatis, & judicibus, qui ea de re sententiam sunt pronunciaturi.*

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI J. C.  
CAPUT V.

## Numer. 1.

Apud veteres fuisse frequentissimum?

Iust. Lips. lib. 1. de cruce, cap. 11. ubi quàm-  
plurimos in cruce actos recenset, nonnullos etiam  
refert Brisson. de Regio Persar. Principat. lib. 2  
fol. mibi 21.

## Cruciatu carmina.

Carmen hoc etiam canebatur; Verbera intra aut  
extra pomerium. Nam flagellatio cruce regulariter  
antecedebat, cui succinebant; Arbori infelici sus-  
pendito. Iust. Lips. lib. 2. de Cruce, c. 2.

## Numer. 3.

Cruces ipsam imaginem, T, referebat graphicè.

Vide Iacobum Gretser. de Cruce, tom. 1. part. 1.  
lib. 1. cap. 1.

Quod cruce non unius generis erant.

Varias cruceum & furcarum figuras cum iconibus  
suis tradit Lips. lib. 1. de Cruce cap. 5. 6. 7. 8. & 9.  
ubi cap. seq. arbitratur & pronunciat Christum mor-  
tem tulisse in cruce immissa, quam precedenti c. 9.  
describit, ut & lib. cap. 4. cum aliquot seqq. Probat  
& sequitur Gretser. diel. tom. 1. lib. 1. c. 3.Versic. Laquei verò.  
Infamis erat & fuit.Quod plus satis indicat Tullius pro Rabirio; Mi-  
sera est ignominia iudiciorum publicorum, misera muta-  
tio bonorum, miserum exilium: Sed tamen in omni ca-  
lamitate retinetur aliquod vestigium libertatis: mors de-  
nique si proponitur in libertate, moriamur. Carnifex  
verò & obductio capitis, & nomen ipsum cruce absit non  
modo à corpore civium Romanorum, sed etiam à cogitatio-  
ne, oculis, auribus: harum enim omnium rerum non solum  
eventus atque perperio, sed etiam conditio, expectatio,  
mentio denique indigna civi Romano atque homine li-  
bero est. Itaque ritu Romano vix receptæ cruce nisi  
in homines viliores, atque apud eos servorum ferè  
hoc supplicium fuit aut plebeiorum, qui juxta servos;  
quamquam interdum liberè & laxè cruce vagata sit.  
Iust. Lips. d. lib. 1. cap. 12. 13. & 15. Plura autem de  
infami cruce supplicio vide apud Gretser. d. tom. 1.  
part. 1. lib. 1. cap. 18.

## Cur potissimum cruce.

Causas cum ex parte Iudæorum, tunc ex parte  
ipsius Christi cur fuerit crucifixus tradit Gretser. d. l.  
1. c. 41. & 42.

## Numer. 4.

Ne quis cruce supplicio, quod frequentissimum  
tunc erat, puniatur.

Iust. Lips. lib. 3. de Cruce, cap. 14.

## Numer. 5.

His quæ hoc num. quinto traduntur videndus  
Lips. de Cruce lib. 1. c. 8. Item Gretser. d. lib. 1. cap.  
43. & aliquot, seqq.Plura de Cruce, præsertim de pœnis, quæ tunc  
cruce præcedebant, tum in eadem infligebantur,  
tum quæ eam secutæ sunt. Iust. Lips. lib. 2. c. 5. &  
aliquot seqq. & lib. 3. c. 10. & 11. Quis deinde mo-  
dus & ordo in fixatione servatus sit, tradit idem Lips.  
d. lib. 2. c. 7. 8. 9. & 10. Universè & plenè quæ ad  
materiam cruce attinent, vide apud Gretser. in d.  
suo tract. de Cruce.

## CAPUT VI.

## SUMMARIUM.

An liceat conductoribus à conductis migrare domibus,  
ex eo quòd tectis Imaginibus, nocturnis illusionibus  
& tumultibus inquietentur.

Posse conductores habitatoresque timoris causa mi-  
grare si justus sit periculi timor, quamvis pe-  
riculum verè non fuerit, ab ejus temporis merce-  
de liberos, quo domum non habitaverint, respondit  
Alphenus lib. 2. digestorum. l. habitatores. §. ult. ff.  
locat. ex quo loco, & aliis huic similibus multa scri-  
bit Franc. à Ripa in tract. de peste. part. 2. n. 17.  
Cæterùm vidi semel atque iterum in hoc regio &  
Granatensi prætorio controversum, an hoc Juriscon-  
sulti responsum obtineret in his habitatoribus, qui  
ex eo migraverint, quod evidentissimis ostentis,  
tectis imaginibus assiduisque umbrarum illusionibus,  
& nocturnis tumultibus, singulis noctibus & quan-  
doque diebus, inquietentur. Vix poterant hæc non  
fabulosa aut commentitia à iudicibus censerì, nisi  
tot testibus integris, ac fide dignis forent planè pro-  
bata: & idè in eam itum est sententiam, ut li-  
ceret habitatoribus migrare, liberos omnino ex eo  
die à mercedis solutione, juxta ipsius Alpheni  
sententiam, quod & Christophoro placuit in §.  
ult. Insti. de locatione. Sed & Romæ ædes quasdam  
hoc nomine ita infames fuisse, ut nemo illas inco-  
lere fuerit ausus, uti rem notam & vulgatam com-  
memorat Alexander ab Alexandro lib. 5. dierum ge-  
nialium, c. 23. D. Gregorius lib. 3. dialogorum cap.  
4. memoriæ tradidit, Darium Mediolanensem  
Episcopum, quum Cotinthum accessisset domum-  
que ad habitandum vix inveniret: essetque in ea  
urbe domus multis jam annis habitatoribus vacua  
& deserta, quod ejusdem loci incolæ minimè ha-  
bitare in ea auderent propter dæmonis illusiones,  
varia spectra, & quia illic diabolus habitaret; eam  
domum ingressum, intempestaque nocte, vocibus  
immensis, magnisque clamoribus leonum rugitus,  
balatus pecorum, sibilos serpentum, & porcorum  
grunnitus imitantibus, vexatum, dæmonem illum  
divinis vocibus allocutum, tandem domo expulisse,  
eamque postmodum tuò, & absque illarum illusio-  
num timore habitam fuisse. Lucianus in dialogo  
Philopseude ex enarratione Arignoti cujusdam, licet  
cum inter mendacissimos connumeraverit, tradit, Co-  
rinthi domum quandam habuisse Eubadem, in qua  
nemo auderet habitare ex ea causa habitatores spectris  
quibusdam territi à dæmone quodam ita infestaren-  
tur, ut eam præ nimio timore & periculo rursus in-  
gredi non fuerint ausi, donec ipse Arignotus Pithago-  
ricus Magicis & Ægyptiis quibusdam carminibus  
dæmonem illum in locum quemdam detruserit, à  
quo primum exierat, Arignotum variis imagini-  
bus territare conatus, quandoque ut canis, nunc ut  
leo, vel taurus ipsum invadens: quo quidem loco  
die sequenti defosso corpus hominis mortui reper-  
tum

Sum est, eoque alibi sepulto, domus illa his illusionibus libera, tunc deinde ac quiete habitatores habuerit. Ceterum, licet quandoque, ac fortassis frequentius, falsa sint, posse tamen contingere minimè negaverim; quippe qui legerim apud plerosque auctores probatissimæ fidei, demones nihil operari secundum naturæ potentiam posse, quia & ipsa angelica creatura est, quamvis sit proprio vitio maligna; nisi quod Deus permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, injuncta nulla. quod D. Augustinus tractat in *lib. 18. de civitat. Dei, cap. 8. D. Gregorius lib. 3. dialogor. cap. 31.* Scribit ad hæc D. Thomas *part. 1. qu. 114. art. 1.* quandoque demones mitti à Deo ad puniendos homines, sicut missus fuit spiritus mendax ad puniendum Achab. *3. Reg. cap. ult. & id fieri secundum divinam justitiam propter peccata, tametsi dæmon tunc puniat, territet & infestet homines ex odio & invidia.* Quandoque verò ipsi demones, ut idem S. Thomas tradit, non equidem missi à Deo sed permissione divina, occulta sanè nobis ratione, homines tentant frequenter instigando ad peccatum, aut ipsos territant & illudunt variis imaginibus tetriusque figuris, atque innumeris illusionibus. Neque his tantum homines scelesti torquentur modis, sed & viri sanctitate vitæ, & adhuc miraculis illustres, quod nos superius admo- nuimus *cap. 2.* Non enim est apud Theologos controversum, demones hanc potestatem ex Dei permissione habere, ex Paulo *ad Ephesos cap. 6.* Tractaverunt sententiarum Magister *lib. 2. distinct. 11. S. Thomas in d. quest. 114. art. 4.* textus optimus in *cap. Episcopi. 29. quest. 5.* Auctor is, qui malleum maleficium edidit, & alij qui de veneficiis & sortilegiis scripsere, ac præ cæteris Franciscus à Victoria, qui Salmanticæ miro omnium applausu publica lectione, & animi candore in maximam Reipublicæ Christianæ utilitatem Theologiam docuit in *relezione de Magia.* Sed & Ethnici auctores ex arcanis philosophiæ decretis hoc ipsum de demonibus adversus Aristotelem sensere quidam, & quandoque palam ac manifestè professi sunt, sicut ex eis eruditè id probat Augustinus Eugubinus *lib. 8. de perenni philosophia, à c. 26. ad ultimum illius libri caput.* Nec miram, hæc præstigias, spectra & illusiones aliquot in locis, non in aliis, contingere, atque idè locis, non personis quandoque accidere: sunt enim ex occulto Dei iudicio, non equidem iudicanda ab hominibus, sed religiosè ac piè præcavenda. Scimus etenim Dei maximi permissione hæc fieri, causam verò, ne temerè iudicemus, minimè inquirimus. Temesam Locrensiem in Italia urbem à genio quodam adèd vexatam fuisse constat, ut Temesenses, quò eam pestem effugerent, sæpè patriam relinquere cogitaverint, donec responso Apollinis accepto, placare dæmonem illum iussi sunt unius virginis annua oblatione, quam in templo genio illi dicato devovebant, tandem Euthymi cuiusdam animo & fortitudine genius ille malus devictus, fœdissima calamitate liberam urbem illam relinquens ex agro excesserit. Causa verò ab historicis gentilibus ea traditur, quod Ulyssis socius quem Strabo Politem, Pausanias Libantem appellant, virgine quadam per vim violata, ab ipsis Temesensibus in pœnam fuerit lapidibus obrutus, ejusque manes finem nullum sciendi in cuiuslibet ætatis homines in eo agro fecerint: unde natum proverbium est, ut diceret cavendum, ne Temesens genius immineret, cuius rei mentio fit à Pausanias *Hellicorum posteriori. Eliano lib. 8. de varia histor. Strabone lib. 6. & Leonico, lib. 1. de varia historia, cap. 42.* Sed & Plinius *lib. 7. epistola ad suram,* hæc de re multa commemorat, præsertim scribit, Athenis domum quandam fuisse spatiosam, pestilentem tamen & infamem,

quod per silentium noctis, sonus ferri, & strepitus vinculorum, longius primò, deinde proximè reddebatur, mox apparebat Idolon, senex macie & squalore confectus, promissa barba, horrenti capillo, qui cruribus compedes, manibus catenas gerebat quæque quæque; deinde inhabitantibus tristes diræque noctes per metum vigilabantur. Narrat deinde domum illam ad solitudinem damnatam, totamque illi monstro relictam; proscriptam tamen, seu quis emere, seu quis conducere ignarus tanti mali veller, publicè fuisse; & nihilominus Athenodorum philosophum, etsi suspecta vilitas pretij esset, omniaque domus vitia comperta haberet, eam conduxisse, noctisque silentio animo ad scribendum intento imaginem illam vidisse, minimèque ea territam, imò ab ea vocatum, illam secutum fuisse, donec in aream domus dilapsa deseruit comitem, desertum philosophum signum loco posuisse, posteroque die magistratum adisse, defossoque ejus mandato loco inventa esse implicita & inserta catenis ossa, quæ corpus ævo terraque putrefactum nuda & exesa reliquerat; quibus denique ossibus collectis, & publicè sepultis, domum postea, ritè conditis manibus, spectris illis & terroribus caruisse. Hæc Plinius.

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT VI.

Utliceret habitatoribus migrare liberos omnino. Et hæc de causa Ludovicum Sanctonium in Curia Parisiensi remissionem pensionis clienti impetrasse refert Gothofr. *ad l. habitatores ab Auctore cit. §. iterum. verb. si quis timoris.* Quod tamen ita moderari convenit, si tempore contractus malos spiritus in domo versari ignoraverit conductor, *argum. l. 2. §. si quis tamen. ff. quis caus.* Cui consentaneum est, pensionis remissionem non mereri eum qui prædia conduxit cum bellum immineret Roland. à Vall. *conf. 9. n. 25. l. 1. & conf. 52. n. 28. vol. 2. Caroc. tract. locat. & conduct. part. 3. tit. de remissione mercedis, n. 43. Sylvan. conf. 41. n. 29.* Nec solum spectrorum apparitio justam migrandi causam præbet, verum etiam justus metus, eò quod spiritus in conductis ædibus dicantur vagari. text. in *d. §. iterum.* & ibi Gothofr. *Caroc. d. tit. de remissione mercedis, n. 46. & 42.* Ludovic. Charond. tamen. *lib. 7. disp. 232.* nequaquam putat jure Romano vel Gallico spectra justam causam rescissionis contractus præbere & se respondisse & judicasse, & hoc curiam fiduciarie seu per modum provisionis securam esse scribit, idque Senatus Paris. quoque probavit, referente Choppin. *lib. 2. c. 7. de Sacra Politia. n. 10. 11. & 12.* ubi quætionem hanc plenius examinat. Quorum decisiones non sine scrupulo videntur, maximè cum spectra qualiacumque sint, justam timoris causam dent, adèdque habitationem valdè incommodam reddant, & omnibus (licet leones, ut ajunt, spectra non metuant) non sit talis fortitudo animi, ut illa sine ingenti perturbatione possint ferre atque aternari.

Ex eo die à mercedis solutione.

Siquidem domino recessum suum denunciaverint; aliàs enim ad integram pensionem mercedis conductores tenentur *Ruin. concil. 227. in fi. lib. Quod etiam in simili respondit Charond. lib. 6. Resp. 76.* ibi conductor cum familia domum ob pestem deseruerat relictis in ea suis mobilibus, nec restituta clave. *Accedit Caroc. d. tit. de remiss. merced. n. 47.*

Et sicut Thom. Gramma. in *Addit. ad Afflic. decis.*  
N. ap. 258. lit. B.

Cæterum licet quandoque ac fortasse frequentius  
falsa sint, posse tamen contingere.

Spectra esse producit Auctores Christiani &  
E hanc citati à Gothofr. ad l. *habitatores. §. fin.*  
*ff. locat.* Variis etiam cum exemplis, tum infesta-  
tionibus Caracallæ, Getæ, Cloicles, Dionis,  
Bruti, Tiberij Gracchi, Symmachij, Boëcij, O-  
rthonis, Zonaræ, & aliorum id confirmatur, de  
quibus licet Lud. Charond. *decis. lib. 7. Respons.*  
232. Zuinger, in *Theatr. vita humana vol. 3. lib.*  
*6. titul. de servit. folio 788.* Thiazus de *loc. infest.*  
*part. 1. cap. 1.* ubi & *cap. & part. seqq.* agit de cau-  
sis cur spectra certa loca infestent. Item quinam præ  
cæteris spirituum molestis & insultibus ex-  
ositi sint: De generibus eorum, an viventibus ad-  
sint *ἀδύρτοι*, vel *ἐρεπώδηροι*: Cur noctu potius quam  
intē die spectra molestant: quibus denique reme-  
diis profligari possint: præter multa alia quæ ad hanc  
materiam spectant.

## CAPUT VII.

## SUMMARIUM.

De Nisibi urbe, & an dicta fuerit Antiochia à vete-  
ribus auctoribus.

Andreas Alciatus in *librum Codicis 11. tit. de*  
*pasquis public. & priv. cum Antiochiæ ur-*  
*bis celebratissimæ meminisset constanter ab his di-*  
*scedit ac dissentit, qui Antiochiam dictam fuisse*  
*Nisibin quandoque existimarunt, cum Ammia-*  
*ni Marcellini testimonio libro 14. constet, Nisi in*  
*urbem maximè distare ac distare ab Antiochia.*  
Nos verò miramur, vicum aliqui diligentissimum,  
varia lectione, & Juris civilis disciplina illustrem,  
non satis diligenter rem istam, quam obiter for-  
tassis tractabat, expendisse. Scimus enim Antio-  
chiam Syriæ urbem, quæ Epidaphne dicitur, & O-  
ronte fluvio adluitur, quæque maximè celebris o-  
lim fuit, atque aded insignis, ut ab ea dicta sit  
Antiochena Syria, aliam esse, ac procul distare à  
Nisibi urbe, quæ in Persarum confinibus sita erat:  
quæque Mygdonio fluvio secabatur, quod passim  
apud auctores poterit lector observare, præsertim  
Plinium *lib. 5. cap. 21.* Strabonem *lib. 16.* Corne-  
lium Tacitum *libro 15.* Julium Capitolinum in *Gor-*  
*diano juniore*, Xiphilnum in *Severo*, & alios  
quorum statim mentionem faciemus. Illud tamen  
est omnino adnotandum, Nisibin istam apud vete-  
res etiam dictam fuisse Antiochiam, ut tandem  
minimè etraverint, qui hoc verum esse existima-  
vunt, quippe qui de Nisibi urbe Mygdoniæ, non  
de Antiochia Syriæ, intellexerint. Quod Antio-  
chiam Syriæ dictam fuisse Nisibin opinati sunt, quod  
ipse minimè credam, manifesti erroris notari po-  
tuerunt, & jure. Sed Nisibin urbem Mygdoniæ  
dictam fuisse Antiochiam probatur ex Plinio *libro*  
*16. cap. 13.* Strabone *libro 16.* Plutarcho in *Lucullo*,  
qui magnæ urbis meminit, quæ à Barbaris Nisibis,  
à Græcis Antiochia Mygdonica dicta fuerit. Idem  
tradere Theodoretus *lib. 1. Ecclesiast. histor. cap.*  
*7.* Idem *lib. 5. cap. 30.* Nicephorus *lib. 8. cap. 14.*  
& *lib. 19. cap. 28.* rursus idem auctor *lib. 14. cap.*  
*21.* meminit & Polybius *lib. 5.* Antiochiæ quæ in  
Mygdonia erat. Tametsi Nicolaus Perottus ejus  
intēpres, non satis eum locum intellexerit: Scri-  
bit & ad hæc Joseph. *lib. ult. Antiq. cap. 2.* Ar-  
tabanum Persarum Regem dono dedisse Izari Adia-

benorum Regi Armeniæ partem & agrum qui dis-  
tus sit Nisibis, in quo Macedones urbem condi-  
derunt, eam Antiochiam Mygdoniam appellantes.  
Quod & Plinius in *d. cap. 13.* de totius regionis nomi-  
ne scripsit. Dicta verò fuit à Plinio Antiochia Syriæ  
Epidaphne, à loco Daphnes, qui erat suburbanum  
ipius Antiochiæ, locus quidem Apollini sacraus, ut  
scribit Justinus *lib. 16.* & ferè omnes qui de Antiochia  
scripsere. Erant & in eo spectatissimæ lauri. Quod  
Strabo in *d. lib. 16.* tradit & alij, quorum Alciatus  
meminit in *libro C. 11. titul. de cupressis*, & eleganter So-  
zomenus *lib. 5. Ecclesiast. histor. cap. 19.* & Nicepho-  
rus *libro 10. cap. 28.* Apud quos illud est, à Christiano  
& pio lectore observandum, oraculum Apollinis tunc  
obmutuisse, nec responsa dedisse, quum Babylas  
Martyr in eodem loco prope ipsum Daphnes subur-  
banum sepultus est, & dum ejus reliquiæ inibi man-  
serunt. Idem memoriæ tradidere Evagrius *libro 1.*  
*Ecclesiast. histor. cap. 16.* Suidas & D. Chrysofostomus  
*libro uno contra Gentiles*, Socrates *lib. 3. cap. 18.* &  
Theodoretus *lib. 3. cap. 9. & 10.* Hoc Daphnes sub-  
urbanum, amœnum, & ambitiosum appellat Am-  
mianus Marcellinus *lib. 19.* Extat de hoc loco, Ar-  
cadij Imperatoris *lex 1. tit. de cupressis. lib. C. 11.*  
*Si quis, inquit, Daphnes loci in Syria vel Perseidos in*  
*Agyptio, arbores comparaverit, quinque libris auri no-*  
*verit sese mulcandum.* Quo in loco Andreas Alcia-  
tus ex Sozomeno *lib. 6.* conatur exponere, quæ fue-  
runt arbores Perseidos. Verùm Sozomenus *lib. 5. cap.*  
*21.* & Nicephorus *lib. 10. c. 31.* ita scripsere: *Hermo-*  
*poli quoque Thebaidis arbor esse, quam Persæam vo-*  
*cant, dicitur, multis morbis medicinam afferens,*  
*quando festuca vel folium ex ea agris applicatur.*  
*De qua illa adhuc fama apud Agyptios obtinet. De*  
*genitricem unà cum Josepho Herodem fugientem, du-*  
*ctu Josephi Hermopolim venisse, & quam primum ur-*  
*bis portam attingisset, arborem eam adventum Christi*  
*ferre non potuisse, & quamvis procera admodum esset,*  
*ad solum ipsum tamen se dimisisse & Paradisi olivæ*  
*facilem adoravisse.* Hæc & alia de Perfide arbore  
Sozomenus & Nicephorus.

His addere libet, Eusebium *Chronico* existimasse,  
Nisibin eam esse urbem, quæ in sacris Bibliis dicatur  
*Ninive.* At Hieronymus in *adnotationibus Hebraicis in*  
*Genesim* refragari videtur, quippe qui censet eam  
urbem, quæ *Achad*, dicitur *Genes. cap. 10.* dictam sua  
ætate Nisibin, atque distinctam esse ab urbe Nino,  
quæ Ninive dicta est in *eodem cap. 10.* Meminit & Jo-  
seph. *l. 18. cap. 12. de antiq.* Nisibis urbis, quæ sita sit  
juxta Euphratem. Dion item *lib. 35.* Nisibis, quæ sit in  
Mesopotamia regione inter Euphratem & Tigrin:  
quam illam esse opinor, cujus Plutarchus in *Luculle*  
mentionem fecerit.

## NOTA

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT VII.

Scimus enim Antiochiam Syriæ urbem, &c. quæ  
Epidaphne dicitur, &c.

Antiochiam hanc Seleucus Nicanor in suorum  
memoriam condidit Olymp. 119. eamque Orontes in-  
terfluit, ab occidentali regione lavat mœnia ejus  
Farfar fluvius. Estque Syriæ primæ, sive Syriæ Cœlæ  
(unde malè in veteri Provinciarum Indice *Syria Ci-*  
*licia* pro *Cale Syriæ* legitur.) civitas Metropolis quæ  
Hebræis, teste Hieronymo in *Ezech. Rebla & Reblata*  
vocatur: quæ cum everta & à Justiniano postmo-  
dum restaurata esset, Theophilis nomen assumpsit,  
*novell. 7. novell. 109. & novell. 123.* atque in ea ex S.  
Petri doctrina primi *Christiani* nominati sunt, *A. flor. 11.*  
7. 26.



v. 26. Petrus Apian. in 2. parte *Cosmographia*, in descriptione Syriae. Et hinc in l. *cum saluatorem*, 6. in fin. C. de *summa Trinit. & fid. Cathol.* Antiochenes Theopolitani dicuntur, quemadmodum *ibid.* exponit Dion. Gothofr. de quibus etiam apud Cajum sermo est in l. in *Lysitania*, 8. §. *Divus Antoninus Antiochenes colonos fecit salvis tribus.* ff. de *Censib.* Hodie nomina hæc retinuit Antiochia, Nigro Alepo, Villanova. D. Gothofr. ad dict. §. *Divus.* De hac ira Eunapius in Libanio: *Ἀντιοχίᾳ ἢ τῷ πόλει καλεμένης Συρίας πρώτη πύλαιον.* Antiochia princeps urbs Syria, quæ Cæle appellatur. Et Eustathius in Dionysium: *Ἄντη Ἀντιοχίᾳ, ἢ τῷ πόλει Συρίας κορονομένην.* Ipsa quæ Cæle Syria præsidet. Philip. Berthel. Pithan. *diatrib.* 1. c. 3. Josephus etiam *li. 3. de bello Judaico c. 3.* Antiochia Syriae metropolis est, quæ propter magnitudinem & rerum copiam tertium locum inter omnes orbis Romani civitates obtinet, & quem Julianus in *novell.* 8. vocat Præsidentem Antiochiæ, is est Consularis, sive Præses Syriae primæ; cujus, uti dictum, Metropolis Antiochia est. Et hic sanè Theopoleos Præses, non Præses Syriae salutaris significatur in l. 1. C. de *offic. Comit. orient.* Cujac. *lib. 8. observat.* 21. Dion. Gothofr. ad d. l. 1.

Nisibis quoque urbs, ut ad alteram Antiochiam progrediamur, apud veteres, quemadmodum tradit Covar. Antiochia dicta fuit, non quidem Syriae, sed Mygdoniæ, seu Persiæ quod præter Auctores ab illo citatos expressè per l. *mercatores.* 4. C. de *commerc. & mercator.* probatur his verbis: *Nullus igitur posthac Imperio nostro subiectus, ultra Nisibin, Callinicum & Artaxatam emendi seu vendendi species causa proficisci audeat, nec præter commemoratas civitates eum Persa merces existimet commutandas.*

Daphnis lucus, de quo hoc capite meminuit Auctor, ad urbem Antiochiæ Syriae fuit amenissimus; octoginta stadiorum ambitu, teste Strabone, sive x. millium passuum, distans ab ipsa urbe xi. stadiis: quo loco Antiochenium conventus agitabatur. Strabo *Geograph. lib. 1.* Ica Julius Capitolinus *Verus* posteaquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit. Luci hujus apud Lampridium quoque in Alexandro, Eutropium *li. 5.* & Machab. 2. c. 4. fit mentio. Fuit autem cupressis maximè opacus: Nicephor. *Hist. Eccl. lib. 16. c. 23.* Unde addit Egesippus *lib. 4. c. 1.* *Inter amenissimum illud & celebre per Syriam Daphnes nemus, oparissis intextum, scærens fontibus.* & cum cupressu arbor sepulchralis sit, & Diti sacra, nec cæsa amplius repullulet, suspicatur Forcatulus in *Necromentia dial. 1. n. 1.* idèd l. 1. C. de *Cupress. lib. 11.* libra auri mulctari cum qui vendiderit, aut emerit cupressum ex luco Daphnis in Syria, vel Persidis in Ægypto. Conjecturam auget, quòd simile quid de lauro natura sua regerminante non sit sancitum, cum tamen in prædicto luco quàm plurimæ etiam laurus reperiantur: atque ab iis, tamquam ab arbore excellentiori & Apollini sacra, prædictus lucus nomen δάφνης, quod laurum indicat, sortitus sit. Laurus enim naturæ ipsius Apollinis, sive Solis maximè convenit, arbor calida, cujus folia & fructus calefaciunt & siccat vehementer, ut ait Athenæus *li. 1.* Hæc una causa fuit. Cui Lunæ simulacrum laureum ramum tenet, per quem calorem sicut cum lumine, illam à Sole accipere veteres significarent. Ptolomæus in *Almagest. Natal. Comes lib. 4. cap. 10.* Præterea vaticiniorum quibus ipse Apollo præest laurus teste Aphthonio in *Progymnasmatibus*, symbolum habet. Adhæc notat Claudius Minos in *Alciati illud emb. 280.*

*Præscia ventura laurus fert signa salutis:*

Laurum, si strepitu quodam in igne crepisset, felicitatem portendere. Hinc olim in maleficiis amatoriis laurus incendi, & aliqua religione in ignem conjici solebat, tanquam amantium querimonias representans, unde adagium *Clamosior lauro ardente.* Si verò tacita conflagraffet, inauspicatissimum habebatur: quod indicare videtur Tibullus:

*Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.  
Et tacet extincto laurus adusta furo.*

Quo circa plerique δάφνην dictam putant à δα intensiva particula & φωνία, quod est cano & voco, quod nimirum in igne sonitum & crepitum edat. Claud. Minos *loc. cit.* Quamquam aliis placeat Daphnem dici, quod nunquam viriditatem deponat Egesipp. *lib. 3. c. 5.*

De hoc Antiochiæ suburbio multa utiliter ex utriusque linguæ auctoribus observavit Abrahamus Ortelius in suo Theatro orbis universi, cui etiam tabulam ejusdem affabrè delineatam inseruit. Postremò id notandum, apud antiquos lucos frequentes fuisse, eosque in agris extitisse, maximè prope Deorum templa consecrari solitos, inde in l. xi. Tabular. *Constructa à Patribus delubra habento, lucos in agris habento, Larium sedes.* Lucus autem etsi ab eo dictum voluit, quod minimè luceat propter arborum umbras opacas, quemadmodum ad illud Virgilij II. *Æneidos.*

*Lucus in urbe fuit media, latissimus umbra,*

notat Servius; potius tamen à sacrificiorum luminibus, quæ ibi per noctem haberi solebant, dici videtur. Joan. Rosin. *Antiq. Rom. lib. 2. c. 1.*

## CAPUT VIII.

### SUMMARIUM.

Qua in significatione apud Jurisconsultos, Ciceronem, Varronem, & alios accipiuntur verba hæc, Dicis gratia.

Extat Ulpiani responsum in l. 1. §. *excusantur* ff. *Excusantur servi qui auxilium tulere sine dolo malo.* Nam si finxit quis auxilium ferre, vel dictis gratiam tulit, nihil hoc commentum ei proderit. Hæc Ulpianus ex vulgata lectione. Quid sit, *dictis gratiam ferre*, nec Accursius, nec alij ibidem explicarunt, cum de mortis poena illic tractetur, oporteatque intelligere, quo in casu servus non est liberandus à culpæ suspicionem, si de domini morte fuerit actum. Nec Joannes Igneus, homo aliqui doctus ac diligens, id explicat illud tantum observans, Ulpianum sensisse, quod non excusetur, quia aliud dicto, aliud animo fecit ac gerit. Nos apud Ulpianum legendum fore censemus *dictis gratia*, ex Pandectis Florentinis opera Lelij Taurinij in publicum emissis, & esse veterem dicendi modum opinamur, quod significatur quid fieri per fictionem ac simulationem, perfunctoriè quidem id est, ut quis defungi suo videatur tamen verè minimè fuerit eo defunctus. Olim etenim Salmantica, ab hinc ferè 15. annis illustri Joanni Quergonio illius gymnasij præfecto, cum in quodam licentiæ privato examine, propter raram apud auctores hujus dictionis mentionem, esset de eius sensu controversia, Varronis locum ostendi, qui *li. 5. de lingua Latina* in-

quit;

quit: Dico originem habet Græcam; & hinc Dictator, magister populi, quod is à consule debeat dici. Hinc antiqua illa dicis in imo, & dicis causa, & addicitur. Hæc Varro. Petrus Victorius lib. 8. variar. lect. c. 24. ex eodem Varro ad hanc rem locum alterum citat, ut in optimo fidelissimoque libro legitur, his equidem verbis: Hoc nunc aliter fit, atque olim, quod augur consuli adest tunc cum exercitus imperatur, ac præt, quid eum dicere oporteat; consul auguri imperare solet, ut in licitum vocet, non accenso, aut præconi. Id inceptum credo, cum non adesset accensus & nihil intererat cui imperaret, & dicis causa fiebat quedam neque item facta, neque item dicta. Hactenus Varro, licet in excusis omnibus libris locus hic lib. 5. prope extremum aliter legatur. Germanam verò lectionem constantius probasset Victorius, si ejus loci meminisset, quem nos paulò antè ex eodem Varonis libro absque ulla emendatione adduximus. Cicero aël. 6. in Verrem. Tamen, inquit, ut possit dicere emisse Artagatho imperat, ut aliquid illis, quorum argumentum fuerat nummorum dicis causa daret. Quem locum Lælio Taurello de militiis ex casu, & Antonio Augustino l. 2. emendat. c. 2. debemus, quod secutus est Joan. Coraf. lib. 4. miscel. c. 8. Ad eandem significationem adduci solet Arnob. lib. 4. adversus Gentes: ita etiam legitur in excuso Romæ libro in Proœmio, An ita, ut assolet, dicis causa ex eo quod optamus & volumus bona ista nobis contingere, superorum retuleritis in censum? Hæc Arnob. cum dixisset, Interrogare vos lubet, ipsosque anæ omnia Romanos dominos rerum ac principes, utrumve existimetis, pietatem, concordiam, salutem, honorem, felicitatem, virtutem, ceteraque hujusmodi nomina, quibus aras videmus à vobis cum magnificis exedificatas delubris, vim habere divinam, calique regionibus degere? Idem Arnob. lib. 3. Nisi forte diceis, alias quidem inesse diis formas, & honoris, & dicis causa, species vos eis accommodasse mortalium, quod majoris multo est contumelia, quam erroris aliquid ignoracione fecisse. Sic sanè ex Arnob. hoc adnotarunt idem Victorius, & ex eo Francisc. Duaren. lib. 1. dispunct. c. 47. Ejusdem veteris locutionis meminere Cicero pro L. Murena, & Cornelius Nepos in Attici vita: ut Cujac. adnotavit lib. observat. 5. c. 33. adducit et alia doctissimus Pithæus lib. 2. adversariorum, c. 8. idem Ulpianus sub tit. ex quibus caus. majores, l. & quid data opera inquit, qui maturius profectus est, ut dicis, gratia cœpit Reipublica causa abesse, ita enim legendum censet ipse Duaren. in l. juris gentium. §. dolo malo. ff. de pactis. Tametsi vulgò & adhuc in Pandectis Florentinis legatur, *litis gratia*, nullo ferè congruo sensu. Cajas verò Jurisconsultus hac locutione apertius uti videtur, in l. 4. ff. commodat. Sæpè, inquit, ad hoc commodatur pecunia, ut dicis gratia Numeracionis loco intercedant. Sic enim legitur in pandectis Florentinis; & verè quidem; cum Jurisconsultus imaginaria quadam Numeracione tractaverit, cujus gratia pecuniæ mox reddendæ ostentacionis causa commendantur. Quo in sensu vulgò illic legebatur, *ditis gratia*, nempe ut pecuniæ fuerint numeratæ ad divitias ostentandas, & ut quis dives appareat, quemadmodum Accursius, Bartolus, & alij sensere, quamvis ea lectio displicuerit Alciat. qui lib. 4. dis. c. 15. legit, *dantis gratia*, & à vulgò recepta lectione discedit, quia negat *ditem* in singulari numero pro divite Latine accipi. Qua in re Joannes Corafius l. 4. miscel. c. 8. & Stephan. Forcatulus in Necromantia juris, Dialogo 7. ab Alciato dissentiant pluribus auctoribus ad id citatis. Sed & Livius lib. 6. decad. 3. inquit, libertatem imparem diis, ac pauperi. Tibullus lib. 2. elegia 5.

illa sæpè gregis diis placitura magistro,  
Ad juvenem festa est vesta puella die.

Cæterum Corafius proverbialem hanc locutionem apud Cajum eo modo interpretatur, ut pecunia detur non animo contrahendi mutuam, licet numeracionem creditor facere simulaverit, qui tradebat: sed eo consilio, ut qui accipit non ea utatur, nisi ad pompam vel ostentacionem, nempe ut possit dici eum divitem esse. Cui interpretationi suffragatur Ulpian. in l. si ego pecuniam. vers. idem est. ff. si cert. petat. atque idè ipse Corafius admittere & probare videtur potius lectionem istam, *dicis gratia*, quam eam, quæ communis est, vel quæ ab Alciato recipitur. Sic & Taurellus, & Antonius Augustinus, *dicis gratia*, apud Cajum legendum esse verè & propriè existimarunt. Forcatulus autem opinatur, *dicis gratia*, intelligendum esse ad publicam & manifestam demonstrationem ex Apulejo in lib. de philosophia, qui de republica Platonis, & hanc quidem, scribit, ut figmentum aliquod veritatis, exempli causa, per se compositam vult esse Rempublicam. Sed & alia optima quidem, & satis justa, & ipsa quidem specie, & diis causa civitatis fabricata, non ut superior sine evidentia, diis causa pro eo, quod est cum evidentia, interpretatur. Ego verò apud Apulejum causa diis civitatis, id est, opulentæ, beatæ & felicis intelligo, ut magis conveniat auctori sensus hic, & interpretatio. Itidem Plinius ad id idem adducitur, lib. 28. c. 28. si Pontifici accidat diis causa epulanti, id est, publicè, & pro populo epulanti ipse rursus, & in hoc loco apud Plinium Pontificem diis, id est Plutonis, causa epulanti libentissimè intelligerem. Quamvis Lælius Taurellus & P. Victorius apud Plinium *dicis causa* legendum esse planè opinentur. Nos id incertum esse censemus. Origo autem hujus proverbij non potest alia expeditior, ni fallor, reddi, quam ex Ciceronis oratione deducitur, ut dicere possit se emisse, & idè *dicis causa*, veteres intellexere, cum quid fictè & simulatè, aut causa servandi veteres ritus potius factum fuerit, quam ex vero animo, aliquave ex causa necessaria; ut dici possit factam fuisse, nec tamen verè, aut ex animo, aut aliqua ex causa necessaria factum sit. Cui equidem interpretationi mirè convenit, ad originem locutionis investigandam, quod Flavio Sospitro lib. 1. grammaticarum institutionum. P. Victorius tradit in d. c. 24. cum enim is auctor doceret, quedam nomina unius tantum casus esse, exempla eorum proferret: in illis etiam *dicis*, posuit. Simili sanè proverbio Modestinus Græcè usus est in l. 2. ff. qui pet. tut. & in l. scire oportet. §. sufficit. ff. de excus. tut. inquit etenim, *ὄλιος ἂν ἀφοριστός χόρειν*. Quæ Latine sic transtulit Anton. Augustinus: Sufficit tamen inter tempus saltem adesse, & si postea invidus causam omiserit, non erit præscriptioni obnoxius. Unde si defunctoriè adsit solum, neque permaneat ad allegandum, post tempus in præscriptionem incidet. Defunctoriè adesse est eo animo adesse, ut levi eo sistendi se actu, causam se excusandi habeat, & ut dicere possit adfuisse. Sic & in dict. l. 2. etenim mater expellitur à legitima filij hæreditate, tanquam indigna ex ejus bonis legitimam portionem consequi, cui tutorem quærere neglexerit; neque solum si non petat, sed & si quem petet, defunctoriè petat, utpotè eum qui se potest excusare. Defunctoriè petere dixit Modestinus ex Anton. Augustini interpretatione, & Græcè *ὄλιος χόρειν*; si levi petitione mater tutorem petierit, ut petendi munere defungeretur, & dicis causa, ut possit dicere se petiisse. Ex Ulpiano in l. 2. §. non solum, ff. ad S. (Tertull. & S. si mater, eadem l. 2. & c. l. unica. C. qui numero tut. se excusent.

*casent. Budæo in l. exemptio. §. emptorem. ff. de actionibus. empti.* Quo in loco ex Latinis auctoribus docet quid *Perfunctorie* dici factum aut defunctorie, quando fit languide & remisse, non acri intentione, non ex animi promptitudine, sed quovis modo ea tantam gratia, ne incusetur ob rem neglectam. Tradit & ex Græcis eodem sensu accipi, *ὁσίας ἐνεκα ἀφορισίσεως χάριν.* idem repetit diligentius in *commentariis lingua Græcæ pag. 247.* ex editione Alceniana. His accedit, ut Victorius adnotavit, locus insignis apud Dionem *lib. 37.* ubi de iudicio C. Rabirii perduellionis agit. Priscum siquidem morem ibidem exponit, usque ad eum diem servatum, *ὁσίας ἐνεκα.* Quæ verba Leonicus sanctitatis causa interpretatur. Cum eadem ratione sint interpretanda apud Dionem, qua *dicis causa* apud alios auctores, & hæc eadem apud Modestinum, ut intelligamus morem ac ritum illum veterem adhuc servari, non quod sit necessarius aut utilis, sed religionis ergo ad exactam cæremoniarum modò inutilium observationem. *Dicis* equidem gratia, ut dici possit, veteres ritus, etiam absque ulla utilitate vel necessitate servari non alia ratione, quam ut superstitionis servetur. Qua ratione Latinus Modestini interpretès ante Anton. August. egregiè fallitur, dum in *d. l. 2. ὁσίας χάριν,* Latine dixit, pietatis gratia, nullo aut saltem ineptissimo sensu. Sicut & in Pandectis Haloandri pravitatis gratia, falsò itidem legitur. Quod idem Anton. Augustinus diligentissimè probat, & constat ex Græco Modestini tractatu, *lib. 1. excusationum* & in Pandectis Florentinis, *l. 2. tit. qui petant tut.* Eodem propè labitur errore Bulgarus, aut quisquis is est, qui Modestini tractatum de excusationibus tutorum barbarè nobis interpretatus est, in *l. scire oportet. §. sufficit,* cum illam locutionis ἀφορισίσεως χάριν interpretationem omiserit, qua Modestinus vitur *lib. 4. excusationum,* quod apparet ex eisdem Florentinis Pandectis *tit. de excusationibus tutor. cap. 13.* Ex quibus, quæ nemo hæctenus, quod ipse sciam, in unum congeffit locum, satis lector poterit intelligere, quis fuerit apud veteres auctores sensus germanus ac verus hujus proverbii, *Dicis gratia.* Quo & Jurisconsulti usi fuere, & simili propè modo Græci auctores *ὁσίας χάριν,* & *ὁσίας ἐνεκα.* Dionysius Halicarn. *lib. 2. τὸ το μέγιστον τὸ καὶ ὁμῶς χρόνων φυλάττειν ῥημοῖσι τῶ χρόνε μνημεῖα τὸ ὁσίας αὐτῆς ἐνεκα.* Hoc ad nostram usque aetatem Romani observant, *dicis causa* aut gratia cæremoniarum. Rursus idem auctor *lib. 4. de rege sacrorum* scribit nomen ejus sacrum censei & observati *ἐνεκα τὸ ὁσίας: Observanda,* inquam, religionis causa. Euripides in *Iphigenia Taurica.* sacrificium quoddam commemorat, in quo sanguis effunditur, ut vera hominis immolatio videatur, cæremoniarum tantum observandarum gratia, gladio in hominem imminente.

ὁπῆχίτω ξίφος  
δέρω πρὸς ἀνδρὸς αἵματ', ἐξ αὐτοῦ τω  
ὁσίας ἐνεκα θεῶς ὅπως τιμᾶς ἔγει.

Extat & apud Dionem *lib. 57.* locus profectè elegans, ubi de consulibus, qui à Cæsare Tiberio eligebantur, & à populo Romano ad repræsentandam antiquam eligendi magistratus libertatem nominabantur inquit: τὸ ἀρχαίας ὁσίας ἐνεκα. ὡσεὶ ἐν εἰκόνι δοκεῖν γίγνεσθαι, ἐσλοῦντες ἀπέδεικνυτο, καὶ ἀπὸ πρὸς καὶ πρὸς. Idem Dion. *lib. 58.* in Drusillæ morte, eadem locutione non inaeleganter utitur.

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT VIII.

Nos apud Vlpianum legendum esse censemus *dicis gratia* ex Pandectis Florentinis.

Hanc locutionem quoque retinent Dion. Gothofr. *ad d. l. 1. §. excusantur. ff. ad S. C. Syllan. & in l. sæpe. 4. ab auctore citat. ff. commod. Brisson lib. 4. de verbor. signific. in verbo, dicis causa, & Hotomanus uterque, post clariss. Jure consultum Anton. Augustinum lib. 12. emendationum & opinionum juris, c. 2. extremo, & Modestinum, de excusationibus.*

Et esse veterem dicendi modum opinamur, quo significatur quid fieri per actionem ac simulationem, perfunctorie quidem, idem est, ut quis defungi suo munere videatur, tamen verè minimè fuerit eo defunctus.

Atque ita in *d. l. 1. ff. S. C. ad Syllan.* secundum Brisson. *loc. cit.* Justus Lipsius *lib. 1. de Constantia, c. 9.* etiam in hæc verba. *Nostri mala verò atque ex animo lugemus, publica dicis morisque causa.*

Sæpe inquit J. C. ad hoc commodantur pecuniæ, ut *dicis gratia* numerationis loco intercedant, sic enim legitur in Pandectis Florentinis.

Ita etiam legunt Brisson. & Dion. Gothofr. *loc. cit.* ubi formulam hanc *dicis gratia,* cum Covar. hoc loco interpretantur de ficta numeratione, quæ intercedit ad pompam & ostentationem, ut fit in imaginariis venditionibus, in quibus numerus unus, aut item alter intervenit.

Sed &amp; Livius, &amp;c.

Apud Terentium quoque in *Adelph. Dis quidem esses Demæ, ac rem tuam constabilisses:* pro dives.

Quamvis Lælius Taurellus. & Pet. Victorius variat. *lect. lib. 8. c. 24.* apud Plinium *lib. 28. cap. 2. dicis causa,* legendum esse planè opinentur.

Sic quoque legit Dion. Gothofr. in *d. l. 4. ff. commod.* qui ibid. *dicis causa epulari,* quod Auctor *diis* scribit, ait, publicè & pro populo.

Et idèd *dicis gratia,* veteres intellexerunt cum quid fictè, simulatè, aut causa servandi veteres ritus, potiùs factum fuit, quam ex vero animo.

Sic Turnebus *li. 11. adversar. cap. 20.* proverbialem hanc *dicis causa,* locutionem deductam tradit, ab his quæ, ut religione defungamur; utcumque facimus; cum simulata olim ex ea pro veris haberentur, sicuti exemplo Iphigeniæ comprobatur Auctor in *fin. cap.* & qualicumque ferè pro optimis dicantur, vultuque dictum tanquam *dicationis* causa. Vide & Pet. Pithæum *lib. 1. Adversariorum.*

Cum enim is auctor Carisus Sospater doceret quædam nomina unius tantum casus esse, exempla que eorum proferret, in illis etiam *dicis* posuit.

Vocem hanc *dicis causa* casu genitivo reperiti docet Carisus i. *Gramm.* apud Duar. i. *disp. 47.* & cum teste Varron. *l. 5. ling. Lat.* deducatur ab eadem origine,

M m gine,

gine, qua verbum dico, conjicit Hotom. in *Lexic. Juris*, dicitur casum à recto dex declinatum, ut sit *dex dicitis*, à dico ut *Judex Judicis* à Judico; nam si juncto verbo *Judex*, auctore Varrone, dicitur is qui jus dicit; verisimile est voce simplici similiter eum qui dicit *dicem* appellatum. Quin cum manipuli castrenses eidem dicerentur *dices*, perspicuum est vocem *dex* fuisse singularis numeri, ut *Judex*, *index*, *vindex*.

*Olas xdeiv.*

Vetus Modestini Interpres transtulit *puritatis causa*, nec malè secundum *Conium li. 1. disp. Jur. Civil. cap. 16. circa med.* quod probat Cujac. in *comm. l. 13. ff. de exauat. tutor.* ubi cum Auctore corruptè ab aliis *pietatis vel pravitatis causa*, verisimile esse tradit.

## C A P U T IX.

### S U M M A R I U M.

*Quam originem hoc nomen, Sarracenus, habuerit: & unde Arabes dicti fuerint Sarraceni, ad interpretationem regie Partitarum Legis.*

**I**nter eas leges, quas prudentissimus Rex Alphonsus hujus nominis decimus, opera doctissimorum virorum & veteribus Jurisconsultorum responsis Casarum rescriptis: Juris Pontificii canonibus ac decretis, edere in publicam regni Castellani, cui præerat, utilitatem diligentissimè curavit, opere septem partito, & vulgari lingua, servatâ Castellani idiomatis majestatem, promulgato, extat *lex 21. tit. 25. part. 7.* quæ probat Sarracenos dictos fuisse à Sara uxore libera Abrahamæ, quamvis ipsi non à Sara, sed ab Agar ancilla originem duxerint. Hæc quum aliquando legissem (ut ingenuè fatear) existimavi absque aliquo idoneo auctore scripta fuisse, qui videtem, perversam admodum esse hanc hujus nominis rationem. Cæterum Sarracenos ab Agar originem habuisse, ejusque gentis primum auctorem fuisse Ismaëlem, Agar ex Abraham filium, & ab eo Arabes (qui & Sarraceni) generis exordium ducere, testis est Josephus *libro 1. antiq. cap. 20.* Idem tradit Eusebius in *Chronico* sub temporibus Abrahamæ, & eos appellari ac dici scribit Agatenos & Ismaëlitas. Divus Hieronymus *Ad Dardanum*, Agatenorum meminit, quos inquit, nunc Sarracenos vocant. Sed & Sarracenos meminit Socrates *li. 4. histor. Eccles. cap. 36.* quos eandem historiam tractantes appellant Ismaëlitas, Theodoretus *lib. 4. cap. 23.* Sozomenus *lib. 6. cap. 38.* ut planè hinc constet, Sarracenos dictos fuisse Agatenos & Ismaëlitas ex eo, quod originem duxerint ab Ismaële, & Agar. Addit Josephus, moris apud eos fuisse, anno ætatis decimo tertio circumcidi, quia & Ismaël eo anno ætatis fuerit circumcensus. De ratione nominis eodem *chronico* Eusebii Matthæus Palmerius Flotentinus hæc scribit: Mahumetus magnum se æterni Dei Prophetam dicens, multos Asiæ atque Africæ populos commovit, quos nova religione imbuens, Sarracenos ex Dei præcepto vocari dicebat, à Sara legitima uxore Abrahamæ, quasi legitimos divinæ promissionis successores. Hæc Palmerius. Divus Hieronymus ante ipsum, illud *Esaï. cap. 21. explicans*, *Auferetur omnis gloria Cedar*, inquit, Ismaëlitas debere intelligi. Liber generationis docet ex Ismaële Cedar & Agatenos, qui perverso nomine Sarraceni vocantur, esse genitos. Sozomenus in *diët. lib. 6. cap. 38.* hæc diligentius, & apertius tractat. Porro, inquit, *Sarracenorū gens primū cognominē ab Ismaele accepto qui, Abraham filius fuit, Ismaelita ab antiquis de primi eorum parentis appellatione vo-*

*cati sunt. Ut autem maculam illogiumi ortus, servitutis notam (serva enim fuit mater illius Agar) à se amolirentur, Sarracenos seipsos nominarunt, perinde atque à Sara Abrahamæ conjugē stirpem ducerent. Cæterum seriem generis inde trahentes, eodem cum Judæis vivendi more utuntur. Nam circumcisionem ita ut illi colunt, & à suillis carnibus abstinent, multaque præterea illorum instituta servant. Quod si non ex omni parte juxta illorum ritus vivunt, aut tempori id adscribendum est, aut finitimorum populorum, qui se eis immiscuere, confusio. Quæ quidem verba fermè repetit Nicephorus *lib. 11. Eccles. histor. cap. 47.* Divus Hieronymus *super Ezechielem. cap. 25.* Agatenos, inquit, & Ismaelitas, qui nunc Sarraceni appellantur, assumentes sibi falsò nomen Saræ, quod scilicet de ingenua & Domina videantur esse generati. Quo fit, ut & Partitarum lex auctores habeat non contemnendæ auctoritatis, ad probandam Sarracenos originem, nominisque rationem. De origine verò minimè controversam: at de nominis ratione illud fortassis tem dubiam facit, quod si à Sara dicerentur, Sarrani, non Sarraceni, dicerent forent. Deinde Plinius *lib. 6. cap. 28.* Sarracenos gentem inter Arabes connumerat, & scribit Stephanus *de urbibus Græcus auctor*, & is maximæ fidei, Sarracenos dictos fuisse à Saraca urbe Arabiæ. Idem commemorat Paulus Æmilii *lib. 7. de Francorum historia.* Quod magis aridet. Nam & Saracæ urbis in Arabia meminit Prolomæus *lib. 6. Geographia cap. 7.* & Ammianus Marcellinus *lib. 3.* ita scribit, *Et in Asia Albanos mare rubrum, & Scenitas Arabas, quos Sarracenos posteritas appellavit.* His addere libet Maranos & Maranitas, Arabes esse Diodoro Siculo, *lib. 4.* & Straboni *li. 6.**

Erasmus *super epistolam Hieronymi ad Chromatium* scribit, Divum Hieronymum in *Hebraicis questionibus* significare, Sarracenos ab Ismaele ortos, dictos à Sarram, quod Hebraica lingua tonat onagram. Quia in re vir alioqui diligentissimus, vel memoriæ lapsu, vel nimis festina Divi Hieronymi lectione, protus hallucinatur, cum à Hieronymo nihil de dictione Sarram scriptum fuerit. Ita enim scribit, *Ismael interpretatur exaudisio Dei. Hic erit, inquit scriptura, rusticus homo, manus ejus super omnes, & manus omnium super eum, & contra faciem fratrum suorum habitabit, pro rustica scriptum est in Hebraeo, Phere, quod interpretatur onager. Significat autem semen ejus habitaturum in eremo, id est, Sarracenos vagos incertisque sedibus, qui universas gentes desertum ex latere jungunt, incursum, & impugnantur ab omnibus.* Hæc Hieronymus.

## NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## C A P U T X.

De Sarracenis eorumque origine præter Auctores à Covarr. allegatos licebit videre Josephum Scaligerum, in *Euseb. Paul. Jov. de Turcar. Imperi.* Leuncl. & Briffon. in *Perfic.* Petr. Pichæum in *adversar.* Joannem Vaseum in *Hispan. Chronic. sub ann. 620.* Boëtium Epon. *li. 3. de Jur. sacro, n. 162.* Porro sive à Saraca Arabiæ urbe (quemadmodum tradit Covarr.) sive à Sarra Abrahamæ uxore (quod nonnullis placet) Agateni, seu Ismaelita, nomen duxerint; non ab simili exemplo apud gentes aliquot invaluit à mulieribus municipia & privilegia, nec non nobilitatem retinere, quod quia interdum usu venit notatione dignum judicamus, Et quidem quod ad nomen attinet, Campani Galliæ populi materiam ample-

amplectuntur, quod à Lusitanis quoque non raro usurpatur. Sed & apud Lycios & Xanthios teste Plutarcho *li. 1. declar. mulierib. cap. 9. in fin.* lege cautum fuit, ut à matribus, generis nomen liberi sortirentur. Herodot. *etiam lib. 1. de Lyciis* tradit, hoc unum eos præter ceteros homines pro lege habere peculiare, quod à matribus sibi nomen induant: & si quis obvium percunctetur quisnam sit? qua familia ortus à matribus avisque protinus genus suum reperit. Pyrius quoque Epirotarum rex à materno genere se *Achilleidem* nominari iussit, cum paternum ab *Hercule* traheret: *Plinius*, seu qui scriptor est *libri de viris Illustribus urbis Rome, cap. 35.* vel contra (ut auctor est Plutarchus) paterno genere ab *Achille*, materno ab *Hercule* oriundus erat. Fit & apud Gallos interdum pactis nuptialibus, ut liberi cognomen maternæ filiae ferant. Gothofr. *ad l. §. 2. ff. ad municipal.* ut omittam nonnullos Galliæ populos abdicato suo, uxorum suarum cognomen assumere. Papon. *notar. 3. lib. 7. tit. d'Annoblissement. versic. Herodot. au premier livre.*

Municipij etiam jus ex privilegio aliquando in liberos à matribus derivatur: ita enim Ulpian. *l. 1. §. 2. ff. ad municipal.* *Qui ex duobus igitur Campanis parentibus natus est, Campanus est; sed si ex patre Campano matre Puteolana, æque municeps Campanus est, nisi forte privilegio aliquo, materna origo censetur: tunc enim maternæ originis erit municeps, ut puta Iliensibus concessum est, ut qui matre Iliensi est, sit eorum municeps: etiam Delphis hoc idem tributum & conservatum est. Celsus etiam refert, Pontificis ex beneficio Pompeij Magni competere, ut qui Pontica matre natus esset, Ponticus esset.* Hoc non paucæ provinciæ quoad generis splendorem imitaturæ sunt, in quibus venter, id est mater etiam liberis nobilitatem præstat; quemadmodum de Campanis Galliæ traditur, idque ex eo ortum ferunt, quod delata bella Campanorum nobilitate, viduæ plebeiis ex privilegio nubere, aut in perpetua viduitate consensere, quam ignotis aut extraneis procis adherere maluerunt. Conn. *li. 12. juris civil. c. 11. Pap. d. loc. versic. Les Compignoïs. Forner. 2. select. 6. Dio Gothofr. ad d. l. 1. §. 2. ff. ad municipal.* Apud Lycios etiam, si qua ingenua & nobilis servo nupserit, liberi qui ex his suscipiuntur, ingenui atque nobiles existimantur. Consonat illud Virgilij *li. 11. Æneid.*

genus huic materna superbum  
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat.

Ad hæc nocet Forcat. *Necyomant. dialog. 5. n. 3.* quoad nobilitatem dignitatis, quam mater non habet, patrem considerari: quod autem ad nobilitatem sanguinis & generis attinet, matrem equè attendi, quia & certior patre est. Unde Cic. *3. de Natur. Deor. Ut enim (inquit) de jure civili qui est de matre libera, liber est; ita jure natura qui Dea matre sit, Deus sine esse est: & mox, Si hi quorum patres Di sunt, erunt in Deorum numero, quid quorum matres? Quin & apud Locros nobilitas ex mulieribus non ex viris erat. Polyb. Megapolitan. *lib. Hist. Calcutij* quoque Indiæ populi tanti maternum genus existimant, ut reges etiamnum ac patrij quos *Nairas* ipsi appellant, vix unquam suos aut imperij aut bonorum hæredes habeant, sed nobilium fæminarum liberos etiam si spurij fuerint. *In Hist. Indiæ.* Et quamquam de Jure Civili nobilitas ex latere materno non censetur, licet spectabilior reddatur quemadmodum scribit Bald. *in l. ult. in fin. C. de serv. fugit.* Quod & illud facit.*

Est quoque per matrem *Cyllenius* addita nobis  
Alter a nobilitas, Deus est in utroque parente.  
Ovid. *lib. 13. Metamorph.* Consuetudine tamen & statuto introduci potest, ut quis ex materno sanguine nobilis habeatur, quod præter exempla superius adducta patet ex iis quæ tradit & resolvit *Tiraq. de Didaci Covarr. Tom. 11.*

nobilit. cap. 18. num. 23. Superioribus autem affine est, quod cum Lovanienses & Bruxellenses nostri neminem ad Senatorium ordinem admittant, quam qui certis apud eos familiis ortus sit, ex illorum etiam numero habeant qui materno sanguine prognati fuerint.

## CAPUT X.

## SUMMARI

Quæ fuerit apud veteres Cretionum solemnitas ex Ulpiano, & aliis auctoribus.

**S** Crupulosam nimis Cretionum solemnitem sublatam esse ab Imperatoribus Theodosio & Valentiniano, constat ex *c. 17. C. de jure delib.* Quæ verò fuerit Cretionum hæc solemnitas, Ulpian. Juriscons. egregiè tractat *in Instit. rit. qui hered. instit. possint.* Ex testimonio viri summè docti Franc. Duareni *lib. 2. dispun. c. 41.* Nam Ulpiani Institutiones nondum nobis licuit videre ante primam hujus operis editionem: nam postea Ulpiani fragmenta sæpè legimus. *Cretio*, inquit Ulpianus, est certorum dierum spatium, quod datur instituto heredi ad deliberandum utrum expediat ei adire hereditatem, necne. Velut, *Titius heres esto. Cernitoque diebus centum proximis, quibus scieris poterisque nisi ita creveris, exheres esto. Cernere est verba Cretionis dicere, ad hunc modum: Cum me Mævius heredem instituerit, eam hereditatem adeo cernoque. Sine cretione heres institutus, si constiterit, nolle se heredem esse, statim excluditur ab hereditate, & amplius eam adire non potest. Cum cretione verò heres institutus sicut cernendo fit heres, ita non aliter excluditur, quam si intra diem cretionis non creverit. Ideoque etiam si constiterit, nolle heredem esse, tamen si supersint dies cretionis, penitentia actus cernendo heres fieri potest. Cretio autem vulgaris dicitur aut continua. Vulgaris, in qua adjiciuntur hæc verba: Quibus scieris, poterisque. Continua, in qua non adjiciuntur. Et qui vulgarem cretionem habet, dies illi dati computantur, quibus sciat se heredem esse, & potuit cernere. Et verò, qui continuam habet cretionem, etiam illi dies computantur quibus ignoravit, se heredem institutum, aut scivit quidem, sed non potuit cernere. Hæredes aut instituti dicuntur, aut substituti: instituti, qui primo gradu scripti sunt: substituti, qui secundo gradu, vel sequentibus hæredes scripti sunt. Velut, *Titius heres esto, cernitoque in diebus proximis centum, quibus scieris, poterisque nisi ita creveris, exheres esto, tunc Mævius heres esto, cernitoque in diebus, & reliqua.* Hæc sunt Ulpiani verba. Quibus mirè conveniunt quæ *Isidor. li. 5. Etymol. scribit, c. 24.* *Cretio*, inquit, est certus dierum numerus, in quo institutus heres aut adit hereditatem, aut finito tempore cretionis excluditur, nec liberum illi est, ultra capiende hereditatis. Cretio appellata est, quasi de cretio, id est, decernere & constituere, ut puta: *Ille heres mihi esto, additurque Cernito intra tot dies. Adeundarum autem hereditatum centesimus statutus erat dies, quibus non est Cretio addita.* Hæc *Isidor.* cujus loci meminit *Andr. Alciat. lib. 3. dispun. cap. 7.* Hæc ratione veteres Cernere hereditatem dicebant, pro adire hereditatem, auctore *Festo Pompeio.* *Cicero in orat. de lege Agraria in Rullum.* *Quam hereditatem crevimus.* Idem *lib. 9. epist. famil. epist. 14. ad Dolabellam: A te autem peto, ut me hanc quasi falsam hereditatem aliene glorie sinas cernere.* Utitur & alibi sæpè eadem dictione *Cicero* quemadmodum tradidere *Budæus tit. de origine juris.* & *Alciat. in d. cap. 7.* *Duarenius* autem apud *Ciceronem lib. 7. de oratore* ita legit: *De his credo rebus, inquit Crassus, ut in cretionib. scribi solet, de quibus sciam poterique tametsi vulgò le-**

gatur in conditionibus. Sic & apud Plinium lib. 2. c. 21. ubi de syderibus agens ira scribit, An crescerent, moverenturque calo in hereditate cunctis relicto. si quisquam qui rationem eam caperet, inventus esset. Pintianus legendum censet, qui cretionem eam caperet, expuncta vulgata lectione. Sed & apud Varro lib. 6. de lingua Latina, locus extat hac de re atrocem in modum laniatus, genuino tamen candori restitutus ex Plauto, cura & diligentia Petri Victorii, l. 7. Variar. lect. c. 1. Apud Plautum, inquit Varro, in Cistellaria. ubi legitur: Cum ante hac te amavi, & mihi amicam esse crevi, mea gymnasium, valet constitui. Itaque haeres cum constituit se heredem esse, dicitur cernere, & cum fecerit, crevisse. Hæc Varro qui & l. 5. itaque inquit, Cerno dictum à creo, id est à creando; creo ab eo quod; cum quid creatum est, tunc denique videtur. Hinc fines capillorum descripti, quod finis videtur discrimen, & qui id testamento, id est facito, videant se esse heredem. Itaque in creatione adhiberi jubent testes. Verum & hic locus à nemine: quod sciam animadversus, non minorem dilanationem patitur. Ipse quidem ita legerem: Hic fines capillorum discreti, quod finis videtur discrimen. Et qui testamento dixerit, Cernito, id est, facito videant se esse heredem. Itaque in Cretione adhiberi jubent testes.

Sed & lib. 4. Codicis Theodosiani titulus extat primus de cretione, vel bonorum possessione; & in l. inquit Imperat. Theodos. & Valentinian. & cum legitima successio non solum in matre, verum etiam in successoribus longius constitutis, non bonorum possessionis petitionem, non cretionis solemnitatem cogitur custodire, qualicumque contento adita vel adenda hereditatis indicio, quanto magis pater talibus est vinculis exuendus. Quæ quidem verba planè poterunt ex superius traditis explicari, ut illa Plinii lib. 20. epist. de testamento Lurgi: Rogavit, inquit, testamento, ut hereditatem suam adrem, cerneremque ac deinde perceptis 50000. nummum reliquum omne Heracleotarum & Theanorum civitatibus redderem.

Ex quibus apud Gratianum c. ult. distinct. 1. legendum erit vel cretionibus, ubi falsò legitur curacionibus. Nam & apud ipsum Isidorum l. 5. c. 9. extat adhuc vera & integra lectio. Utitur elegantissimè hoc verbo Prudentius hymno de Epiphania:

Altrice te, summo patri,  
Haeres creator unicus,  
Homo ex Tonantis spiritus,  
Idemque sub membris Deus,  
Hunc & Prophetis testibus,  
Iisdemque signatoribus,  
Testator & sator jubet,  
Adire regnum & cernere.

Hinc & error constat Nonii Marcelli, qui cernere hereditatem interpretatur in hunc modum, ut filii dicantur cedere patrib. hereditatem.

## NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT X.

Cernere est verba cretionis dicere.

Et hoc differabant, hereditatem cernere, & pro herede se gerere, is quod qui pro herede se gereret, re tantum ipsa heredem se esse declararet, ut, si auctorem faciat, vel servis cibaria mandet, l. pupillus. 9. ff. acquir. vel omit. hered. VVesemb. Inst. de hered. & qualitat. & differ. §. item extraneus, litt. A. Cretionis & additionis hereditatis etiam Symbolum fuit digitorum percussio. Cicero lib. 3.

de offic. Ut digitorum percussione haeres possit scriptus esse, quemadmodum Aurestationis, aurium attractio Manumissionis palmæ ductus. Cujac. lib. 7. observat. c. 18.

Utitur &amp; alibi sæpè eadem dictione Cicero.

Extat apud eundem Cicero lib. 11. Epist. 12. ad Attic. insignis de Cretione locus: Galionis hereditatem crevi, puto enim cretionem simplicem fuisse, quoniam ad me nulla missa est, ubi cretio simplex dicitur cum è pluribus hæredibus scriptis unus cretione instituitur, reliqui sine cretione. Itaque cum nulla alia cretio ad Ciceronem perlata esset, ex eo conjiciebat neminem alium cum cretione institutum fuisse: & cretionem simplicem, id est, sui unius extitisse, ut ad eum Ciceronis locum observabat Simeo Bosius. Notus & locus ille, quem refert Auctor ad Herennium l. 4. in eum qui plurimas hereditates adiit, Prosperè tu qui plurimum cernis.

Hæc Varro: qui & lib. 5. ita inquit Cerno dictum à creo.

Libri tamen veteres sic habent, referente Scaligero, Dictum Cerno à Cereo; Cereo à Creo, à quo in Saliari carmine Cerus Manus, id est, creator bonus: atque hinc Ceres dicta, ut vult Festus, quod omnia creet.

## CAPUT XI.

## SUMMARIUM.

Inscriptio quedam, apud Gratianum expenditur, utraque ejus lectio restituitur.

Gratianus omnium, quos illa ætas tulit, vir diligentissimus: ex universalis Ecclesiæ, provinciarumque Synodis, nec non ex Augustin. Hieron. Chrysoft. & aliis aureum decretorum librum non vulgari industria concinnatum nonis relinquens magnam Juris divini & humani professoribus utilitatem ad eum comparavit, ut planè qui ejus lectionem vel omiserit, vel negligenter fuerit ingressus multarum rerum cognitione privatus, jure sit ex albo eorum delendus, qui Juris divini & humani professores censentur; Tot tamen scætet liber is mendis injuria temporum, ut sit de republica, ac re litteraria bene meritissimus censendus, qui huic auctori emendando ac corrigendo, totque maculis expurgando operam dederit. Nos equidem quandoque id facere constituimus, cujus laboris indicium fortassis, & in his quæ publica jam fecimus, & quæ dam vixerimus, typis tradentur, satis erit lectori cognitum; & tamen tercentum ferè locis jam animadversis ac restitutis, super sedendum fore decrevimus; quod nobis fuerit compertum, Antonium Augustinum Romæ huic negotio egregiam adhuc operam impendisse propè ad umbilicum. Cujus eruditioni, variæque lectioni ac diligentia cedentes, ut par est, minimè veremur aliquot loca expendere, dum plura difficilioraque ab aliis suo nitore restituta speramus, extat apud Gratianum inscriptio quedam, 31. qu. 2. c. de nepris. his sanè verbis: Idem Sacraris Regi Aragonum. Cui titulo, ut plerisque aliis parum fidendum esse censuit Joan. Vaseus, vir diligentissimus in Chronicorum Hispania priori Tom. c. 18. Et merito, cum ex Regibus Aragonum nullus nomen hoc unquam habuerit, nec alibi ejus mentio fiat. Nos locum istum ita castigandum esse censemus: Item Sanctio Aragonum Regi, Hujusque castigationis ea est non levis ratio, quod Anton. Beuter Canonigus Valentinus

res illius civitatis memoriales sermone Hispano eruditè ac studiosè describens, ejusdem histotiz meminit cujus ibi à Gratiano mentio fit, commemorans *lib. 2. cap. 8.* Sanctium Aragonum Regem strenuo cuidam militi, infimæ tamen fortis homini neptem vel ex fratre vel ex sorore, uxorem juramento præstiro despondisse, ob insignem Regi præstitam operam in rebus militaribus, quas Rex ipse præclare gessit adversus Christiani nominis hostes, qui tunc ex Arabum gente totam ferè Hispaniam occupaverant, ea verò sponsalia omni conatu neptem repudiasse, idque contigisse scribit anno fermè à Jesu Christi Redemptoris nostri nativitate 1083. Qua de re consultus postea summus Ecclesiæ Pontifex Urbanus secundus, qui promotus est ad summum Pontificatum, ut historici tradidere, anno 1087. Sanctio Regi respondit, non esse cogendam ejus neptem maritum accipere, in quem nec ipsa consensisset, nec consentire vellet. Qua ratione Pontificia responsio adscribenda est Urbano secundo, non Hormisdæ Pontifici. Nam etiam ejusdem quæstionis caput secundum Hormisdæ Pontificis sit, ad Eusebium Episcopum; id tamen responsam quia ex paleis est, deduci è medio debet, & caput tertium ac Sanctium Aragonum Regem destinatum adscribi debet Urbano, cujus illius quæstionis primum, idque ratio temporis maximè suadere videtur, siquidem Hormisdæ Pontifex summus ad eam fuit dignitatem electus anno Domini 517. quo tempore & multò post quingentis ferè annis, nondum habuit initium Regum Aragonensium principatus.

Denique Ivonem Carnotensem in *Pannonia libro 67.* præcitatus Gratiani locus adscribitur Urbano ad Sanctium Aragonum Regem. Quamvis in decreto Ivonis Lovanii opera Joan. Molina in lucem edito, falsò legitur: *Satino Regi Aragonum part. 8. cap. 24.*

NOTÆ

JOANNIS UFFELI J. C.

CAPUT XI.

Aureum decretorum librum non vulgari diligentia concinnatum.

Gratiani hoc decretorum volumen insignem & incomprehensibilem omnis antiquitatis & legislationis Ecclesiasticæ Thesaurum appellat Boër. Epo. Frius J. C. & Antecessor Duaci *lib. 2. de jure sacro. cap. 2. num. 92.* ubi & artem & ordinem ejusdem decreti probat, atque tria potissimum genera seu capita Decretorum exhibet, quorum primum Juris Ecclesiastici principia, fontes atque dignitatem unà cum cleri seu personarum Ecclesiasticarum præminentis & officiis, & universæ jurisdictioni Ecclesiasticæ præstantiam continet, (unde distinctiones sunt omnes 101.) Secundum, genera omnia causarum seu judiciorum, sub Ecclesiasticam jurisdictionem cadentium, & hinc causæ omnes 36. Tertium denique, ipsius Christianismi proprium quasi characterem, seu notam quamdam peculiarem, quo Deo toti conjungamur atque consecremur, ut per Sacramenta baptismi & confirmationis, & per Eucharistiæ sacrificiique mystici, tremendorumque mysteriorum participationem: diebus etiam festis atque j. juniis religiosè semper observatis, nec imaginibus Ecclesiæ contemptis: (unde tractatus de consecratione.) Ita Boër loco citato, & licet prædictum Gratiani Decretum maximam Juris tum divini, tum humani cognitionem tradat; tamen ut communis DD. habet schola, cum non probetur ab ullo unquam Pontifice

Didaci Covarr. Tom. II.

confirmatum fuisse, sed sola tantum consuetudine receptum, plus auctoritatis habere non censetur, quam per sese habeant auctoritates ipsæ, sive Pontificum, sive Conciliorum, sive quorumlibet scriptorum, ex quorum fragmentis Gratianus decretum suum concinnavit, adeò ut propriis ipsius verbis non insit major auctoritas, quam quantum ratio & æquitas per se patiantur, cum non plus Gratiano, quam Interpreti cui quam alteri, tribuatur. Boër. Epo. loco citato, num. 134.

Non locum istum ita castigandum esse censemus: Item Sanctio Aragonum Regi.

Congruenter his, in notis decreti Gratiani jussu Pontificis, Gregorii XIII. editi, ad verbum Sanctio legitur, *Sic est emendatum ex vetustis exemplaribus, Panormit. & historiis Regum Aragonum. Nam antea erat Sacratio* Consonant ea quæ de Sanctio Rege & Urbano Pontifice scribunt Marinæus Siculus *lib. 8. de reb. Hispan. sub tit. de Sanctio Aragonia Rege secundo, & seq.* Franc. Tarapha, *de regib. Hispanit. Sanctius Secundus.* Meminit & Sanctii secundi Damianus à Goes in *sua Hispan. cap. de genealog. Reg. Hispan.* ut ex fide quoque non videatur, quod apud Ivonem in *decret. part. cap. 24.* vox Santinus, reperitur.

Quia ex paleis est, deduci è medio debet.

Palea seu titulus quibusdam decretorum Gratiani capitibus præonitur, quod scilicet hæc addititia sint, nec à Gratiano primitus illi libro inserta; sed ab interpretibus, prout cuique commodum videbatur, ad marginem Gratiani adscripta, & plerumque in antiquioribus & emendatioribus exemplaribus ommissa. Cujus rei fidem facit quod refert Antonius Contius in *emendat. decret. Gratian.* qui se antiquum decreti Gratiani exemplar habuisse testatur, in quo pleræque paleæ deessent. Putat Boër. Ep. *de jurisditt. Ecclesiasticor. temporal. quest. 3. numer 31.* Paleas apud Gratianum sic à Leguleis quibusdam glossulariis fuisse vocitatas atque prænotatas: non quod à Gratiano capitula illa per se præclarissima fuisse prætermissa, sed quod ad oculos, & fatinas, vel panem lucrandum (ut vocant) parum conducerent, at liberalem dumtaxat antiquitatis Ecclesiasticæ scientiam continerent, à practicis illis parum attentam, ideòque nec glossularis per istos vestitam: unde & tritus ille verus.

Ex istis paleas, ex illis coll'go grana.

Sed de Paleis ita Cujac. *ad c. 1. de despons. e. impub.* Palea nomine significare puta t quod cassum est, & irritum, ut cassu palearum dixit Solinus c. de India. Itaque Paleam dici per contemptum canonem nullius fidei vel auctoritatis, ut apud Ioan. em. Cremenensem ad Abbatem Vspersensem Imp. Frederic. quò Alexandro tertio valdè infensus erat, post Alexandriam conditam in Liguria de nomine Alexandri tertii, eam paleam vocat quasi factam ex cassis palearum ex stramine. Equidem verius puto hoc nomen præponi antiquioribus canonibus & decretis, & scribi debere cum diphthongo Palea παλαιά quia in basilicis sæpè video παλαιον nominari simpliciter antiquum interpretem. Sic Cujac. loc cit.

## CAPUT XII.

## SUMMARIUM.

Apud eundem Gratianum de Iuliano Casarè quadam observatione digna adnotantur.

**V**Ndecima causa, & questione tertia, inquit Gratianus: Item Ambrosius, Iulianus Imperator, quamvis esset apostata, habuit tamen sub se milites, quibus cum dicebat, Producite aciem pro defensione Reipublice obediebant ei: cum autem diceret eis. Producite arma in Christianos, tunc cognoscebant Imperatorem eali. Hæc, inquam, Gratianus, nam apud divum Ambrosium in his operibus, quæ ejus titulo modo extant, & publicè typis traduntur, nondum potui locum illum deprehendere. extat tamen apud S. Augustinum in Psalm. 124. qui omnino legendus erit, eadem caus. & quest. §. Iulianus sub cap. Imperatores, ex eodem Augustino & Ivone Carnotensi part. 5. cap. 7. Verùm apud Gratianum illud est primùm observandum, Iulianum Casarè dictum fuisse apostatam ex eo, quod cum primùm in Cappadocia non longè à Casarea, cum Gallo Casare simul educatus & institutus ita fuisset à præceptoribus, ut non verbis modò, sed & factis, studium ardoremque in religione Christiana insigniter ostendisset demùm articulorum consuetudine adductus, ac Livanii Sophistæ, qui tunc Nicodemie ludum aperuerat (quam in urbem translatus erat Iulianus jussu Imperatoris Constantii) clam libris comparatis, cum ad eum accedere ei foret interdictum, eum Sophistam diligenter imitatur pietatem Christianam primùm abjecit, deinde à Maximo Philosopho, non Bizantio, sed Epheso, non mediocriter in imperandi libidinem articulorum sacris initiatus excitatur, & ad Christianismi odium perducitur. Quæ ratione in gravium rerum suspicionem cum Constantino incidisset, capite tonso ad eam suspicionem tollendam monachus factus est, atque ita, quem antea re vera receperat, eum falsò præ se tulit Christianismum, atque occultè Philosophiæ operam dedit, apertè autem in lectorum Nicomediæ ordinem lectus, sacras publicè legit litteras, donec adhuc superflite Constantino, & eo mortuo imperio potitus, tam impudenter religionem Christianam abjuravit, ut ipsum etiam pernegaverit Christum, ac repente simulationi quoque illa qua Christianum se esse fixerat, nuncio remisso demonum templa frequentaverit, sacrificans, simulque Pontificem seipsum appellans Gentilium mysteria, ritus & sacrificia, diesque festos Paganorum agere permiserit. Hæc sanè constant ex Socrate lib. 3. histor. Eccles. cap. 1. Theodoro lib. 3. cap. 2. Sozomeno lib. 3. cap. 2. Nicephoro lib. 10. cap. 1. 2. & 3. Cassiodoro in tripartita, cap. 1. 2. & 3. Sed & ipse Socrates lib. 3. cap. 14. Iulianum expressim apostatam appellat. Et quidem merito, cum & victimarum Gentilium sanguine sacrum baptismi lavacrum sibi absolverit, atque seipsum à mysteriis Ecclesiæ exauctoratum excluderet. Quod idem auctores tradidere, præsertim Sozomenus lib. 5. ca. 2. Chryostomus lib. uno contra Gentiles. Gregorius Nazianzenus in oratione 1. contra Iulianum. Nicephorus & Cassiodorus in præcitatis locis. Ex quibus intelliges, quæ D. Ambrosius in oratione de obitu Theodosii Imperatoris, de Iuliano ita scribit: Inde reliquos Principes Christiani præter unum Iulianum, qui salutis suæ auctoritate reliquit, dum Philosophia se dedit errori, inde Gratianus & Theodosius. Hæc Ambrosius. Sed & impius hic Iulianus eò furoris proventus erat, ut Christum per contumeliam Galicum appellaret. Hoc etenim nomine Iesum Christum,

& Christianos omnes cum ex convitio quodam appellasse, auctores sunt in histor. Eccl. Socrat. lib. 3. c. 12. Theodor. lib. 3. c. 8. & c. 21. Sozomenus lib. 5. c. 4. Cassiodorus in tripartita lib. 6. c. 44. & 47. Ruffin. lib. 10. histor. Eccles. cap. 35. Nazianzenus in dicta oratione. Ioannes Chryostomus libro uno contra Gentiles. Hieronymus in epistola ad magnum oratorem, & Nicephorus lib. 10. cap. 4. & 20. Impietatis & blasphemie temerarius hic Princeps tandem pœnas dedit, divina ultione punitus: quippe qui in bello Persico prope Ctesiphontem urbem, incertum an ab hoste vel à suis fuerit occisus, & ore proprio divinæ majestatis iudicium confessus dixerit, quum à vulnere cava manu sanguinem hausisset, atque eum in cælum, veluti in Christum conspiciens, coniecisset, perinde atque cædis suæ causam in eum referret, calamitatis auctorem intel ligens, *Vicisti, Galilæe, vicisti*, sicuti commemorant Theodoretus lib. 3. cap. 25. Cassiodorus in Tripartita lib. 6. cap. 47. & Nicephorus li. 10. cap. 35. qui & illud refert Iulianum jam moriturum, anima secedente à corpore, divinitus quodammodo quàm pro hominum captu potuit, oculos intendisse ita, ut Christum viderit, & exclamasse: *Saturare, Nazarene*. His equidem rationibus constat, jure dictum fuisse Iulianum apostatam, quo nomine ignominiosè eum appellavit Marius Chalcedonensis Episcopus ex oculorum suffusione cæcus manu à puero eò ductus, ubi Constantinopoli Fortunæ in Basilica, in qua ejus deæ statua collocata fuerat, ipse Imperator sacrificaret, auctoribus Cassiodoro lib. 6. tripartit. cap. 6. Socrate lib. 3. cap. 12. Sozomeno lib. 5. cap. 4. & Nicephor. lib. 10. cap. 20. Ex quibus apparet, Iulianum eidem Episcopo respondisse, non tantùm posse eum, quem ille coletet, Galicum, ut cæcitati ejus mederetur. Cui Episcopus magna cum dicendi libertate occurrens, Gratias, inquit, ago servatori meo Deo, qui, ut visum amitterem, curavit, ne impurissimum vultum tuum ad impietatem declinantem conspicerem. Verùm & ante Iulianum Imperatorem, Christianos diolos vulgò fuisse à Gentilibus Galicæos, deduci poterit ex Arriano de Epicteto lib. 4. cap. 7. Nam & Christus vocatus est Galicæus *Matth. cap. 26.* ex eo, quod frequenter versatus est in Galicæa *Ioan. cap. 4.* aut propter Nazareth. & Capharnaum, in quibus habitabat, *Luca 2. & 4.*

Secundò observandum erit, Iulianum Casarè apostatam, & Parabatem, milites Christianos habuisse, qui pro imperii Romani majestate sub eo militarunt, quos tamen dolo ad deorum Gentilium sacrificia, donativo ea de causa dato, pellicere tentaverit, ut accepto donativo simul & thus acciperent, idque adolerent ad ipsius Iuliani imagines ex veteri instituto, quibus Jovis, Martis, & Mercurii erant insuper depictæ. Quo quidem dolo cognito penitentes milites donativum Imperatori restituerunt, & Christianismum liberimè cum martyrii affectione profitentur: quos Imperator ita quidem commotus, à cæde abstinens exauctoratos ex aula Imperiali exegit. Cujus rei auctores Sozomenus lib. 5. cap. 17. Cassiodorus lib. 5. tripartit. cap. 30. & Nicephorus lib. 10. cap. 23. Justè verò posse Christianos milites, qui Pagano Principi subditi sunt, eo imperante militare, modò bellum sit justum, aut justum præsumatur (quod in dubio ita est accipiendum) ex eodem cap. adnotantur illic Dominic. Præposit. Cardin. sancti Sixti, Hugatio, & veteres quidam: quibus mirè patrocinatur divus Augustinus lib. 22. contra Faustum Manicheum cap. 75. à Gratiano relatus in cap. quid culpatur. 25. quest. 1. Cujus verba hoc in loco obiter subjiciam, quia penes Gratianum non planè ac sincerè leguntur. *Cum ergo vir justus, si forte sub Rege, hominibus etiam*



etiam sacrilego, milites, rectè possit illo jubente bellare, civica pacis ordinem servans, cui quod jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit certum non est: ut fortasse rem Regem faciat iniquitas imperandi innocentem autem militem ostendat ordo serviendi. Hæc Augustinus. Ex quo in specie idè probat Paris Puteus in tract. de re militari lib. 2. q. 11. quo in loco tractat, an Christiani possint licitè milites infideles in eorum auxilium vel ut sub eorum vexillo & ducatu militent, stipendio conducere, & in bellum adversus Christianos frequenter sub Pagani Imperatoribus olim militasse satis constat lectori ex varia veterum historicorum lectione. Nam & Christiani milites sub M. Aurelio Antonino merentes in summa siccitate, rerumque omnium extrema inopia genibus flexis, Dei opem implorantes, hostibus fulmina, M. verò Antonini militibus & exercitui pluviam precibus à Deo impetrarunt. Ex quo hostibus maximè territis, ipsis mirum in modum recreatis bellum Marcomanicum Sarmatis, Vandalis & Quadis extinctis, Pannoniisque liberatis, confectum est; quemadmodum scripsere Tertullian. Apologetico, cap. 5. & in lib. ad Scapulam. Eusebius lib. 5. Ecclesiast. histor. cap. 5. Paulus Orosius lib. 7. cap. 15. & Nicephorus lib. 4. cap. 12. Extat & ipsius M. Aurelii epistola post Justinii Martyris orationem secundam pro Christianis, in qua ipsemet Imperator victoriam istam præcibus Christianorum se obtinuisse fatetur. Cujus rei & profani historici, nempe Julius Capitolinus, & Dion Nicæus in M. Aurelio, & ex nostris Eutropius meminere, miraculum hoc Christianorum precibus contigisse ferè supprimentes, tamen Xiphilinus idem quod Eusebius tradiderit, tribuens id legioni Melitanæ, quo nomine & ab Eusebio Christianorum legio ista vocata est, ab urbe Melitana, in qua forsitan stationem habuerat, cujus urbis mentio fit à Nicephoro lib. 7. cap. 7. Sed & is auctor in dict. cap. 4. commemorat post Eusebium, hanc legionem prærogativa quadam apud Principem in exercitu obtinuisse locum, & ab Imperatore nomen *καρπυνοκόλας* id est fulminatricis, habuisse. Eiusdem nominis meminit idem Xiphilinus in M. Aurelio: tamen constat tempore Augusti ex Romanis legionibus unum hoc idem nomen habuisse, quod Dion memoriæ tradit in lib. 55. existimat tamen Xiphilinus ex eo, Dionem meminisse hujus legionis hoc nomine, quòd jam ejus ætate nomen hoc ab ipso M. Aurelio Antonino obtinisset. Sed & sub Maximiano Imperatore militavit ex Christianis Thebæorum legio, quæ à Thebis Ægyptiis missa fuerat, & cum Imperator in Sedunorum finibus iussisset, milites exercitus Diis Genilium sacrificare; hæc equidem legio è reliquo agmine discessit, ne impiis sacrificiis interesset, quod graviter tulit Imperator, ipsisque militibus constanter respondentibus, se Christianos esse, & à talibus sacrificiis religione, à qua minimè sibi esset discedendum, prohiberi, ira odioque in Christianos accensus, Thebæorum legionem pœnas dare jubet decimo quoque milite trucidato: quam pœnam semel & iterum Christiani auctore Mauricio, subire maluerunt, quàm imperata facere. Postremò Maximiano non ferente Christianorum constantiam, universi milites à reliquo exercitu illius imperio conciduntur. Erat etenim apud Romanos vetus militaris disciplinæ institutum, ut quoties legio aliqua, & militum multitudo deliquisset, præter centuriones signiferosque, reliqui decimo quoque ad supplicium sorte lecto, punirentur. Quod satis deducitur ex Livio libro secundo decadis 1. Cicerone in oratione pro Aulo Cluentio. Dionysio Halicarnassæo libro 9. Plutarcho in Crasso, Sozomeno lib. 5. Ecclesiast.

hist. cap. 9. & Nicephoro lib. 10. cap. 8. Ex quibus constat, quid apud veteres auctores sit, decimare milites, ac rursus decimare populum, cujus punitionis iterum Plutarchus meminit in Marco Antonio. Poterit lector de hac Thebæorum legione, & ejus martyrio his addere, quæ scribit Wolphgangus Lazius lib. 5. de Roman. repub. cap. 8. & lib. 4. cap. 8. multa de suppliciis militaribus. Etenim Cornelius Tacitus lib. 3. & lib. 18. Appianus Alexandrinus lib. 2. & 3. bellorum civilium, decimationis militum meminere, sicut & centesimatio- nis Capitolinus in Marino, ac rursus decimationis, idem Frontinus in quarto, ac Polybius in libello de castrametatione Romana.

NOTÆ  
JOANNIS UFFELI J. C.

CAPUT XII.

Juliani Cæsaris res gestas, facinora, vitam & interitum, ne historias describam, videre licebit apud Petr. Mexiam in vit Imper. sparsim etiam de eo varia in Theatr. vit. human. Sed exactissimè omnium Illustriss. Baronius Annal. tom. 4.

Quòd si non ex omni parte juxta illorum ritus vivunt, aut tempori id adscribendum est, aut finitimorum populorum, qui se iis immiscuere, confusio.

Scribit Cospinianus, dissidentibus inter se Sarracenis Margineth Principem Pectidis & Mediæ; contra Imbraclem item Sarracenum Babylonis Principem, auxilia Turcorum è Caucasi portis accersisse, eosque victoria potitos, Sarracenos ad eam desperationem deduxisse, ut Mahometi fide ab his recepta passi sint eos in Perfide regnare atque unius fidei vinculum ita utramque gentem copulasse, ut Sarraceni pro Turcis, & contra Turci pro Sarracenis, indiscreta appellatione aliquando vocati sint: Nunc Turcorum nomen invaluisse altero penè abolito.

Verfic. Secundò observandum erit.

Vetus militaris disciplinæ institutum.

Statim enim post exactos Reges Appius Consul cum exercitus Capita capite punit, cetera verò multitudo sorte decimus quisque ad supplicium lecti. Liv. li. 11. Quæ decimationis lex propria Romanis, & patria Dionysio dicta est, l. 9. quod ex Appiano etiam constat, dum Cæsarem alloquentem turbidos milites introducit. *Vtæ lege patria, & nona legionis, quoniam ea seditionem maximè cepit, decimum quemque ad mortem ducam.* Vigesimalio interdum, imò & centesimalio adhibita. Capitol. in Opilio Cum seditiones militares pateretur, multo sæpius decimavit, aliquando etiam centesimalio: quod verbum proprium ipsius est, cum se clementem diceret, quando eos centesimalio qui digni essent decimatione atque vigesimalio: & hæc eo scopo [quemadmodum tradit Polyb. de castramet. Roman.] ut periculo & metu à sorte aequaliter omnibus impendente, & exemplo dati hordei ad omnes perveniente plurimum ex eo more caperetur & terroris, & correctionis. Sed & Cicero in Cluentiana hanc causam expressit: *Statuerunt majores nostri, ut, si à multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam adnumeraretur, ut metus videlicet ad omnes, pœna ad pauciores perveniret.* Plura de his ac cæteris militum pœnis, vide apud Lips. de milit. Roman. lib. 5. Dialog. 18. ad Polyb. ibi: *quòd si plures peccasse contingat.* &c. Franciscum Luisinum lib. 3. parerg. c. 9.

## CAPUT XIV.

## SUMMARIUM.

*An vera sint qua de Anastasio II. Romana Ecclesia Pontifice Gratianus tradit.*

**D**ecimanna distinctio c. penult. hæc Gratianus refert ex libro Pontificali: *Anastasius secundus natione Romanus fuit tempore Theodorici Regis. Eodem tempore multi clerici se à communione ipsius abegerunt, eò, quòd communicasset sine consilio Episcoporum, vel presbyterorum, & clericorum cuncta Ecclesia Catholica, diacono Thessalonicensi nomine Photino, qui communicaverat Acacio, & quia voluit, occultè revocare Acacium, & non potuit, nutu divino percussus est.* Hæc Gratianus. Addit interpres: *Quia dum assellaret, emisit intestina.* Sed & hæc in Anastasio secundo Platina & Volaterranus li. 22. tradidit ex Gratiano, vel ex libro Pontificali. Idem Gratianus hoc repetit i. q. 1. c. dictum ex gestis Romanorum Pontificum.

Cæterum Albertus Pighius lib. 4. de Ecclesiæ hierarch. c. 8. multam adversus Gratianum candescit in iram, pio quidem animo & ferventissimo in Apostolicæ sedis majestatem zelo: quippe qui omni conatu contendat, summos Pontifices, qui post Petrum sedem illam obtinere, à labe heresi prorsus immunes fuisse. Nos missa modò facimus, quæ doctissimus ille vir de aliis Pontificibus tractat, ea etenim nunc pertractare nostri non est instituti, hæc tantum Gratianum errorem, ipsum secuti, conabimur planè ac funditus evertere, lectorem admonentes, quod non semel fecimus in his que ad fidem historiæ pertinent, non esse omnino Gratiano credendum, imò alios auctores legendos fore, quorum sit fides apud viros doctos in hac re diu probata & recepta. Etenim falsa esse, quæ de Anastasio Pontifice Gratianus commemorat, primùm ex eo constat, quòd cum Fœlix hujus nominis tertius Romanæ Ecclesiæ Pontifex Acacio Constantinopolitano Præsuli condemnationis sententiam, qua dignitas ei abrogaretur, misisset, ipseque Acacius mente sensuque omni captus Pape nomen à sacro albo exemisset, animo & corpore victus, brevi post communem omnibus ingressus est viam, mortemque obiit adhuc vivente Fœlice, quemadmodum observari poterit ex Evagrîo li. 3. cap. 18. & c. 23. & Nicephoro li. 15. cap. 17. Atque ideo minimè potuit Anastasius Acacium revocare jamdudum rebus humanis exemptum. Siquidem Acacius vita functus est sub Fœlice, cui successit Gelasius, & huic post annos sex Anastasius. Idem probatur ex ejusdem Athanasii ad Anastasium Cæsarem epistol. quæ prima est ex Anastasii secundi epistolis: quo in loco ipse Pontifex asseverat, Acacium jam dudum mortem obiisse.

Deinde illud est observatione dignum (ut obiter adnotemus, Gratianum quandoque eos auctores, quos citat, pravè intellexisse) nil in epistola ad Cæsarem, Anastasium Pontificem in patrocinium Acacii scripserit, cum omnibus viribus conatus fuerit, tam litteris, quam nunciis, ut ejus nomen & memoria à Catholica Christi Ecclesia aboleretur Imperatori Acacii memoriam defendi multis rationib. ostendens, ob graves intolerandosque excessus, & cæta facinora, justissimè damnatum eum fuisse à sede Apostolica. Quod apertissimè deducitur ex epistola Anastasii ad Cæsarem missa, cujus fragmentum idem Gratianus retulit in c. secundum Ecclesiæ dist. 19. & in d. c. dist. 1. q. 1.

Sed & quod Gratianus in Anastasio notat, D. Augustinus sæpissimè tractat, ut pium, orthodoxum

& Catholicum. Nec enim Sacramentorum aut Baptismi, aut Ordinis, nec jus dandi Sacramenta quoad characterem amittit hæreticus, aut schismaticus. Idèd non licet à Catholico Sacramentum vel Baptismi, vel Ordinis repeti, quamvis fuerit ab hæretico Episcopo vel sacerdote collatum. Quæ ratione correcto hæresis vel schismatis vitio, non est Baptismus vel Ordo repetendus. Quemadmodum obtentum ac receptum est ab Ecclesia Catholica. Præsertim non erant infirma, nec irrita Sacramenta, quæ fidelis & orthodoxus populus in unione manens Ecclesiæ Catholicæ, acceperit à proprio Episcopo, nec hæretico, nec schismatico, sed qui ob alios excessus excommunicatus fuerat. Est igitur hæc vera & Catholica sententia, quæ probatur, non esse Sacramentum Ordinis, Baptismi & similis repetenda, licet data fuerint ab hæreticis & schismaticis, ubi ad Ecclesiæ unionem redierint, qui baptizati fuerint, vel alia Sacramenta ab hæreticis acceperunt. Quod longiùs tractavere gloss. & Card. S. Sixti in d. cap. secundum Ecclesiæ. Alfonf. à Castr. li. de hæresib. in verb. baptismus, hæresi 5. textus opt. in c. à quodam, de consec. dist. 4. tradit S. Thom. part. 3. qu. 67. art. 5. Thom. Waldens. de sacrament. c. 4. 5. 6. & seq. Magister sent. in 4. dist. 6. ubi S. Thom. q. 2.

Idque ita accipiendum est, ut planè verissimum sit, ubi debita baptismi forma fuerit servata. Alioqui baptizandi sunt, qui ad Ecclesiam Catholicam redierint. Sic D. August. in lib. de hæres. Paulianos, inquit, baptizandos esse in Ecclesia Catholica Nicæno Concilio constitutum est. Extat Concilii Nicæni decretum c. 19. cap. si quis. & c. Paulianista. i. q. 1. ex Innocent. epistol. 22. c. 5.

Ex quibus palàm deprehenditur manifesta calumnia Gratiani, qui nescio cujus testimonio, ausus fuerit adversus summum Ecclesiæ Præsulem, eumque Catholicum, constanter asseverare, contra Fœlicis, & Gelasii decreta, voluisse Anastasium ad Ecclesiam revocare impium Acacium, qui jamdudum mortem obierat, & cujus memoriam ab Ecclesia Catholica deleri in eadem epistol. Cæsari persuadere conatur; manifesto judicio, Fœlicis sententiam, quæ Acacium damnaverat, egregiè laudans, tantum non propria subscriptione lectus. Eodem sanè jure vera sunt commenta, quæ de punitione divina ipse Gratianus non semel impiè ac temerè videtur effutire, & quæ Barbarus interpres adjecit, ex quibus Platina & Volaterranus eandem fabulam, ut opinor, mutò accepere, & Card. à Turrecremata in summa de Ecclesiæ lib. cap. 109.

## NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT XV.

Versic. Sed &amp; quod Gratianus.

Est igitur hæc vera & Catholica sententia, quæ probatur non esse sacramentum Ordinis, Baptismi, & similia repetenda: licet data fuerint ab hæreticis & schismaticis, ubi ad Ecclesiæ unionem redierint, qui baptizati fuerint, vel alia sacramenta ab hæreticis acceperunt.

Consonat Concil. Trid. canon 4. Tit. de baptism. sess. 7. Ant. Cucchius I. stit. Jur. Canon. lib. 3. de baptism. tit. 20. Henric. Canif. in summ. Jur. Can. lib. 3. tit. 3. Navarr. in Manual. c. 22. tit. de Sacrament. baptism. n. 7. Toletus in summ. lib. 2. c. 20. In hæc verba: *Minister verò secundum communem Dei legem est homocujusque sexus, sive vir sive femina, sive hermaphroditus;*

cujus-

cujusque ætatis, sive puer habens tamen usum rationis, sive juvenis, sive senex; cujusque status, sive laicus, sive Ecclesiasticus; cujuscumque conditionis, sive liber; sive servus cujuscumque vite, sive Judeus, sive Paganus, sive alius quivis infidelis, cujuscumque moris, sive peccator, sive non, sive præcisus ab Ecclesia, sive non. omnes isti possunt baptizare. Tamen in omnibus est necessaria intentio debita faciendi id quod facit Ecclesia, uti diximus. Unde licet infidelis non crederet se quidquam boni facere, & cum irrisione faceret, si tamen ad petitionem baptizandi baptizaret, intendens id facere quod facit Ecclesia Christiana, vel ut ille petit, verè baptizaret. Quæ omnia ita se etiam habere circa Sacramentum Confirmationis & Ordinis, colligitur ex Concilio Florentino & eodem Tridentino, quæ dicunt absolute Episcopum esse ministrum ordinarium utriusque Sacramenti. Episcopus autem hæreticus, præcisus, & degradatus, est verè Episcopus; est etenim character & consecratio Episcopalis indelebilis, actus verò collationis horum Sacramentorum pender à potestate ordinis Episcopalis: qua durante prohiberi talis actus ab homine nequit; quo minus valide fiat: quamvis non licite, quod intellige, modo ad fuerint omnia requisita, putà intentio, materia, forma, &c. Quod verò de malis ministris aut peccatoribus obiter insinuat Toletus, paucis notandum est, per malos ministros Sacramenta quævis verè conferri posse, ita ut in suscipiente non ponente obicem, effectum suum sortiantur, dummodò iterum applicent omnia ad Sacramentum necessaria. Cujus contrarium docuerunt olim Donatistæ, Luciferiani & VValdenses; sed doctrina nostra est fidei, probata ex perpetua Ecclesiæ traditione & definitione. Traditionis antiquæ testis est Vincent. Lirin. & Augustin. lib. 1. de baptismo, c. 17. & 18. Idem definitum in Conc. Carthagenens. l. cap. 1. & in Trident. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere. & idem prius definitum fuit in Concil. Constantiens. sess. 8. ubi damnantur articuli Hus, inter quos erat hic error, malos ministros, sive in mortali peccato existentes, carere omni potestate. Rationem assignat D. Thom. p. 3. q. 64. art. 5. in Corpore, voluntatem Christi Sacramenta instituentis, ut qui ministris suis generalem dederit facultatem, quæ à nobis restringi non potest ad sanctos & bonos, Deinde, ministri Ecclesiæ instrumentaliter tantum operantur in Sacramentis: instrumentum autem agit secundum virtutem ejus à quo movetur; qui in casu præsentis est Christus, à quo Sacramenta efficaciam habent. Addit nihilominus art. 6. idem Thomas, estque certum, peccare mortaliter Christi & Ecclesiæ ministrum, ex officio ad ministrandum Sacramentum deputatum, si in peccato mortali existens illud dispenset: & docent communiter omnes: talem teneri ad veram contritionem, & si attritionem solam agnoscat, teneri præmittere confessionem. Debet namque talis se disponere ad functiones illas quæ sibi ex officio incumbunt; & ad laborare ut sancta sanctè tractentur, quomodo in Exod. c. 19. Deus olim voluit, ut sacerdotes qui ad dominum accederent, sanctificarentur, ne eos percuteret.

Textus optimus in eap. à quodam, de consecrat dist. 4.

Extant item in hanc sententiam textus, causa 1. q. 1. cap. quod quidam c. hi qui baptisma, cap. Paulianista. §. alii formam, causa 24. qu. 1. cap. mirantur, §. objicit tamen cap. subdiaconus, §. potest tamen illud, item de consecrat dist. 4. c. Romanis, c. si quid apud, cap. quamvis, c. si revera, c. ostenditur, c. hi de quibus, cap. nullus autem, cap. quomodo exaudit, cap. non in vobis, c. ab antiqua, c. Ecclesia, c. nunc autem, c. sive hæreticus.

## CAPUT XIV.

In Gelasii Papæ responsum observationes quædam de Canonicis libris & Apocryphis.

## SUMMARI A

- 1 Canonici libri qui dicantur, & qua ratione nobis cognitum sit, eos esse Canonicos.
- 2 Ecclesia non potest novum articulum fidei constituere, nec item ipse Romanus Pontifex.
- 3 Sapientia & Ecclesiasticus Canonici libri sunt, quamvis ea de re fuerit olim controversum.
- 4 Job liber à quo fuerit scriptus, & Tobia liber an olim fuerit Canonici?
- 5 Libri Esdra, Hester & Judita an fuerint apud Hebræos Canonici?
- 6 De Persarum Regibus ex Metasthene, Philone, & Græcis historiographis, ad sacra Scriptura intelligentiam.
- 7 De Machabaorum libris.
- 8 De Prophetarum libris, qui fuerint Canonici.
- 9 Ordo librorum novi Testamenti, & de quibus apud veteres Theologos fuerit olim dubitatum.
- 10 De Ecclesia Catholica, & quid hoc nomen significet.
- 11 Primatus Petri, & Ecclesia Romana à Gelasio ex divino elogio deducitur.
- 12 Petri & Pauli Apostolorum martyrium.
- 13 De quatuor Patriarcharum sedibus, & quo ordine fuerint olim connumerate.

Gelasius summus Ecclesiæ Pontifex hujus nominis primus, ad eam dignitatem electus anno fere 494. 70. eruditissimis & Catholicis Episcopis ad se vocatis; eorumque consultatione prævia, de recipiendis, vel non recipiendis libris tractare Romæ conatus, ea de re insigne decretum edidit, in eaque Synodo Christianam religionem profitentibus exhibuit, quo maximè scirent, quibus libris quæ ad fidem pertinerent, probanda forent, & à quibus in his quæ de fide disputantur, esset abstinendum. Extat id decretum integrum in primo conciliorum Tomo, & apud Burchardum VVormatiensem Episcopum lib. 3. c. 217. tametsi Gratianus ejus prima parte omissa, idem 15. dist. tradiderit. Nos ad ejus interpretationem, cum & ea sit admodum utilis & necessaria Juris divini & humani studiosis, prænotandum esse censemus, scripturas, seu libros de rebus Ecclesiasticis tractantes, in tria genera distingui. Primi etenim generis libri sunt, qui Canonici censentur, Secundi generis sunt Hagiographi. Tertii verò Apocryphi.

Canonici libri dicuntur omnes Scripturæ, quas recipit Ecclesia, ut publicè legantur in edificationem fidelium, & ex quibus sumatur efficax argumentum ad probandum ea, quæ fidei sunt, & ad fidem pertinent, quibusque uti debemus ad hæreses, earumque auctores expugnandos. Sunt etenim hujus generis Scripturæ divinæ quidem, quas homines quidam Deo inspirante scripserunt, imo quas Deus ipse manibus hominum scripsit, nec eis magis quam Deo earum auctori refragari licet. Has Canonicas appellamus non alia ratione, quam quod fuerint hæ Scripturæ ab Ecclesia probatæ & in canonem divinarum Scripturarum receptæ: siquidem Ecclesia juxta sensum, quem statim exponemus regula est firmissima & constitutissima ad discernendum ac diducendum, quæ sit scriptura Canonica, auctore Augustino libro uno contra epist. Manichæi, quæ dicitur Fundamenti. Is enim inquit c. 5, Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Catholica Eccle-

*Ecclesia commoveret auctoritas.* Idem ferè tradit *lib. 18. contra Faustum, c. 4.* Quibus verbis satis docet D. Augustinus, nullam Scripturam esse authenticam, aut Canonicam, sine auctoritate Ecclesie, cujus membra fuere Canonici scriptores. Nec aliunde potest quis scire, Scripturas esse divinas, aut Canonicas, quàm ex Ecclesia: quæ traditionibus Apostolicis, magisterio Spiritus sancti, ejusque lumine edocta, decrevit & professa est Canonicum esse Evangelium Marci, qui Christum non vidit: nec tamen admisit Evangelium Nicodemi, qui Christum vidit, & audivit, ut Joannes c. 3. testatur. Atque hæc vera esse multis rationibus, & ex veteribus auctoribus, probare conantur, & probant Joan. Eccius in *Enchiridio cap. 1.* Driedonius de *dogmarib. Eccles. lib. 1. cap. 1. & lib. 4. c. 4.* ex Irenæo, & Augustino. Alfonso à Castro *lib. 1. de hæresib. cap. 5.* Illud verò est in hac questione potissimè observandum, propriè ac simpliciter, nec Canonicam Scripturam auctoritatem sumere ab Ecclesia, nec Ecclesiam à Canonicis Scripturis. Utriusque etenim auctoritas est à Christo, cujus spiritu dictatæ sunt Scripturæ, & efficax est Ecclesia, atque ideo in hunc sensum opinor accipiendum esse, quod modò asseveravimus, nullam scilicet Scripturam esse authenticam aut Canonicam sine auctoritate Ecclesie, ut intelligamus, penes Ecclesiam Catholicam esse jus hoc declarandi, ac denunciandi quæ Scripturæ sint Canonicæ, authenticæ; & divinæ dictatæque à Spiritu sancto. Unde Scriptura Canonica testimonium est Ecclesie ex Spiritu sancto testificantis. De quo tractat diligenter Michael Medina *lib. de relecta in Deum fide, c. 18.* Nec posset Ecclesia dare auctoritatem & vires divinæ Scripturæ, ei quidem Scripturæ quæ divina non est. Hoc enim ex Ecclesia habemus, ut sciamus, quæ sit Scriptura divina, & tenemur eam Scripturam divinam censere, quam Ecclesia divinam esse definiert. Quæ tamen, quamvis certò definiat, nec falli possit, sua definitione non efficit illam Scripturam esse divinam. Nam ideo illam divinam esse professa est, quia verè divina erat: quòd si divina Scriptura non esset, Ecclesia minimè divinam esse pronunciaret. Comperto etenim ex testimonio Ecclesie, quæ Scripturæ sunt sacræ & divinæ, ex se ipsis habent divini ac Canonici libri, ut per omnia eis credere teneamur. Imò Catholica sanctaque Romana Ecclesia divinis Scripturis non tantum testimonium exhibuit testis, qui cogere non potest, officio functa, & testificata, illas esse divinas; sed & judiciali auctoritate judicavit illas debere recipi, idque fecit magisterio Spiritus sancti, quo pollebat, per traditionem erudita.

Sic pari ratione Ecclesia, ¶ vel summus Pontifex non posset novum articulum fidei constituere, aut efficere aliquam assertionem esse Catholicam, quæ antea Catholica non fuerit. Quod manifesta ratione comprobant Alfonso à Castro *lib. 1. de hæresi. cap. 8.* Joan. Arboreus *lib. 5. Theosophia, c. 10.* ex nostris Fel. in *cap. quæ in Ecclesiarum, de consuet. num. 23.* quamvis Abbas contrarium scripsit in *cap. cum Christus. de hæret.* cujus opinio, licet maximo conatu ab Alfonso de Castro, & Arboreo improbetur, fortassis eum sensum habuit ab auctore, quo vera possit censerì. Potest enim esse aliqua de fide assertio, quæ etsi Catholica sit, tamen, quia non constat manifestè ex sacra Scriptura, nec est ab Ecclesia definita: interdum laet, non efficit eum hæreticum, qui contrarium asseveraverit donec ab Ecclesia sit definitum, illam assertionem esse veram, & de fide. Solent enim esse plures in interpretatione sacræ Scripturæ opiniones, quarum nulla hæretica est, donec Ecclesia divino auxilio contrariam ex reconditis sacræ Scrip-

turæ sensibus probaverit. Sic in *cap. damnamus. de summa Trinit.* Abbas Joachim non damnatur, nec censetur hæreticus, licet ejus dogma ex Sacris Scripturis, ab Ecclesia damnetur. Ecclesia verò, licet non possit facere, quòd quædam assertio sit hæresis, quæ prius hæresis non erat, quod satis à præcitatæ auctoribus probatur; potest tamen efficere, ut nobis per suam censuram pateat, illud esse hæresim, quòd antea nos latebat: an merito hæresis dici posset. Qua ratione fit, ut verè possimus assertionem istam quæ modò ab Ecclesia tanquam fidei Catholicæ contraria improbat, & hæresis censetur, ante definitionem Ecclesie etiam hæresim fuisse, tametsi prius quàm Ecclesia definiret, ejus opinionis assertores hæretici minimè dicebantur, quia nos latebat, an ea esset opinio contraria fidei Catholicæ; modò verò post Ecclesie definitionem hæretici dicerentur, quicumque eam sententiam probaverint & receperint: non quod eorum opinio prius falsa non fuerit, Catholicæ fidei contraria, & hæresis; sed quia nomen hoc hæreticorum, infame quidem & ad crimen istud gravissimum pertinens, exigit profectò pertinaciam & rebellionem quamdam à Catholicæ Ecclesie definitionibus dissidentem, quæ verè dici non poterat, eo tempore, quo dubium erat, nec Ecclesia definierat, an ea opinio esset religioni & fidei contraria. Quod est hac in re semper, ac præsertim adnotandum. Denique cum Ecclesia possit modo aliquam assertionem pronunciare ac declarare Catholicam esse, & ad fidem pertinere, quæ & antea vera quidem erat, Catholica, & ad fidem pertinens: latebat tamen non hæc de fide veritas propter varias opiniones, reconditumque, & arcanum sacræ Scripturæ sensum: atque ideo contrarium asseverantes, ante declarationem Ecclesie hæretici minimè censebantur, dici poterit, penes Ecclesiam esse potestatem istam declarandi Catholicam esse aliquam assertionem, & pronunciandi eam ad fidem pertinere, ad eum effectum, ut post Ecclesie definitionem ea assertio ita manifesta sit de fide, ut planè hæreticus pertinax sit censendus, qui contrariam secutus ab ea discesserit; tametsi ante Ecclesie definitionem, licet verissima fuerit & Catholica assertio, propter dubiam ejus rei & controversam disputationem, hæreticus jure dici non poterat, qui contrariam probasset, & secutus fuisset. Unde ratione & causa hujus declarationis, ea qua hæreticus post Ecclesie definitionem censetur, qui prius non poterat hujus criminis nomine notari, admitti poterit Abbatis opinio in hoc sensu, ut Ecclesia possit modò & novissimè declarare aliquid esse de fide & Catholicum, ad effectum ut nihil ea de re controversum sit absque hæresis labe, quod tamen prius occultum erat; eaque ex causa non poterit hæreticus censerì, qui vel contrarium asseruisset, vel de ea re dubitasset. Sic sanè D. Thom. 1. *part. quest. 32. art. 4.* scribit, multa nunc censerì hæretica, quæ prius hoc nomine minimè notabantur, propterea quod nunc ex Ecclesie definitionibus magis manifestum sit ea esse contraria fidei, aut ex eis aliquid fidei contrarium necessario deduci. Idem adnotavit Cajetan. Hinc ab hæresis labe, qua ex parte nomen hoc criminis gravissimi notam inurit, excusari solent plures Lactantij Firmiani, Origenis, & aliorum veterum errores. Nam quamvis verè tunc fuerint errores contra Catholicam fidem, eorum auctores ab hæreticorum nomine plerumque eximuntur, quòd nondum eo tempore admodum manifesta erant, quæ postea de fide Ecclesia Catholica definivit, & in publicum tradidit. Hinc denique poterit lector expendere, quo in sensu accipienda sint, quæ Card. à Turre Cremata scribit *lib. 4. de Ecclesia c. 3. parte 2.* asseverans, Ecclesiam non posse efficere de propo-

tionem non hæreticam hæreticam. Idem tradit Alphons. à Cast. in d. c. 8. & Alber. in rubr. de hæret. q. 3. num. 23. Ecclesia etenim non potest in his, quæ ad fidem pertinent, facere assertionem aliquam falsam modò esse, quæ priùs vera fuerit, nec è contrario Erraret equidem, quòd est ab Ecclesia Catholica in rebus fidei omnino alienum. Potest tamen Ecclesia efficere, per ejus in re olim ambigua & controversa definitionem, aliquam assertionem modò hæreticam esse & censerì, quæ priùs nec erat, nec censebatur hæretica quod S. Thomas satis docet in d. art. 4.

Canonicos verò libros ex Gelasio, juxta litteram ipsius decreti subjiciam. Primùm veteris Testamenti, deinde Novi, Obiter tamen adnotabo, quæ fuerit apud veteres ea de re controversia, & quid de his libris, & aliis qui Canonici sunt, ab Ecclesia Catholica, à Conciliis provincialibus, à summis Ecclesiæ Doctoribus, sit ad Concilium usque Tridentinum definitum. Eisdem & similibus utar observationibus in explicandis reliquis Gelasiani decreti partibus, in quibus, de Hagiographis & Apocryphis agitur libris.

## Ordo veteris Testamenti

**G**enesis liber unus. Exodi liber unus. Levitici liber unus. Numeri liber unus. Deuteronomi liber unus. Jesu Nave liber unus. Judicum liber unus. Regum libri quatuor. Ruth liber unus. Paralipomenon libri duo. Psalmorum liber unus. Salomonis libri quinque. Job liber unus. Tobia liber unus. Hester liber unus. Judith liber unus. Machabeorum libri duo.

Multa poterant hoc in loco adnotari; quædam tamen cæteris prætermittis adscribam, siquidem lector reliqua facillimè apud Driedonium lib. de dogmatib. Eccles. cap. 1. & sequent. observabit.

Regum libri quatuor.) Hanc Regum historiam scripsisse Samuelem, & alios Prophetas, qui singulis temporibus vixerunt, testis est Athanasius in opere, quod de libris Canonicis scripsit. lib. 11.

Psalmorum liber unus. Salomonis libri quinque.) Hæc apud Burchardum. At in primo Conciliorum Tomo in decreto Gelasii legitur, Psalmorum centum quinquaginta liber unus. Salomonis libri tres, Proverbiorum, Ecclesiastes, Cantica Canticorum.

Quibus satis apparet, olim controversum fuisse, an Sapientiæ, & Ecclesiastici libri fuerint à Salomone conscripti & Canonici. Nam præter Gelasium Clemens summus Ecclesiæ Pontifex hujus nominis primus in canonibus Apostolorum, can. 84. tantùm inter Canonicos libros, tres priores nomine ac titulo Salomonis recepit, duorum posteriorum nulla mentione facta. Origenes in enarratione primi Psalmi numerum factorum librorum, qui ex veteri Testamento in canonem fuere relati apud Hebræos, & demum apud Ecclesiasticos, numerans ejusdem opinionis est, auctore Eusebio lib. 6. Eccles. histor. cap. 25. cui subscripsit Nicephorus lib. 5. cap. 16. Concilium Laodicenum sub Liberio Papa celebratum anno ferè cccxlv. provinciale quidem, sed receptum ac confirmatum in sexta generali Synodo, admonens, qui sint libri canonici, c. 59. tres tantùm priores, qui Salomonis sunt, connumerat: Sapiëntiam & Ecclesiasticum omittit, quasi definiens, eos esse extra canonem, quod Damascenus lib. 4. cap. 18. Hieronymus in prologo Galeato in libros Regum, & in epistola ad Chromatium, & Heliodorum, ac Rustinus in expositione Symboli, palàm asseverant. Et præter hoc Gregorius Nazianzenus in eo carmine quod de sacris libris scripsit Basilius item in Homilia, quam in principium Proverbiorum elaboravit, & Cyillus Hierosolymitanus catechesi quarta. E

contratio litteræ, quæ a Burchardo ex Gelasio refertur, convenit Ecclesiæ Catholicæ auctoritas. Nam in Concilio Florentino sub Eugenio quarto, inter Canonicos libros, Sapiëntia, & Ecclesiasticus recepti fuere his verbis: Psalmi David, Parabola, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapiëntia, Ecclesiasticus. Sed & Concilium Provinciale Carthagenense, cui D. Augustinus interfuit, confirmatum in sexta Synodo, c. 47. multò ante Florentinum, eisdem libros receperat. Psalterium, inquit, David Salomonis libri quinque. Quibus itidem verbis hos libros inter Canonicos adnumeravit Innocentius Papa ad Exuperium Tholosanum Episcopum. Synodus item Tridentina sub Paulo Tertio idem probat. Etenim inter Canonicos libros ab ea censentur Parabola Salomonis, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Sapiëntia, Ecclesiasticus. Quibus manifestè apparet, non esse hac de re disputandum, nec controversendum, post Ecclesiæ Catholicæ apertissimam definitionem, cui omnino accedendum. Nam & veteres Theologi; Origenes, inquam, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Ambrosius, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus, & alii passim his libris ut Canonicis, usi fuere, imò & plerumque titulo & nomine Salomonis eorum meminerunt. Dionysius etenim de Eccles. Hierarch. cap. 3. ubi locum quemdam adducit ex Theologia, ejus interpret Maximus observavit, usum fuisse in eo loco citando; eo libro Salomonis, qui Sapiëntia inscribitur, idemque Pachymetes fecit, ipsius libri verba referens ex cap. 5. Iusti autem in perpetuum vivunt. Sed & D. Augustinus lib. 17. de civitate Dei, cap. 20. & lib. 2. de doctrin. Christian. cap. 8. testatur, eosdem libros in auctoritatem Canonicorum receptos fuisse. Idem asserit Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 1. quod diligenter tractat Joan. Dried. lib. 1. de dogmat. Eccles. qui & illud inquirat, an hi libri fuerint à Salomone scripti. Siquidem constat ex Prologo ejusdem operis, librum qui Ecclesiasticus dicitur, scriptum fuisse à Jesu filio Sirach, & nepote Jesu. Imò par est, & ex eodem prologo, & his quæ scribit Damascenus lib. 4. cap. 18. sensim deducitur, Jesum patrem Sirach, librum illum Hebræicè scripsisse, ejus verò nepotem Jesum filium Sirach eundem in Græcam traduxisse linguam, tempore Ptolomæi Evergetis Regis Ægyptii, cujus auctor ipse nullam mentionem fecit: cap. tamen ultimo meminit Simonis Magni Pontificis Oniæ filii, cujus ætate apud Ægyptios regnabat Ptolomæus, ante Christi nativitatem. Atque idè de auctore hujus libri verè nulla fuit olim controversia, sicuti ex Damasceno, Hieronymo, Augustino, Isidoro, & aliis constat. De auctore autem libri, qui Sapiëntia inscribitur, major fuit apud veteres disceptatio; frequentiori tamen sententiæ receptum est, ejus auctorem non fuisse Salomonem, sed Philonem Judæum, qui Græcè id opus scripserit. Quod Hieronymus & Isidorus ex aliorum assertione tradidère. Philonem verò hunc opinamur, non esse illum cujus opera Græcè & Latinè vulgò circumferuntur, qui post Christi passionem floruit, & scripsit: quamvis id falsè æstimaverit Lud. Vives in August. d. c. 20. Post Petr. Galatinum lib. 1. c. 4. Nam præterquam quòd Eusebius Hieronymus, & alii, qui omnium operum Philonis Junioris meminère, hunc librum eidem minimè adscripserint, ut patet ex Eusebio lib. 2. Eccles. hist. c. 18. Nicephoro lib. 2. c. 17. & Hieron. de script. Eccles. Illud profecto maximè convincit, Philonem Sapiëntiæ auctorem, multò vetustiore esse, quam Junior Philon quòd Sapiëntiæ liber inter Propheticos, & veteris Testamenti libros, fuerit semper ab auctoribus Ecclesiasticis, ab ipsa denique Ecclesia Catholica, post Conc.

Carthaginense Tertium connumeratus. Vnde nec sariò sit, cum scriptum fuisse ante Christi adventum. Cautius igitur Driedonius *lib. 2. de Dogmat. c. 2.* asseverat, Philonem qui auctor fuerit hujus libri, alium ab eo Philone fuisse qui post Christi passionem Græcè & eleganter præclara opera ediderit, fuisseque illum hoc vetustiorum seculi ducentis annis. Nam & Philonis senioris, qui & de Hebræis scripserit, meminere, à juniore eum distinguentes, Josephus de *Antiq. & Eusebius lib. 9. de Preparat. Evang. c. ult.* Quem & Hebræum fuisse constat, ut distinguamus duos Philones Hebræos à Philone Bibliothico, cujus idem Eusebius meminit *l. 1. de Preparat. Evang. c. 4.* & præter eum Suidas. De his autem libris, nempe Sapientiæ & Ecclesiastico D. August. *in d. c. 8.* scribit de quadam similitudine Salomonis dici, & constantissimè perhiberi, Jesum filium Sirach eos scripsisse. Id ipsum idem Augustinus repetit *in d. cap. 20.* asseverans consuetudinem obtinuisse, propter similitudinem & affinitatem, ut hi duo libri Salomonis dicantur. Vterque enim propter eloquii similitudinem, & cognitionem rerum, quæ à Salomone tractantur in Proverbiis, frequentissimè à veteribus Theologis, & quandoque in Conciliis Ecclesiæ, titulo & nomine Salomonis citantur. Quod lector facillimè poterit observare apud Burchardum, & Concilium Carthaginense Tertium, Origenem *super Epistolam ad Romanos*, præsertim *cap. 8.* apud Cyprianum *in epistola ad Rogatianum*, qui titulo Salomonis citat librum Ecclesiastici. Idem fecit Chrysostomus cum alibi tum in *Homilia super c. 26. 2. Paralip. de Ozia, & humilitate*; quamvis Latinus interpres nomen mutaverit. Idem Chrysostomus *in priorem ad Corinth. Homil. 34.* sic & Ambrosius *in libro de quatuor questionibus difficilibus, & super Psal. 118.* librum Sapientiæ Salomoni tribuit. [Et Cyprian. *libro de immortalitate anima, & libro de exhortatione martyrii*, Tertul. *libro de præf. adversus heret. Basil. lib. 5. contra Eunom. & Hilar. in Psal. 118.*] idem fecit Lactantius *lib. 4. c. 16.* & Damascenus *in d. cap. 18.* licet ipsum extra canonem fuisse scripserit: Sic enim interpretantur quidam ejusdem auctoris verba, quibus asserit, libros Sapientiæ & Ecclesiastici in arca veteris Testamenti, non fuisse cum aliis repositos. Tamen quod Driedo *lib. 1. cap. ult. ex lib. 4. Eusebii de histor. Eccles. cap. 22.* tradidit, non probet, veteres auctores verè existimasse, librum Sapientiæ à Salomone scriptum fuisse. Est enim Eusebii locus quidquid Driedo voluerit intelligendus de proverbii Salomonis, qui liber & Sapientiæ dictus est à veteribus Theologis Ita sanè scripsit Græcè Eusebius *lib. 4. c. 22.* de Egesippo tractans: *ἑμὸς δὲ ἔπος, ὁλλὰ καὶ ἑβραϊῶς, καὶ πᾶς ὁ ἑβραίων χορὸς πανάρετον σοφίαν τὰς Σαλωμῶνος παροιμίας καλεῖ.* Verum non tantum hic, sed & Irenæus, & omnis antiquorum chorus, virtute omni refertam Sapientiæ Proverbia Salomonis vocat. Sic ferè Græca vertenda sunt in Latinam linguam ex Nicephoro *lib. 4. cap. 7.* cui interpretationi suffragatur, quod idem Eusebius scribit *lib. 4. c. 26.* ubi ex Melitonis epistola tradens libros Canonicos veteris Testamenti, inquit, *Psalmi David, Salomonis Proverbia, quæ & Sapientiæ, Ecclesiastes, Cantica Cantorum, Job, Prophete, & reliqua.* Idem Nicephorus *lib. 4. c. 10.* ut obiter Græcus Eusebii codex ita sit intelligendus, ubi *c. 26.* legitur, *Σαλωμῶνος παροιμίας, ἢ Σοφία*, ut articulus præpositivus adsumatur significanter ad interpretandum id quod præcessit. *Salomonis*, inquam, *Proverbia, quæ & Sapientiæ.* Aut fortassis Episcopus ille Sardiensis, licet Ecclesiastici librum omiserit, Sapientiæ tamen Salomoni tribuit. Etenim huic interpretationi Græca littera minimè adversatur, imò accedit, etiam Latino codice refragante, & præterea non

desunt ex veteribus, qui idem scripserint. Sed observatà Eusebii litterà, quæ Græcis characteribus vulgò traditur alio in loco, eadem ratione & Latinus Eusebii liber est emendandus. Nam *c. 22.* scribitur. *Verum & hic ipse, & Irenæus; & omnis antiquorum chorus librum, qui intulatur Sapientiæ, Salomonis esse dixerunt, sicut & Proverbia.* Hæc enim Latina traductio aliena est à Græca lectione, & à vero auctoris sensu. Non me latet, Eusebium *lib. 8. de demonstratione Evangelic. capit. 2.* constantè asseverasse, Jesum filium Sirach scripsisse *τὸν καλεσθῆναι πανάρετον Σοφίαν.* Sed ipse opinor de Ecclesiastico locum illum fore intelligendum: nam illum scripsisse Jesum filium Sirach constat, fortassis & de Sapientiæ locus ille poterit intelligi, ut Eusebius velit, eam scriptam fuisse à Jesu filio Sirach, & habuisse nomen illud peculiare, quod *in d. cap. 22.* ex veterum auctoritate adscripserat Salomonis Proverbiis. Etenim idem Eusebius *l. 11. de preparat. Evang. cap. 7.* *πανάρετον Σοφίαν*, Sapientiæ librum intellexisse videtur, & eum Salomoni tribuit, ut constat, *ex c. 7. Sapientiæ.* Tu verò, Christiane lector, illud constantissimè tene, quod Ecclesia Catholica in præcitatæ Synodis, & Canonibus definit.

*Job liber unus.*) De hoc libro nunquam fuit apud Hebræos controversum, nec apud Christianæ religionis professores. Nam & ab initio Ecclesiæ in canonem fuit receptus. De auctore verò licet variorum fuerint opiniones, illud & frequentiori judicio probatum librum istum vel ab ipso Job, vel ab amicis ejus sermone Syro scriptum, à Moysè tandem in Hebræam linguam traductum fuisse. Huic opinioni accessere Origenes *in prologo*, Isidorus *lib. 6. Etymolog. c. 2.* August. Eugubinus *in adnotationibus supra Genes. c. 1.* nec dissentit D. Gregorius, qui hac, & aliis opinionibus præmissis verè scribit satis esse quod credamus, hunc librum scriptum esse à Spiritu sancto. Illud tandem obiter adnotabimus, Job virum sanctissimum genus duxisse ab Esau, & quintum ab Abraham fuisse. Siquidem Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Esau, Esau Raguelem, Raguelem Zaram, Zaram genuit Job: quam deductionem probare conantur Origenes *in prologo*, Chrysostomus *in Homil. 2. de patientia Job*, qui eum appellat pronepotem projecti repudiatique Esau. Idem Chrysostomus *sermone in Job, & Abraham* idem sentit *in homil. 80. ad populum.* (Et Georgius Cedrenus *in Epitome ex Africano.*) His subscribere videtur D. August. *de civit. Dei, lib. 18. cap. 47.* qui de Job scribit, eum ex gente Idumæa g. nus ducere. Nam & Esau dictus est Edom, *Genes. c. 25.* & ab Edom Idumæa terra, auctoribus Josepho *lib. 2. c. 1. de Antiq.* & August. *lib. 16. de civit. Dei c. 35.* atque iterum Josepho *lib. 5. c. 3.* & deducitur ex *cap. 11. 3. Reg. & cap. 34. Esaiæ.* Ad hæc accedit, quod Eusebius *lib. 6. de preparat. Evangel. c. 4.* refert, Aristam in Judaica historia existimasse Job filium fuisse Esau, & habitasse in Idumæa & Arabiæ finibus, in Ausitide terra. Sed & prologus libro Job adscriptus apud Græcos & Latinos, etiam tempore Hieronymi, & ante ipsam, communique consensu receptus, rem istam amplius aperit his verbis; *Erat autem ipse filius quidem Zare, de Esau filii de matre verò Bosra, ita ut sit quintus ab Abraham.* Hæc in eo argumento, licet Hieronymus *super Job, & in Questionibus Hebraicis* ab hac discesserit sententiâ, existimans, Job non ab Esau, nec ab Abraham, sed à Nachor fratre Abraham. & ejus uxore Melcha, sorore Saræ, & Hus filio Nachor originem ac genus duxisse. Nec accedit prologo aut argumento, quod libro huic adscribitur, ex eo quod apud Hebræos id non reperitur. Eidem deductioni ac Genealogiæ accedit

dit Philippus presbyter, qui paulò post Hieronymum scripsit super hunc Prophetam; cuius opinionem refert Lud. Vives *in d. cap. 47.* Sed ipsius prologi auctoritate, ut certa & probatissima, utuntur Chrysoftomus, Origenes, Augustinus, & præter eos Ambrosius *lib. 2. de interpellatione*, ut tandem non liceat contra stimulum calcitrare. Nam & Eusebius *lib. 1. de demonstrat. Evangelica.* Job quintum ab Abraham fecit.

*Tobia liber unus*) Hic liber olim dubiæ fuit auctoritatis, ex eo quòd inter Canonicos apud Hebræos minimè fuerit numeratus, auctore Hieronymo *in prologo Galeato in libros Regum, & in prologo in opera Salomonis.* Fuit & hic liber omissus, quasi ad Canonem non pertineret, à beato Clemente *in canonicis Apostolorum, c. 84.* & à Concilio Laodiceno, cuius superiùs meminimus, sub Liberio Papa celebrato. Sed & hunc librum omisere, Canonicos omnes veteris Testamenti numerantes Origenes, Damasc. & Ruffin. quorum paulò antè mentionem fecimus. Meliton etiam Sardiens. Episcopus apud Euseb. *lib. 4. c. 26.* & Nicephorum *eiusdem lib. 4. Eccles. hist. c. 10.* Verùm post Concil. Carthagin. III. Ecclesia, Ecclesiasticique scriptores, librum istum Canonicum esse minimè dubitarunt; si quidem receptus est inter Canonicos à Synodo tertia Carthagin. à Synodo Florentina, atque item nuper à Trident. Concilio. Eundem inter Canonicos D. Aug. retulit. *lib. 2. de doct. Christ. c. 8.* & Isidorus *lib. 6. Etymo c. 2.* Adducitur ejus historia à Clemente Alex. *lib. 1. Stromatum:* & inter Canonicos refertur ab Innocentio I. *ad Exuperium Tholosanum Episcop.* ut tandem nihil sit hac de re controversendum. Contigit autem Tobia historia (quod ex eadem apparet) in diebus Salmanasar & Sennacheribi Assyriorum Regum, qui regnarunt temporibus Ezechia Regis Judæ, *4. Reg. c. 17. & 18.* Paulò post Romam conditam, ex Eusebio *in Chron.*

*Esdra liber unus.*) † Quamvis à Clemente *in canonicis Apostol. c. 48.* fuerit hic liber omissus, attamen apud Hebræos olim, & apud Christianos atque ulla controversia, Conciliorum & veterum Theologorum auctoritate in canonem fuit receptus, quod Origenes, Eusebius, Damascenus, Meliton, Innocentius primus, Hieronymus, Augustinus, Ruffinus, Isidorus, & alij palam unanimi consensu testantur. Duo verò sunt Esdræ libri apud Hebræos Canonici in unum volumen connexi. Priorem scripsit ipse Esdras de rebus gestis priùs, quàm ex Babylone in Jerusalem accederet Nehemias; posteriorem Nehemias scripsit de rebus eodem tempore gestis, & de ædificatione Jerusalem. Ab Hebræis hi duo libri in unum volumen coarctantur; apud Græcos & Latinos in duos libros distinguuntur, quod Hieronymus adnotavit *in Epist. ad Paulinum, & in prologo in Esdras, & in præfat. in libro Regum.* Dicitur autem secundus liber Esdræ, quia continet res gestas sub Esdra & Nehemia, Ea verò, quæ in his libris traduntur, contigisse apparet sub Artaxerxe, cuius anno 7. claruit in Babylone Esdras; Nehemias verò anno 20. ejusdem deducitur ex *cap. 7. 1. Esdra, & cap. 1. Esdra. 2.* Quis autem fuerit hic Artaxerxes, controversitur. Nam Josephus *lib. 11. antiq. Joan. Zonaras in 1. Annalium Tomo & Cajet. super Esdras,* existimant fuisse Xerxem, qui fuit filius Darij, & pater Artaxerxis, qui dicitur Longimanus. Hanc sanè opinionem ratio temporum excludit, cum constet ex *cap. 1. 2. & 3. atque ult. Esdra. 2.* illum Artaxerxem cuius tempore fuerunt Esdras, & Nehemias, regnasse annis 30. & denique pluribus. Xerxes verò ex fide historicorum omnium tantùm 10. regnavit annis aut saltem ejus regnum ad 30. annum non accessit Jo. Driedo. *lib. 1. de dogmat. Eccles. c. 2. part. 1. & lib. 3. c. 5.*

Didaci Covarr. Tom. II.

*part. 3. post Severum Sulpitium lib. 2. sacra histor.* probare conatur, hanc historiam contigisse sub Dario Mnemone Magno Artaxerxe post olympiada 91. & annum ab urbe condita 338. tunc enim regnare cœpit Artaxerxes hic Mnemon, cuius vitam Græcè Plutarchus scripsit, huic opinioni accedit quòd, auctore Philone; Elias Sacerdos Magnus fuit sub Artaxerxe Magno Mnemone, idque *in Chronologia* fatetur Joan. Lucidus. Contra autem ex sacra Scriptura, Esdras & Nehemiam vixisse ad annum usque 13. & ultiores illius Artaxerxis, sub quo sacerdos fuit Elias *Esdra. 2. cap. 3.* Nam & Josephus Nehemiam sub sacerdotio Elias posuit. Verùm quia Philonis scripta dubia multis videntur, ea fortasse ratio temporum verior est, quæ ab Eusebio *in chronico* traditur. Is etenim hanc Esdræ historiam adscribit Artaxerxi, qui Longimanus dicitur est. Idem tradidere Julius Africanus, & Eusebius *lib. 8. de demonstr. Evang. cap. 2.* Hieron. *in Daniel. cap. 9.* Beda & Contractus *in Chronicis.* Jo. Lucidus *lib. 7. de emend. temp. cap. 3.* Idem, ni fallor, sentit Georgius Cedrenus *in Epitome.* Qua in re illud erit omnino observandum, apud Philonem, Metasthenem, ac alios hæc nomina, Artaxerxes, Darius, Assuerus, & alia communia fuisse Regibus Persarum sicut Romanorum Imperatoribus Cæsar; Babylonis regibus Nabuchodonosor; Aegyptiorum Principibus Pharaones. Id ipsum & quandoque ex sacris Bibliis deduci ur, ut tandem multa hinc possint expedite intelligi, quæ alioqui difficilia censerentur.

*Hester liber unus.*) Rursus & de hoc libro nulla apud Hebræos & Christianos fuit unquam controversia: nam & ab omnibus ferè auctoribus Ecclesiasticis, & Synodis Ecclesiæ, de quibus paulò antè mentio facta est, item & à Clemente *in canonicis Apostol. c. 84.* in canonem fuit receptus, atque, ideo nihil opus est, ut hoc in loco immoremur. Illud tamen erit observandum quod in hoc libro narratur, contigisse in diebus Assueri, ut patet Hester *cap. 1.* qui dicitur est Magnus Artaxerxes Mnemon, auctoribus Eusebio, Beda, Hermanno Contracto; Severo Sulpicio *lib. 2. sacra hist. Joan. Lucid. in Chronicis.* Jornande *lib. de regnorum successione.* & Driedo, *de dogma. Eccles. lib. 1. c. 2. part. 1. lib. 3. c. 5.* quorum opinionem sequimur, quamvis Josephus *lib. 11. Antiq. cap. 6.* quem sequi videntur Joan. Zonaras *in cap. Annali. Tomo & Cajet. in cap. primum Hester.* existimet hunc Assuetum, sive Artaxerxem fuisse Cyrum Xerxis filium & Georgius Cedrenus *in Epitome* Artaxerxi Longimano hanc historiam tribuat. Nam ex Xenophonte, Plutarcho, Eusebio, & Hermanno Contracto constat, Artaxerxem cognomento Mnemona filium fuisse Darij ex Parisatide, ex qua Darius habuit duos filios, majorem quidem natu Artaxerxem hunc Mnemona, minorem verò Cyrum nomine, Parisatis autem fuit filia Artaxerxis, qui dicitur est Longimanus: quæ & præter duos filios, qui de regno contenderunt, uos alios ex eodem Dario, qui Nothus dicebatur, concepit & habuit, auctore Plutarcho. Etenim ex Regibus Persarum primus dicitur est Cyrus Cambysis filius, cuius mentio fit *cap. 1. Esdra* Item à Josepho, Eusebio atque August. *de civi. Dei. l. 18 cap. 26.* & alijs Ethnicis scriptoribus, cuius educationem & institutionem Xenophon Græcè, & eleganter scripsit. Post hunc Græci & Latini historiæ Cyrum minorem appellant. fratrem hujus Artaxerxis cognomento Mnemonis Darij Nothi & Parisatidis filium, cuius expeditionem item Xenophon, qui sub eo militavit lingua Græca scribit. Ceterùm quòd Artaxerxes Longimanus dicitur fuerit Cyrus, non constat ex probatissimis auctoribus, (præter Josephum, & Zonaram.) Imò Metasthenes tradit, Darium Longima-

num, fratrem habuisse nomine Cyrum Artabanum, qui cum eo de regno dimicaverit, habet & ratio temporum, quam in hac historia observavimus, auctorem Philonem, cujus de tempo ibus breviarium vulgò legitur *ib. 4.* inter Joan. Annij Viterbiensis commentaria, quorum fides à multis improbat, eo, quòd ferè vetustissimorum auctorum fragmenta, vel ipse Annius confinxerit, vel absque ullo integre fidei testimonio in publicum emiseric. Nam Ludovicus Vives in *Augustinum de civ. Dei, lib. 18. cap. 1.* hos libellos frivolos esse dicit & incertorum auctorum, quosque ad stupefaciendos imperitos lectores Græcia luserit otiosa, nec esse illorum, quorum titulos præ se ostendant Faber Stapulensis in *Arist. lib. 1. Polit.* existimat, hunc Berosum atque Metasthenem, quorum fragmenta Joan. Annius studiosus tradiderit, scriptores fictios esse. Idem asseverat Joannes Vergara Ecclesiæ Toleranæ Canonicus, vir omnigena eruditione Græcè & Latine insignis in *quest. 5. de reparatione templi Hierosolymitani.* Beatus item Rhenanus l. 1. *rerum Germanicarum*, ubi de Alimanis tractat, *Sed omnium*, inquit; *ineptissimus est Annius quidam in Berosum, auctoris fabulose fabulosior interpret; nam quoties ille hircum mulget, juxta Proverbium, hic cribrum supponit.* Hæc Rhenanus cui suffragari videtur Gregorius Gyal. *de diis Gentium syntagmate 4.* scribens Joannis Annij scripta doctrinam exoticam ferè superstitiosam redolere, esseque commentitiam. Idem probare conatur diligenter, & magno cum judicio Jo. Goropius post tertiam hujus operis editionem in *imaginib. lib. 4.* (& Melch. Canus *lib. 11. de locis Theolog. cap. 6.*) Rursus Gulielmus Postellus in *lib. de Hærruria*, non semel contendit, fragmenta illa, quæ Berosi nomine Joannes Annius vulgò tradidit, verè illius esse Berosi, cujus veteres auctores maxima cum veneratione meminerunt. Sed hæc satis de fide & auctoritate Breviarij, quod Jo. Annius Philonis titulo publicum fecit.

(Et id profectò temere: multa enim in eo libro, & in his qui ab ipso Io. Annio cum eo editi fuerunt, aded veritati contraria sunt, ut nullo pacto defendi queant. Unde & quæ Philo tradit de Mardochæi ætate, incerta sunt, etsi necessariò admittenda, ut quidam opinantur; si Hester hist. sit Artaxerxi Mnemoni tribuenda, etiam admissa regum Persarum serie, quæ ab eodem Philone traditur; cum & qui eum sequuntur, fateantur planè, Mardochæum translatum fuisse in Babylonem cum Jechonia rege, juxta litteram 2. *cap. Hester.* Quòd si Hester historia esset adscribenda Artaxerxi Longimano, minor ætas Mardochæi, etiam cum Jechonia translata sufficeret, sicut & multò minor, si eadem ad tempora Darij Hytaspis referatur, quod Nicolaus Lyra & Joan. Ben. probare conantur. Quidam tamen, eadem gesta ad Astyagen, aut Cyaxarem Medorum reges inferre videntur. Quorum opinio refelli potest ex 1. *cap. Hester.* Constat siquidem nec Astyagen, nec Cyaxarem tantum imperium in Asia obtinuisse, quantum ibi Hester marito tribuitur. Quin & Astyages & Cyaxares reges fuere tantum Medorum non Persarum: at Assuerus Hester & Persarum & Medorum fuit. His accedit, quòd D. Hieron, quoties mariti Hester meminit, cum inter successores Cyri magni constituere videtur. Quod si facta Mardochæi & Hester, tempore Darij Hytaspis, aut Artaxerxis Longimani contigissent, juxta aliorum sententiam, profectò, ut par est, ea Esdras & Nehemias minimè tacuissent. Denique secutus sum eam opinionem, quæ veterum, & juniorum auctorum consensu magis recepta videtur, ut ea quæ narrat Hester historia, Mnemoni tribuantur. Quæ tamen ex Mardochæi ætate vix defendi potest, nisi litteram, quæ ex vulgata editio-

ne necessariò admittenda est, in eum sensum accipiamus, Mardochæus dicatur translatus in Babylonem cum Jechonia, ex eo quòd originem duxerit ex his, qui cum Jechonia capti & translati fuerint in Babylonem. Quam interpretationem Melchior Canus ex eo probat, quòd *Esdra cap. 2.* numerentur illi; qui ascenderunt de captivitate, quam transtulerat Nabuchodonosor, & reversi sunt in Judæam, quorum quidam non venerunt in Babylonem, sed patres eorum. Nam Zorobabel in Babylone genitum fuisse ex *Mart. c. 1.* constat. & 3. *lib. Esdræ c. 5.* legitur: *Sunt autem hi qui ascenderunt ex Iudæa, &c. quorum unus est Zorobabel.* Et quamvis hanc interpretationem idem Melchior Canus, ut violentam, non fore à multis admittendam, suspicetur: Cajet. tamen in *c. 1. Hester*, verba illa, *Mardochæus filius Jair, filij Semei, filij Cis, de stirpe Jemini: qui translatus fuerat de Jerusalem, eodem tempore quo Jechoniam regem Juda Nabuchod. Rex Babylonis transtulerat:* sic interpretatur, ut pronomem qui non ad Mardochæum, sed ad Cis ejus proavum referatur. D. etiam Hieron. dum Artaxerxi Mnemoni historiam Hester tribuit, quum regum Persarum seriem, & quot annis regnaverint, diligenter tradiderit, alterum ex duobus fateri videtur: Mardochæum scilicet ad eam ætatem accessisse, quæ ducentos annos excefferit, vel non eum, sed ejus proavum, translatum fuisse; quorum prius nolim viro, etiam in historia, præsertim sacræ Scripturæ, doctissimo tribui: posterius verò, etsi difficilimè probari possit ejusdem Hieronymus auctoritate, non temerè licebit admittere. Nam & Latina ex Chaldæo & Græco interpretatio, huic sensui potius suffragari, quàm adversari videtur. Ex Græco enim sic Latine legitur: *Homo erat Judæus in Susis civitate, & nomen ei Mardochæus, filius Jair, filij Semei, filij Cis, de tribu Benjamin, qui fuerat captivus ex Jerusalem, quam captivavit Nabuchod. Rex Babylonis.* Ex Chaldæo verò; *nomen ejus vocabatur Mardochi, filius Jair, filij Simphi; filij Cis viri, qui fuerat de tribu Benjamin qui erat in captivitate ex Jerusalem, cum captivitate qua abducta est cum Jechonia.* Ex quibus fortassis non omnino aliena à Vulgata editione Cajet. interpretatio videbitur. Quam & ante Cajet. veram esse censuit Barginensis: quamvis & ipse ingenuè dubiam esse non negaverit, *col. 2. ibid. de dogmat.* Eandem opinionem amplectitur Rayner. *lib. de familiis in Medorum regnis.* Hæc quidem explicare libuit, ut in re, quæ dubio procul varias opiniones admittit, rationem redderem, quare communem secutus fuerim sententiam. Nam quod de Darij Medo scribit Cedrenus, asseverans ejus uxorem fuisse Hester, mihi non potest persuaderi, præterquam quòd ipsemet sibi appetitissime refragatur.)

(*Judith liber unus.*) Liber hic, tamquam à canone alienus & extraneus, omissus olim fuit ab Origene, Damasceno, Ruffino, Hieronymo, & Melitone Sardiensi, atque item à Clemente in *canonib. Apostolorum.* & à Laodiceno Concilio. Hi etenim auctores existimarunt, librum istum canonicum non esse: cujus tamen testimonio passim veteres Theologi usi fuerunt; quin & Augustinus, Isidorusque inter Canonicos eum connumerant, sed ab Ecclesiæ Catholica in Conc. Carthaginensi tertio, Florentino item & Tridentino in canonem jam est receptus, ut tandem hac dè re non sit dubitandum. Nam & Hieronymus in *prologo* testis est, eum à Nicæna Synodo in numerum sanctarum Scripturarum relatum fuisse. Et eum iater Canonicos refert Innocentius I. ad Exuperium Tholosanum Episcopum. Ejus verò historiam sub temporibus Nabuchodonosor regis Assyriorum contigisse constat; tametsi ambiguum fuerit, quis sit hic Nabuchodonosor, ut ex eo sit certior ratio temporis. Et sane il-



ne illud videtur verius, hunc Regem Nabuchodonosor fuisse Cambysem, qui Cyro primo Persarum Regi successit, qui quoque dictus est Artaxerxes Assuerus Priscus. Hujus opinionis sunt Eusebius, & Beda in *Chronica*. Philon, & Joan. Annii, quos sequitur Driedo, *lib. 1. & 3. de dogmatib.* Eandem historiam Artaxerxi, qui statim post Cyrum majorem obtinuit imperium, adscripsere. Georgius item Cedrenus in *Epitome*, Dario, qui & Cambyfes dictus est, Cyri Majoris filio. Sed & Eusebium secutus, eandem rationem probat Hermannus Contractus. Idem fere sentit D. August. *lib. de civ. Dei. 8. q. 26.* qui cum meminisset Cyri primi Persarum Regis, scribit, *Per idem tempus etiam illa sunt gesta, quae scripturarum Judaei non receperunt dicuntur.* Hæc Augustinus, qui *lib. 2. de doct. Chr. c. 8.* hunc librum inter Canonicos connumerat. Quod si, auctoribus Eusebio, & Græcis historicis, Cambyfes non regnavit ultra sex vel octo annos, quibus & Josephus accedit; quo pacto poterit eidem convenire historia Judith, cujus *cap. 1. & 2.* constat, saltem tredecim annis hunc Nabuchodonosor regnasse? Ili difficultati, quamvis Eusebius, & qui ejus Chronicon sequuntur, non possint commodè satisfacere, respondebunt tamen qui Philonem & Metasthenem fuerint secuti. Hi etenim asseverant, Cambysem post Cyrum majorem annis viginti regnasse. Idem ex Græcis scribit Clemens Alexandrinus *lib. 1. Stromat.* qui asserit, eum annis undeviginti regnum obtinuisse. Eidem Valerius Anselmus tribuit viginti annorum principatum. Hi vero auctores præter Clementem qui cum Cambysem nominat, qui post Cyrum majorem regnavit, hoc nomine minimè utuntur, sed Prisci Assueri. Severus autem Sulpitius *lib. 2. Sacra histor.* præter aliorum opinionem Judith facinus tribuit regno Artaxerxis Ochi, qui Artaxerxi Mnemoni successit. Qua ratione illud fortassis erudito lectori magis placebit, Judith historiam, ad Darij, qui post Magos Persarum imperium obtinuit, tempora pertinere. Quod diligenter Gerardus Mercator deducit, quum & ex Herodoto *lib. 2.* constet, Medos sub hoc Dario rebellasse, & iterum subjugatos esse. Idque factæ de Judith enarrationi convenire maximè videtur. In hoc tamen Regum Persarum catalogo est necessariò adnotandum, Græcos historicos, Eusebium item, ac Latinos quosdam, potissimum differant ad Philonem, Metasthenem, & alios, quos sequuntur Driedo, & Jo. Lucius. Apponam hoc in loco libenter utramque chronologiam, quia & ad intellectum sacre Scripturæ, & veterum auctorum, plurimum conducit, nec aliena est hæc observatio ab hoc libro, in quo varia constituimus ad facta Biblia, Ecclesiæ canones, Jurisconsultorum & Cæsarum responsa interpretanda.

Ex Metasthene.

6 **C**yrus victo & interfecto Babyloniorum Rege Balthazare, in Persas Assyriorum transtulit imperium, regnavitque simul cum Dario duobus annis. Solus vero postea duobus & viginti. Hæc Metasthenes, cui Philo addit, Darium istum fuisse filium Hytaspis. Hujus Cyri mentio fit *cap. 1. Esdra.* Sed & præter Metasthenem & Philonem Josephus *lib. 10. cap. 15.* tradit Darium Astyagis filium, annum agentem sexagesimum secundum, cum Cyro cognato suo Babyloniorum principatum evertisse. Eum Hieronymus super *Danielem* sequitur *cap. 5. & 6.* ac passim in eisdem *Commentariis*, præsertim *cap. 8.* quo loco scribit, hunc Darium à Græcis dici Cyaxarem fratrem Mandanes, quæ fuit filia Astyagis, Medorum Regis, uxor Cambyfis, & Cyri mater, idque

*Didaci Covarr. Tom. II.*

constat ex Xenophonte *lib. 5. de Pædia Cyri*, id est, *de educatione aut institutione Cyri*, & Jornande in *libro de temporum ac regnorum successione*. Ex ipsa denique Danielis historia deducitur manifestè, hunc Darium cum Cyro simul Babyloniam, ejusque Regem Balthazarem cepisse, & post eum regnasse apud Assyrios, quemadmodum observari poterit ex *cap. 6. 9. 10. & 11.* Ut mirer interim, cur apud Philonem dicatur hic Darius Hytaspis, cum potius dicendus foret Darius Altyagis. Sic & à Metasthene Cyrus dicitur Patruus Prisci Artaxerxis, qui fuit hujus Darij filius, & tamen Cyrus non fuit ejus patruus, sed filius Mandanes, quæ fuit soror Darij, atque ita amita Artaxerxis, si is filius Darij verè fuit.

*Priscus Assuerus Artaxerxes* Cyro Majori successit in regno, secundum Philonem. Hic filius fuit Darij primi, cum quo Cyrus regnaverat, obtinuitque regnum, ac regnavit viginti annis auctore Metasthene, quem Valerius Anselmus, Jo. Annii, Driedo, & Jo. Lucius sequuntur.

*Darius Longimanus* filius Prisci Assueri Artaxerxis, cum fratre Cyro Artabano septem mensibus pro imperio dimicavit, quo obtento, & fratre victo illud obtinuit annis 7. & 30. Metasthenes, Jo. Annii Driedo, & Lucius. Sed & Philo testatur, hunc Darium Longimanum filium fuisse Prisci Assueri, & cum fratre de imperio certasse.

*Darius Notus* Darij Longimani filius, annis undeviginti regnavit post patrem, auctoribus Metasthene, Valerio Anselmo, Driedo, & Lucido.

*Magnus Artaxerxes Darius Mnemon* post Longimanum annis quinquaginta quinque obtinuit imperium ex eisdem auctoribus.

*Artaxerxes Ochus* annis sex & viginti. Metasthenes & alij. *Artes* annis quatuor, nostra ætate, inquit vetustissimus auctor Metasthenes.

*Darius ultimus* Rex sex annis, ex eisdem auctoribus, post quem Magnus Alexander obtinuit imperium. Ex quibus constat, hos Reges imperium obtinuisse centum octuaginta & uno annis.

Ex Græcis historicis.

**C**yrus major. Cambyfis & Mandanes, quæ fuit filia Altyagis Medorum Regis, filius, avo materno subverso, Medorum principatum, & demum Babyloniorum Rege victo, Assyriorum imperium in Persas transtulit regnavitque annis triginta, auctoribus Eusebio, & Hermanno Contracto in *Chronica*, Justino *lib. 1.* & Clemente Alexandrino in *1. Stromat. lib.* Hunc verò Cyrum fuisse primum Persarum Regem, qui Asiæ monarchiam habuit, tradiderunt auctores, & Josephus *lib. 11. c. 1.* Xenophon in *Pædia Cyri*. Hieron. super *Danielem*, & Herodotus *lib. 1. Diod. l. 2.*

*Cambyfes* Cyri filius post eum octo annis imperium obtinuit, auctoribus Herodoto, Eusebio & Hermanno Contracto, quibus ferè consentiunt Josephus *lib. 11. antiq. c. 2.* Joan. Zonaras in *1. Annali. Tomo* Jornandes, & alij præter Clement. Alexandrinum, qui *lib. 1. Stromat.* asseverat, hunc annis undeviginti regnasse. Hunc verò Cyro patri successisse passim omnes Græci fatentur. Justinus item, & Hieron. eumque fuisse Cyri filium scripsere Plato *lib. 1. de legibus*, & Thucydides *lib. 1.*

*Magi duo fratres* post hunc septem mensibus regnaverunt, auctoribus Eusebio, & Contracto. Horum Justinus *lib. 1.* & plerique alij meminere, quorum D. Hieronymus super *Danielem cap. 11.* mentionem fecit, scribens, post Cambysem regnasse Smerdem Magum, qui Pantampem filiam Cambyfis duxit uxorem,

uxorem, quo occiso, eandem filiam Cambysis nupsisse Dario, qui statim suscepit imperium, & ex ea genuit filium, qui dictus est Xerxes ille Magnus. Herodotus verò *lib. 7.* asseverat Xerxem fuisse filium Darij, & Atolsæ, quæ fuit filia Cyri Majoris. Idem sentit Justinus *lib. 1.*

*Darius imperium* habuit annis triginta sex, auctoribus Hieronymo *in cap. 4. Ezechiel.* Eusebio, Herodoto, & Contracto; auctore verò Clemente Alexandrino *li. 1. Stromat.* annis quadraginta sex. Idem Jornandes scribit. Fuit hic Darius filius Hytaspis, ut idem Herodotus, Clemens, Euseb. Contractus, & Justinus *lib. 1. Josephus lib. 11. cap. 3.* commemorant. Idem tradit Joan. Zonaras, fuisse, inquam, hunc Darium filium Hytaspis, & Magis successisse. Frequenter etenim apud auctores Darius hic Hytaspis à patre dicitur. Nam & eo tempore, quo regnavit, hoc nomen obtinuit, sequè ipse ita nominabat, sicuti constat ex Laërtio *in Heraclio.* Sed & Plato *lib. 1. de legibus.* Observavit hunc Darium non fuisse Regis filium.

*Xerxes* Darij filius annis viginti regnavit secundum Eusebium, Contractum, Herodot. Diodorum Siculum *lib. 11.* Jornandem, & alios, præter Clementem Alexandrinum qui viginti sex annis Xerxem regnasse asseverat, & Joann. Zonaram qui eidem tribuit principitum annorum ferè novem, & viginti. Hujus Xerxis meminere Josephus *libro undecimo, capitulo quinto,* & Justinus *libro secundo* qui tradit cum fratre Artamene eum de regno controversasse, ex eo quod, licet Artamenes foret natu major, Dario tamen privato natus fuerat, Xerxes autem postquam Darius regnum habuerat. Eandem historiam refert Herodotus *lib. 7.* qui filium natu majorem Artabazanem nominat. atque hæc fortassis est illa controversia, quam Metasthenes, & Philon Longimano adscribunt. Hunc Xerxem fuisse Darij filium Platur *lib. 1. de legibus,* qui & *in Gorgia* scribit, hunc Xerxem in Græcos exercitum duxisse, ejusque patrem Darium in Scythas. Idem *in Epitaphio* primum Persarum Monarcham commemorat Cyrum, secundum Cambysen ejus filium, tertium Darium, eisdemque Persarum Reges; eodem ordine, & post quartum Xerxem *lib. 1. de legib. repetit.* Hujus regis meminit & Divus Hieronimus *in Daniele cap. 11.* qui Danielis locum de hoc Xerxe intellexit, dum illic scriptum est: *Ecce tres adhuc Reges stabunt in Perside, & quartus diabitur opibus nimis super omnes, & cum invaluerit, divitiis suis concitabit omnes adversus regnum Græcia.* Est etenim hic Xerxes ille, Græciæ & totius Europæ terror.

*Artabanus* Xerxis præfectus, eo occiso, regnum invasit, & id obtinuit septem mensibus, Eusebius, Justinus *lib. 3.* & alij.

*Artaxerxes* septimus Persarum Rex annis quadraginta regnavit. Eusebius, Hermanus Contractus, Diodorus Siculus *lib. 11.* & Jornandes aut uno, & quadraginta, ex Clemente Alexandrino. Dictus est Longimanus, fuitque Xerxis filius. Plutarchus *in Artaxerxe.* Ejusdem meminere asseverantes eum filium fuisse Xerxis, Justinus *lib. 3.* Diodorus Siculus *lib. 11.* & Josephus *lib. 11. cap. 6.* qui & illud addit, hunc dictum fuisse Cytum, quod & Zonaras *in 1. Annalium Tomo* scribit. Sed & idem Josephus *lib. 1.* contra Appionem asseverat, Artaxerxem Xerxi successisse in imperio, cujus testimonium referunt Eusebius *lib. Eccles. histor. cap. 10.* & Nicephor. *lib. 2. cap. 18.*

*Xerxes* hujus nominis Secundus, octavus Persarum Rex, habuit & obtinuit imperium duobus mensibus, ex Eusebio *in Chronicis,* & Jornande.

*Sogdianus* nonus Persarum Rex, novem mensibus regnat, auctore ipso Eusebio.

*Darius* cognomento *Nothus,* decimus Persarum

Rex, regnavit annis undeviginti, quemadmodum Eusebius, & Contractus opinantur. Clemens verò Alexandrinus existimat, eum regnasse annis octo. Hujus Regis, & sequentium ulque ad Magnum Alexandrum meminit Tertullianus *in lib. adversus Judæos, cap. de passione Christi,* ab ejus primo anno deducens Danielis hebdomadas, ut quod à Daniele scriptum est *c. 6. In primo anno sub Dario filio Assueri ex semine Medorum,* de hoc Dario sit auctore Tertulliano intelligendum, quod à D. Hieronymi interpretatione omnino est alienum; etenim ishæc verba Danielis intellexit de Dario Medo, qui cum Cyro primo Assyriorum evertit imperium. Sed & de initio adsumendo ad Danielis hebdomadas præter Hieronymum, & Eusebium *lib. 8. de Demonstratione Evangelica, cap. 2.* legendi sunt Joan. Zonaras *in 1. Annal. Tomo. Jo. Driedo. de dogmasib. Ecclesi. lib. 3. c. 5. quarta ejus parte,* & Jo. Lucidus *lib. 7. de emend. tempor. c. 3.* & Petrus Galatin. *lib. 4. cap. 14. & seqq.* Hunc verò Darium Nothum, filium fuisse Artaxerxis Longimani præter alios Thucydides fateri videtur *lib. 8.* Et Pausanias id expressim asseverat *posteriori Eliacorum,* Scribit & Severus Sulpicius *lib. 2. Sacre historia,* hunc Darium regnasse annis undeviginti, dictumque fuisse Ochum, eo tamen in loco *Nothum* legendum esse censo.

*Artaxerxes* cognomento *Mnemon,* Darij & Parisatidis filius annis quadraginta Persarum imperium habuit, secundum Eusebium, Contractum; & Tertull. *in d. c. de passione Christi.* Jornandem, & alios. At Clem. Alexandrinus eum scribit regnasse annis duobus & quadraginta; Plutarcho verò auctore, qui ejus vitam Græcè scripsit regnavit annis sexaginta duobus. Sed & ejus meminisse videtur Joseph. *lib. 11. c. 7.*

*Artaxerxes Ochus* patri successit, sexque & viginti annis regnavit, auctoribus Eusebio & Contracto. Tertull. verò scribit, *Deinde Rex Ochus, qui & Cyrus, regnavit annis quatuor & viginti.* hujus item meminere Justinus *lib. 10.* & Plutarchus *in Artaxerxe,* fuitque duodecimus Persarum Rex.

*Arses* Ochi filius, decimus tertius Persarum Rex, regnavit annis quatuor, secundum Eusebium, Jornandem, & Contractum, Clemens Alexandrinus, cum Persidos Regum ordinem & successionem scriberet, post *Artaxerxem Mnemona,* inquit, *Arsea vel Ochus tres annos;* omisitque Artaxerxem Ochum, cujus filium Arsem fuisse constat, ex Arriano *lib. 2.* Tertullian. autem ita scribit, *Argus anno uno,* tractans de hoc Rege; unde fortassis legendum, *Arses anno uno.*

*Darius* Arsani filius, decimus quartus Persarum Rex, & is quidem ultimus regnavit annis sex, auctoribus Eusebio, Jornande & Contracto. Cujus meminuit Plutarchus, Arrianus, Qu. Curtius, & omnes, qui res Alexandri Magni memorie tradiderunt; Nam & ab ipso Alexandro Darius hic victus fuit, imperioque privatus. Præter hos & Darij Josephus meminit *lib. 11. c. 7. & 8.* de quo Tertull. scribit *Darius Melas nominatus, annis duobus & viginti.* Constat verò, juxta hanc Regum & temporis rationem, Persarum in Asia imperium ex ducentis ac triginta annis. Eandem temporis rationem, ut opinor, ex Eusebio Adon assumpsit & secutus est.

Ex his poterit Lector observare, maximum esse discrimen inter Græcorum non tantum historicorum, sed & Theologorum, Chronologiam, & eam quæ ex Metasthene ac Philone à Driedo, Jo. Annio & Lucido traditur. Verum apud me maxima est Platonis fides, qui nec de re admodum sibi incognita, nec insigniter antiqua, quod paulò antè ex eo retulimus, scripsit; ut interim milios faciam ejus ætatis auctores, quippe

quippe qui tanti æstimem Platonis testimonium, ut multo um loco propter ejus integritatem illum citare decreverim. (Sed & D. Hieron. in c. 4. Ezechiel. & in c. 7. Daniel. eandem seriem regum Persarum probat. Et post alios diligenter satis Reiner. lib. de familiis Monarchia secunda.) Quo fit, satis esse dubiam eam opinionem, quam in connumerandis Persarum Regibus ex Philone & Metasthene quidam secuti fuerunt.

*Machabæorum libri duo.*) Horum primum Hebraicum legi, secundum vero Græcum, testis est Hieronymus in Prologo Galeato, uterque omittitur à Melitone Sardiensi apud Eusebium de histor. Eccles. lib. 4. cap. 26 & Nicephorum lib. 4. cap. 10. D. August. de Civit. Dei; lib. 18. cap. 36. de his libris ita scribit, In quibus sunt & Machab. libri, quos non Judæi, sed Ecclesia pro Canonicis habet, propter quorundam Martyrum passiones vehementes atque mirabiles, qui antequam Christus venisset in carnem, usque ad mortem pro lege Dei certaverunt, & mala gravissima, atque horribilia perculerunt. Hæc Augustinus Origenes apud Eusebium lib. 6. Eccles. histor. cap. 25. & Nicephorum lib. 5. cap. 16. cum libros veteris testam. eti ex Canone Hebræorum numerasset, inquit, Præter hos sunt libri Machabæorum, qui apud eos inscribuntur Sarbeth, Sabaniel. Ab Ecclesia verò, quamvis in Concilio Laodiceno fuerint hi libri omisi, recepti fuere tres de rebus Machabæorum libri, per Clementem in Canonibus Apostolorum. At duo tantum Machabæorum libri primus scilicet & secundus, recipiuntur inter Canonicos in Concilio Carthaginiensi tertio, in Concilio Florentino, & in generali Synodo Tridentina & ab Innocentio Papa primo ad Exuperium Tholosanum Episcopum. Sed & Isidorus lib. 6. Etymo. cap. 2. scribit, eos libros ab Ecclesia receptos fuisse, idque ipse, & Augustinus, ante Concilium Florentinum & Tridentinum testati sunt. Qua ratione de his duobus libris Machabæorum disputandum non est, reliqui Canonici non sunt censendi. Extat & de Machabæis Josephi liber, cujus meminit Hieronymus adversus Pelagianos. Ejus verò titulus est de imperatrice ratione, in quo graphicè martyrium Machabæorum Josephus describit. Atque hæc de Machabæorum libris, quos non Canonicos, sed Ecclesiasticos censei, asseverat Rufinus in expositione Symboli. In primo Conciliorum Tomo apud Gelasium legitur, hoc in loco, Machabæorum liber unus. Sed & de duobus libris ab Ecclesia receptis multa tradit Ambrosius Catharinus adversus Casetanum, lib. 1.

De ordine Prophetarum ex eodem Gelasio apud Burchardum.

**E**saia liber unus. Jeremia cum Cinoth, id est Lamentationibus suis liber unus. Ezechielis liber unus. Danielis liber unus. Osea liber unus. Amos liber unus. Micha liber unus. Joel liber unus. Abdia liber unus. Jona liber unus. Nahum liber unus. Habacuc liber unus. Sophonia liber unus. Aggae liber unus. Zacharie liber unus. Malachia liber unus.

Hic ordo Prophetarum † eodem modo traditur in primo conciliorum Tomo ex Gelasio. Sed & idem servatur in Concilio Laodiceno, Florentino item ac Tridentino, in Canonibus Apostolorum, & in Concilio Carthaginiensi, apud Origenem & Melitonen, ac denique apud Rufinum in expositione Symboli tantum recipitur duodecim Prophetarum Scriptura, tacitis eorum nominibus, expressim tamen nominatis quatuor majoribus Prophetis, Esaia, Jeremia, Ezechiele & Daniele.

Jeremia cum Cinoth, id est, Lamentationibus suis Didaci Covarr. Tom. II.

liber unus. Ab Origene liber hic ita inter Canonicos numeratur, Jeremia cum Thronis. & Epistola, meminit & Cinoth. in prologo Galeato Hieronymus, subindicans & eum librum ab Hebræis inter canonicos cenferi.

*Danielis liber unus.*) De historia Susannæ, de Hymno trium puerorum, de historia Draconis, Belis, olim fuit equidem controversia, an haberent paræ auctoritatem cum reliquo volumine Danielis: cum & Hieronymus in præfatione scribat, hæc tria non haberi apud Hebræos, & de Susannæ historia Origenes respondens Africano qui ad eum scripserat, esse adulterinam, & à Daniele rejiciendam; ostendit non illegitimam, sed germanam potius esse Scripturam, quæ plurimum afferat utilitatis, auctoribus Eusebio lib. 6. cap. 31. de Ecclesiast. hist. Nicephoro lib. 5. cap. 12. Suida in dictione African. Eandem Susannæ historiam recipit & recipiendam esse censet Cyrillus in lib. 1. in Leviticum. Verum de Hymno trium puerorum in Concilio Tletano 4. cap. 13. dicitur, cum in tota Ecclesia celebrati. Deniq; de his tribus, quamvis olim non fuerint in canone, tamen propter auctoritatem Septuaginta interpretum, & sanctorum doctorumque virorum, qui post Christum statim ab initio nascentis Ecclesiæ usi fuere testimonio ex hujusmodi Scripturis: asseverandum est, eas Ecclesiam recepisse, ut publicè legantur; non tamen ut parem habeant auctoritatem ad demonstranda ea quæ sunt fidei, cum his libris qui Canonici dicuntur, quemadmodum Jo. Driedo censet lib. 1. de Dogmatib. Eccles. part. ult.

*Baruch liber quia non legitur apud Hebræos, teste Hieronymo in præfatione in Jeremiam.* ab Origene, eodem Hieronymo, Rufino, Melitone Sardiensi, Augustino, & aliis omisus est, nec palam Ecclesia eum recepit, usque ad Synodum Florentinam, quæ & post eam Tridentina Scripturam hæc receperunt. Atque idem non est controversandum, an Canonica sit, cum Ecclesia Catholica illam in Canonem receperit. Fuit autem Baruch Jeremiæ notarius, ut idem Hieronymus scribit ex c. 32. Jeremia.

Ordo librorum † novi Testamenti, quos universalis Ecclesia observat, ex Gelasio apud Burchardum.

**E**vangeliarum libri quatuor, secundum Mattheum liber unus. Secundum Marcum liber unus. Secundum Lucam liber unus. Secundum Joannem lib. unus. Actus Apostolorum. Epistola Pauli, numero quatuordecim. Ad Romanos epistola una. Ad Corinthios epistola dua. Ad Galatas epistola una. Ad Ebesios epistola una. Ad Philippenes epistola una. Ad Colossenses epistola una. Ad Thessalonicenses epistola dua. Ad Timotheum epistola dua. Ad Titum epistola una. Ad Philemonem epistola una. Ad Hebræos epistola una. Apocalypsis Joannis liber unus. Petri Apostoli epistola dua. Jacobi Apostoli epistola una. Joannis epistola tres. Jude Zelotii Apostoli epistola una.

Hæc item littera extat ex Gelasio in primo Conciliorum Tomo. Hi verò libri omnes recepti sunt, & in Concilio Carthaginiensi tertio, in Florentino, & deinde in Tridentino. Sed & olim à Clemente in Canonibus Apostolorum in Canonem recepti fuere omnes præter Apocalypsim, quam Clemens omisit. Concilium verò Laodicenum Joannis item Apocalypsim omittit, recipit tamen Actus Apostolorum, quod paulo post tractabimus.

*Secundum Marcum liber unus.*) Hoc Evangelium Marcum scripsisse dictante Petro, testis est Origenes apud Eusebium lib. 6. Ecclesiast. histor. cap. 25. & Nicephorum lib. 5. cap. 16. idem Eusebius hoc asserit li. 2. cap. 14. & lib. 3. cap. ult. & lib. 6. cap. 13. & lib. 5. cap. 8. idem lib. 3. De demonstratione evangelica. cap. 5. Rursus Nicephorus lib. 2. cap. 45. & cap. 15, idem ex Clem.

Alexandrino *lib. 4. cap. 33.* Nam & Petrus in *epistola* Marcum filium vocat: *Salvatus vos*, inquit, *Ecclesia, quæ est in Babylone coelestis, & Marcus filius meus.* Sed & Hieronymus Marcum Petri interpretem appellat in *lib. de script. Ecclesiast.* & quamvis, teste Hieronymo in *epistola ad Hedibiam. qu. 3.* olim à quibusdam non fuerit receptum ultimum caput hujus Evangelij, Ecclesia tamen illud, sicut & alia, ut Canonicum recepit: nec est hac de re dubitandum, siquidem à Latinis & Græcis scriptoribus Ecclesiasticis, inter Canonicas Scripturas connumeratur. Quod adversus Cajetanum *lib. 1.* tradit Ambrosius Catharinus.

*Secundum Lucam liber unus.* Scribit Eusebius *lib. 3. c. 24. Eccles. histor.* Lucam hoc Evangelium scripsisse adjutum colloquio, convictu & familiari consuetudine Pauli, cæterorumque Apostolorum. Idem tradit Nicephorus *lib. 2. c. 45.* sed & Origenes paulò antè citatus, apud eosdem asseverat, hoc Evangelium à Paulo laudatum fuisse, idque Paulum Gentibus scribi curavisse, ut tandem verè idem Nicephorus scripserit in *d. c. 45.* Lucam Evangelium jussu Pauli composuisse. Sed & Pauli ministrum Lucam appellat Irenæus apud Eusebium *lib. 5. Eccles. hist. c. 8.*

*Secundum Joannem liber unus.* Hoc Evangelium Joannes Apostolus scripsit ea ex causa, quòd publicatis trium Evangelistarum libris, quos & ipse Joannes recipiendos esse censuit, fidem illis veritatis attestatus, desiderari tamen in eis quædam dixit, quæ Salvator noster initio prædicationis gessisset. Etenim tres illi, res tantummodò Christi à vinculis Joannis exorti, multa omiserunt quæ Joannis vincula præcesserunt, quæ tamen in Evangelium suum Joannes retulit, secundum Eusebium *lib. 3. Eccles. hist. cap. 24.* & Nicephorum *lib. 2. c. 45.* Et præterea, quia Joannes animadvertisset, quòd ab aliis in Evangelijis corporalia satis essent exposita, divino spiritu vehementius agitatus, spiritualia, & quæ Theologiæ atque divinitatis propria sunt, accuratè protulit, & suum Evangelium composuit. Quod ex Clemente Alexandrino adnotaverunt Nicephorus *lib. 4. cap. 33.* Euseb. *lib. 6. cap. 14.* Idem ipse scripserat *lib. 3. cap. 24.* Denique hoc Evangelium scriptum fuit ad evertendas Ebionitarum hæreses, quorum passim veteres Theologi meminere, idque Hieronymus tradit in ipsius Joannis vita. Commemorat Nicephorus *lib. 10. hist. Eccles. cap. 33.* tempore Juliani Imperatoris, in specu quodam sub templi Hierosolymitani fundamentis librum Evangelij secundum Joannem inventum fuisse. Ceterum de historia mulieris adulteræ quæ *cap. 8.* Joannis traditur, dubitarunt olim quidam, auctore Hieronymo *dialog. 2. adversus Pelagianos*, ex eo quòd in plerisque exemplaribus Græcis ea non contineretur. Ecclesia tamen caput hoc Joannis & historiam istam pari auctoritate, ut & alia ipsius Evangelij capita recepit. Nam & Ambrosius in *epist. ad Studium*, semper in Ecclesia decantatam fuisse testatur. Quo fit, ut audacter nimis Cajet. asseveraverit non esse authenticam primam partem *capit. 8.* apud Joannem, nec ejusdem auctoritatis, cujus & reliquum Evangelium. Cui opinioni & Synodus Tridentina refragatur.

*Ad Hebræos epistola una.* Hanc epistolam Canonicam esse, & ab eodem Apostolo Paulo scriptam fuisse, constat testimonio Ecclesiæ, & summorum Pontificum. Hoc etenim titulo & nomine inter Canonicos libros adnumeratur in Canonibus Apostolorum, in Conciliis Laodiceno, Carthaginensi tertio, Florentino & Tridentino; ab Innocentio Papa primo ad Exuperium Tholosanum Episcopum, à Gelasio primo, cujus responsum interpretamur, & Gregor. Nazianzeno in eo carmine, quod de libris sa-

cris scripsit, & à Cyrillo Hierosolymitano in *Ca. t. chesi 4.* Eandem epistolam à Paulo scriptam fuisse, & à Luca ex Hebræo in Græcam linguam translata, testis est Clemens Alexandrinus apud Eusebium *lib. 6. histor. Eccles. cap. 14.* & Nicephorum *lib. 4. cap. 33.* Origenes item, quamvis de auctore primùm dubitaverit, fatetur tamen, ejus epistolæ sententias Pauli Apostoli esse; & meritò, non equidem frustra, nec temerè, veteres eam Paulo adscripsisse. Et subdit, vel à Clemente primo Pontifice vel à Luca ex Pauli Apostoli dictis eam editam ac transcriptam esse, sicuti ex eodem Origene referunt Eusebius *lib. 7. Eccles. hist. cap. 25.* & Nicephorus *lib. 5. cap. 16.* Idem verò Euseb. *lib. 3. cap. 37.* & Nicephorus *lib. 2. cap. ult.* ex testimonio Clementis Papæ primi hanc ad Hebræos epistolam Pauli Apostoli esse censent. Idem censura Parisiensis ex Damasceno, Athanasio, Chrysostomo, Theophylacto & Isidoro probat, quemadmodum traditur à Claudio Guillando super eandem epistolam, & ab Ambrosio Catharino *lib. 1. contra Cajetan.* Nec ipse video, qua ratione absque temerariæ & suspectæ opinionis labe post tot Concilia, tot Theologorum decreta & sententias dubitare quis possit, an hæc epistola Canonica sit, & an ejus auctor fuerit divus Paulus; ut dubitat Cajet. scribens, non posse ex hujus epistolæ auctoritate definire, si quod dubium in fide Catholica emergerit, quod temerarium est, licet olim dubitaverit Hieronymus, & Cajus quidam negaverit eam esse Pauli, ut commemorat Nicephorus *lib. 4. cap. 34.* post Eusebium *lib. 6. cap. 21.* quo teste *lib. 3. cap. 3.* & alij olim dubitarunt de hujus epistolæ auctore.

*Apocalypsis Joannis liber unus.* Rursus & hunc librum esse Canonicum, & ab Apostolo Joanne scriptum, non est nunc dubitandum, siquidem ab Ecclesia hæc controversia definita est in Concilio Carthaginensi tertio, Florentino item & Tridentino, à Gelasio & Innocentio summis Pontificibus, ut impium sit hac de re dubitare. Nam & in Concilio Tol. *4. cap. 16.* excommunicationis pœna indicitur ei qui hunc librum ejusque auctoritatem non receperit, præmittiturque ibidem, præscriptum esse à multis Conciliis, & summorum Pontificum decretis, librum istum Joannis esse Apost. Et quamvis olim fuerit hac de re à quibusdam dubitatum, nempe à Dionysio Alexandrino Episcopo, auctoribus Eusebio *Eccles. hist. lib. 7. cap. 25.* & Nicephoro *lib. 6. cap. 22.* & seq. tamen idem Euseb. *lib. 6. cap. 26.* & Nicephorus *lib. 5. cap. 16.* ex Origenis testimonio, & ex Irenæo Euseb. *lib. 3. cap. 18.* Nicephorus *lib. 3. cap. 9.* ex Justino Martyre in *dialogo cum Tryphone Judeo*, Eusebius. *lib. 4. cap. 18.* & Nicephorus *lib. 4.* hunc librum esse Joannis Apostoli constanter asseverant. Idem scripserat Euseb. *lib. 3. cap. 24.* tametsi meminerit controversiæ, quæ tunc tractabatur de ejusdem libri auctore & auctoritate. Rufinus item in *expositione Symboli*. Isidorus, & plerique alij communem Ecclesiæ definitionem ac traditionem securi librum istum inter Canonicos adnumerant, & Hieron. *de script. Eccl.* tradit Joannem Apost. sub Domitiani persecutione in insulam Pathmum relegatum Apocalypsim scripsisse. Idem tradidere Eusebius in *Chronicis, & lib. 3. Eccl. histor. cap. 18.* & Nicephorus *cap. 9.* ut mirum non sit, Clementem Papam hujus libri in *canonibus Apostolorum* non meminisse, quum & is eo tempore summum Pontificatum Romæ obrinuerat, & fortassis nullam ejus habuerit cognitionem. Obiit enim Clemens eo tempore, quo Trajanus Cæsar imperare cepit. Meminit tamen Clemens Evangelij Joannis, quod is Ephesi multò ante Apocalypsim scripserat. Concilium autem Laodicenum etiam omi-

sit Apocalypsim: sed non est modò de ea re disputandum, cum sit satis, librum istum, & hodie ab Ecclesia inter Canonicos receptum fuisse.

*Petri Apostoli epistola dua.*) De priori nulla umquam fuit controversia, de posteriori verò anceps apud veteres fuit opinio secundum Euseb. lib. 3. c. 3. & cap. 25. & Nicephor. lib. 2. cap. ult. & Hieron. de script. Eccles. Origenem etiam, qui quidem auctores nihilominus eam Canonicam esse, & à Petro scriptam existimantur, idque modo dubium non est, nec de ea re jure potuit olim dubitari. Nam & à Clemente Papa primo, ab Innocentio, Gelasio, à Concilio Laodiceo, Carthaginensi, ac Tridentino, Petri Epistolæ duæ ejus esse, & Canonicæ censentur. Idem Isidorus, August. Ruffin. aliique veteres Theologi factentur.

*Jacobi Apostoli epistola una.*) Rursus & de hac non est dubitandum, ab eisdem etenim Pontificibus, Conciliis, & auctoribus inter canonicas titulo Jacobi numeratur, licet olim fuerit controversum, testibus Eusebio, Nicephoro & Hieronymo.

*Joannis Apostoli epistola tres.*) Hæ tres Joannis Apostoli Epistolæ à Clemente primo, Innocentio, Gelasio, & Conciliis omnibus & Theologis, quorum paulò antè meminimus, in Canonem receptæ fuere, licet de secunda & tertia fuerit olim controversia, auctoribus Euseb. lib. 4. cap. 24. & 25. Nicephoro, & aliis modò citatis, ac Hieronymo in lib. de script. Eccles. qui hac de re ex auctoritate Papæ dubitavit.

*Juda Apostoli epistola una.*) Hæc & in Canonem ab initio Ecclesiæ à Clem. & aliis, ut & reliquæ, recepta fuit, etiamsi de ea fuerit dubitatum, uti Euseb. Nicephor. & Hieron. testantur. Verùm de epistolis Canonicis, & Apocalypsi Nicephor. in d. cap. ult. inquit, *Sed enim libri hi, tamesi controversi ab antiquis sint habiti, postea tamen in omnibus, quæ sub cælo sunt, Ecclesiis, auctoritatem sacrosanctam & irrefragabilem obtinuerunt, & tanquam principia & elementa pietatis nostra sempiterna permanserunt.* Hæc Nicephor. de Apocalypsi, & de duabus Joannis epistolis adjiciens. *Memor alterius Joannis, qui post Apostolum Ephesine Ecclesia præfuit, ejus igitur presbyteri Ecclesiæ Ephesinorum secundam & tertiam epistolam & Apocalypsim insuper, nonnulli esse somniantur.*

Ex Gelasio.

*Post Propheticas, & Evangelicas, atque Apostolicas scripturas, quibus Ecclesia Catholica per gratiam Dei fundata est, etiam illud intimandum putavimus, quod quamvis universe per orbem diffusa Catholica Ecclesiæ unus thalamus Christi sit; sancta tamen Romana, & Apostolica Ecclesia nullis Synodis cæteris Ecclesiis prælata est, sed Evangelica voce Domini Salvatoris nostri primatum obtinuit: Tu es Petrus, inquit, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi dabo claves regni cælorum: quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata & in cælo. Cui data est etiam societas B. Pauli Apostoli vasis electionis, qui non diverso, sicut hæretici garrunt, sed uno tempore, uno eodemque gloriosa morte cum Petro in urbe Romana sub Casare Nerone agonizans, coronatus est, & pariter suprædictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, hancque omnibus urbibus in universo mundo sua præsentia, atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli sedes Romana Ecclesia, non habens maculam, nec rugam, nec aliquid hujusmodi. Secunda autem sedes apud Alexandriam, B. Petri nomine, à Marco eius discipulo & Evangelista consecrata, ipseque à Petro Apostolo in Ægyptum directus, verbum*

*veritatis prædicavit, & gloriosum consummavit martyrium. Tertia verò sedes apud Antiochiam ejusdem B. Petri nomine habetur honorabilis, eò quod illic, priusquam Romam venisset, habitavit, & illic primum nomen Christianorum novella generis exortum est.*

*Quibus Ecclesia Catholica fundata est.*) Id est, quibus Scripturis, quas semel Catholica Ecclesia divinas & Canonicas esse declaravit, denunciavit ac definit, per Spiritus sancti gratiam, eadem Ecclesia vitur ad probandum probatione irrefragabili ea, quæ ad finem ac religionem Christianam attinent, & ad evertenda, quæ hæretici quotidie adversus Catholicam unionem ejusque canones ac decreta comminiscuntur, sicuti explicuimus in hujus capituli initio. Hac etenim ratione divinæ Scripturæ propter irrefragabilem ac sacrosanctam auctoritatem, principia atque elementa pietatis ac religionis nostræ dici jure optimo poterunt, ac dicuntur à Nicephoro Græco Ecclesiasticæ historiæ auctore lib. 2. cap. ult.

*Unus Thalamus Christi sit.*) Ecclesia † igitur Catholica dicitur, id est universalis, quòd protendat palmites suos in quælibet loca & tempora, continuata sub uno duce invisibili Deo in unitate fidei & religionis, quæ quidem societas in orbe semper fuit, & erit usque in consummationem sæculi, *Matth. 24. cap. 24. Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Idem probatur *Luca cap. 24. & Actor. cap. 1.* Erit enim, & fuit; Catholicæ & universalis Ecclesiæ per totum orbem, omnesque gentes diffusa unus thalamus Christi. Una, inquam, fides, unum baptisma, unus Deus, caput Christus. Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate, teste Paulo *ad Ephes. cap. 4.* Denique manifestum est, & veteris & novi Testamenti unam eandemque Ecclesiam esse fundatam super fundamentum Prophetarum & Apostolorum; hoc est, Christum, qui utriusque populi fundamentum est, & lapis ille angularis, quo uterque populus connectitur, juxta *Psal. 117. Ecclesia igitur dicitur Catholica, nempe universalis, quia ubique una, in omnibus una, atque una super omnia. Sic etenim eam agnoscit Pacianus Barchinonensis in Epist. 1. ad Sempronium. Sed & piè atque eleganter eam nobis depingit Vincentius Lirinensis in eo libro quem adversus hæreses eruditissimè scripsit, & ante eos Optatus Milevitanus lib. 2. & Cyprian. de unit. Eccles. Idem & D. August. docet. lib. de vera religion. cap. 7. & de utilit. creden. cap. 7. lib. contra adversar. legis cap. 12. & aliis plerisque locis, præsertim epist. 49. qua de re tractat latè Francis. Balduinus in historia collationis Africane ad Optatum. Cæterùm ubi Christus de audienda Ecclesia præcipit, vel Patres post Apostolos de auctoritate Ecclesiæ disserunt, Ecclesia consideranda est, ut complectitur omnes qui habent communionem fidei, doctrinæ & aliorum quæ his adhærent ex unione per fidem per quam omnes fideles sunt grex sub uno pastore: ut sit juxta hunc sensum Ecclesia populus in unam professionem fidei coherens saltem secundum unionem professionis, & visibilem quandam Christianæ fidei formam; in quo cœtu & bonos, & malos dicimus esse permixtos, qui etsi non sint colligati omnes unitate spiritus, & vinculo charitatis; colligati tamen sunt secundum unionem unius signaculi fidei, & corporaliter conjuncti secundum visibilia pietatis sacramenta. Hanc etenim Ecclesiam, quæ audienda est, & cujus auctoritas sequenda; nobis*

oportet esse cognoscibilem, atque ideo visibilem. Hæc denique est illa Ecclesia quæ apud Matthæum *cap. 13.* comparatur sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; & apud eundem de decem virginibus *cap. 25.* è quibus quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. Sunt ergo mali in Ecclesia Dei non secus, quàm palea in frumento, ex Augustino libro de *Baptismo. cap. est unitas, de consecratione. distinct.* 4. eodem Augustino de *fide ad Petrum. cap. 43.* repetitque idem auctor hanc sententiam, quam de Ecclesia adscriptimus, sæpè adversus Donatistas, & in libro de *vera religione. cap. 6.* & præcipuè in libro suo contra *Epistolam Petiliani*, de Ecclesiæ unitate Synodus etiam Constantiensis adversus Joannis Huserros, *sessione 15.* definiuit; bonos & malos, peccatores ac iustos, ad Ecclesiam, ejusque unionem, quæ fide constat, pertinere. Sed & Synodus Tridentina, *sessione 6. cap. 15. canon. 28.* contra Lutheranorum hæreses, pronuntiavit peccato mortale fidem non amitti, eamque tunc, quamvis mortua sit, nec viva dici possit, veram tamen esse fidem, quæ sufficiat ut quis dici verè possit Christianus. Qua de re juniores tractavere Alphonsus de Castro libro de *heresibus. in verb. Ecclesia.* Dominicus Soto libro 2. de *natura & gratia. cap. 7. & 8.* præter hoc Concilium Coloniense in expositione Symboli.

11 Primatum obrinuit. ) Probat Gelasius, † Petri & Romanoꝝ Pontificum qui ei succedunt, primatum ex divina institutione vim obtinuisse, non equidem humanis constitutionibus, id verò deducit ex verbis Christi Jesu apud Matthæum, *cap. 16.* Idem Nicæna sacrosancta Synodus in *præfatione* asseverat, ex eodem Matthæi loco, *Tu es Petrus, & super hanc petram adificabo Ecclesiam meam, petram intellexit Petrum ipsum.* Nam licet quidam ex Patribus locum illum variè intellexerint, communi tamen eorum consensu ea interpretatio recepta est, ex qua Catholicum primatum Petri, & Sedis Apostolicæ probari, non dubitant, præter alia Juris divini testimonia. Petram enim Petrum intellexere, Tertullianus de *prescriptionibus*, Clemens in *epist. ad Jacob.* Origenes & Hilarius in *diclo. cap. 16. Matthe.* Rufus Origenes ad *Rom. li. 5.* Basilus contra *Eunomium lib. 2.* Ambrosius *serm. 47. de fide Petri.* & in *Serm. 2. de vinculo Pet. & Luc. lib. 4. cap. 9.* Origenes *Homil. 8. super Joan.* Cyprianus *Epist. 9. libro quarto. & lib. de heret. baptiz. & lib. de unitate Ecclesie.* Ambrosius libro *quarto. de fid. cap. 3.* Cyrillus in *Joan. lib. 2. cap. 12.* Chrysost. *Homil. 55. in Mattheum & 87. in Joan.* Leo Papa *Serm. 2. de Sancto Hieron. in Matthe. cap. 16. & lib. 1. contra Jovinian. Gregor. lib. 4. epist. 32. ad Maurizium.* Rufus Hilar. in *Psalms. 103.* nec ab hac interpretatione discedit D. August. *lib. 1. retract. cap. 21.* Imò & eam probat in *lib. contra Epist. Donat.* Sed & Chrysost. & Theophylact. in *Mattheum*, eandem videntur admittere, ut tandem in Ecclesia Catholica ex eo, & aliis locis primatus sedis Apostolicæ constet. Quæ quidem assertio Catholica est, multisque adversus hæreticos testimoniis factæ ac divinæ scripturæ, Conciliorum, veterumque Theologorum auctoritate stabilitur, ac defenditur è Joanne Rosseno contra Lutherum *articulo 25.* Joanne Eckio in libro quem de *primatu Petri* diligentissimè scripsit, ab Alphonso de Castro in *lib. de heresibus dictione Papa.* à Remundo Raso in *defensione contra Carolum Molinæum, & Alberto Pighio contro. 3. & lib. 3. de Eccl. hierarch. cap. 3. & 4.* Exstat hæc de re definitio Constantiensis Concilij, *sessione octava,* & Concilij Florentini sub Eugenio *in quarto*, ut tandem hæreticum sit contrarium assertio. Anacletus Pontifex Romanus, qui post Liavianum Petro successit, *Epist. 3. ad omnes Episcopos*, eandem assertionem tradit, apud Gratian. *22. distict.* quam in hoc loco exponit Gelasius, Operatur

lib. 3. Petrum Apostolorum caput appellat, ejus verba cum illis opinor esse conferenda, quæ D. Cyprianus in *lib. de unitate Ecclesie* scripserat. Eusebius libro *Ecclesiast. historiar. 2. cap. 14.* Petrum appellat τὸ ἐπιφανέστερον ἀποστόλων ἀρχηγόν, id est, omnium Apostolorum Principem. Nicephorus *lib. 2. cap. 14.* scribit Petrum τὸ ἀρχαῖον καὶ πρῶτον τῶν ἀποστόλων ἔχοντα δεῖν, id est, primas inter Apostolos consecutum, ut interpretatur Joannes Langius: aut quod parum differt, Petrum in omnes Apostolos primatum à Deo habentem. τὸ ἀρχαῖον, Latine quidem rectè primatum dicere possumus: quemadmodum & primas, aut secundas dicimus aliquem obtinere, subintelligentes partes. Plinius libro *decimo tertio, capite duodecimo*, inquit: *Primatum tenuit Caesar.* Marcus Varro libro *primo, de re rustica, cap. 7.* Alij dant primatum bonis patris. Quibus in locis, & aliis, quæ missa facio, primatus apud Latinos dicitur primi, summique loci auctoritas. Græcè itidem primatus ἀρχαῖον plurali numero dicitur. Nam apud Demosthenem in *oratione pro Phormione*, ἀρχαῖον, dicitur legatum, quod pater maximo, aut majori filio dedit. Et in *oratione in Boetium* pro jure præcipuo majoris filij idem Demosthenes accepit: apud Suidam λαμβάνειν βασιλείαν ἀρχαῖον καὶ ἀρχαῖον, est equidem regnum adsequi jure primogenij, & majoratus. Est denique ἀρχαῖον jus prælationis, quod ratione majoris ætatis, aut senectutis, primi, aut summi loci alicui defertur. Plutarchus in *eo libro*, quem scripsit *utrum sibi sit gerenda Respublica*, delationem honoris, quæ ratione temporis, aut ætatis, vel ab ipso tempore datur, appellari dixit ἀρχαῖον, à multis, sed propius ac verius dici ἀρχαῖον. in *Canonibus* verò ut dixi, plurali numero adsumitur hæc dictio, ut significet prælationem, prærogativam, aut privilegia, quæ jure summi, primique loci, vel in provinciis, vel in toto orbe Ecclesiasticis Principibus concedantur, aut divinitus esse concessa probatur à summis Pontificibus, vel synodis universalibus, in concilio Nicæno *e. 6.* Græcè τὸ ἀρχαῖον Ecclesiæ Antiochenæ, & aliarum, quæ in provinciis primum locum obtinent, dicuntur, quæ apud Gratianum *65. distict. cap. mos antiquus*, privilegia Latine appellantur. Quod parum refert, modo privilegia intelligas, quæ ad prælationem primatus pertinent. Nam de his canon agit, atque ideo Remundus Rufus verè estimat, potuisse commodè ex Græco canone verti primatum. Sed & idem Rufus admonet legendum esse apud Gratianum: *Mos antiquus perduravit*: imperandi modo. cum ex Græco codice concilium jobeat, consuetudines antiquas valere, vim suam, & robur habere, nec tantum mores narret, sed etiam probat; ita enim scriptum est, τὸ ἀρχαῖον ἀεὶ καὶ παραίται, id est, antiquæ consuetudines perdurent. Concilium etiam Constantinopolitanum *cap. 3.* censuit, post Romanam Ecclesiam Constantinopolitanam τὸ ἀρχαῖον τῆς πρῆτης, id est, prælationem honoris habere, aut primatum Græca etenim dictione de primatu Constantinopolitanæ Ecclesiæ tractantes, etiam usi fuere Sozomenus *lib. 7. Eccl. hist. c. 9.* & Nicephorus *lib. 12. c. 13.* & Socrates *lib. 5. c. 8.* Etenim sicut divinitus Romana Ecclesia, ejusque Pontifex in toto orbe primatum obtinet; ita & concessione ipsius, vel Conciliorum canonibus aliquot Episcopi, aut Pontifices in provinciis primatum in alios Episcopos obtinuerant, ut tandem similitudo Primatum, Patriarcharum, aut Archiepiscoporum cum Romano Pontifice in hoc tantum datur, quod quemadmodum in omnem totius orbis Episcopos summus Ecclesiæ Romanæ Præsul primatum à Deo obrinuit, ut Petri successor, ita & Primates in provinciis erga Episcopos alios jus prælationis obrineant. Non est tamen concedenda similitudo

in radice, & auctoritate hujus prælationis, nec in ipsius majestate, aut extensione, siquidem primatus Papæ competit ex divina institutione, & in totum Christianum orbem protenditur, ac vires habet, Primatus verò aliorum Pontificum jure humano, & in provinciæ tantum Episcopos, aut regionis Prælatos conceditur, ex quo poterit lector expendere veram interpretationem Nicæni concilij *in d. c. mos antiquus*. (His adde quæ de Romana sede tradiderunt Soto *in 4. dist. 24. col. ult.* & Card. Polus *in tract. de Concil. qu. 59. & seq.* Ludovic. Macoranus *in Clypeo militiae lib. 13.* Nicolaus Sanderus *in Monarchia lib. 1. cap. 10.* & rursus *lib. 7.* Nam & D. Cyprian. *in Epist. ad Cornelium de Polycarpo Adromantino lib. 1. Epist. 45.* Romanam Ecclesiam esse Catholicæ Ecclesiæ matricem & radicem profiteretur.)

*Sed uno tempore, uno eodemque die.*) Ultimo Neronis anno ipse Cæsar primam in Christianos persecutionem molitur, in qua Romæ ejus jussu Petrus, † Paulus, cruci affixus pedibus in sublime elevatis, & capite in terram verso, hic gladio mortem martyrio subierunt, teste Eusebio *in chroniciis*, cui & Hermanus Contractus, & Platina accessere. Sed hos Ecclesiæ Principes eodem tempore martyrio fuisse perfunctos ex testimonio Dionysij Corinthiorum Episcopi probat Eusebius *libro secundo historiar. Ecclesiast. cap. penultimo* & post eum Nicephorus *lib. 2. cap. 37.* qui capite præcedenti scripserat, hoc illustre martyrium eodem tempore, eodemque die contigisse. Idipsum Eusebius, & Platina sentire videntur. Sed & præter Gladium, & Nicænam synodum *in præfatione Divus Hieronymus de scriptoribus Eccles.* commemorat, Paulum decimoquarto Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatum fuisse, anno post passionem Domini, trigésimo septimo. Ex quibus deducitur, Petrum & Paulum occisos, & martyrio coronatos fuisse anno à Nativitate Domini septuagesimo. Quod Eusebius, Contractus, & alij fatentur. Sed & Joannes Zonaras *in Nerone* tradit, quoddam existimasse, hoc martyrium eodem tempore contigisse, alios verò eodem die, sed anno diverso. Nam & Abdias Apost. Hist. *libro 2.* scribit Paulum passum fuisse tertio Calend. Julias, duobus jam à passione Petri elapsis annis. At Georgius Cedrenus *in Epitome*, de die idem tradit, anno verò uno post Petrum occisum fuisse Paulum asseverat. De die verò hujus martyrij præclarissimi præstat nobis irrefragabile testimonium Ecclesiastica traditio, quæ probat, id contigisse Romæ tertio Calend. Julias: id est, vigesima nona die Junij. Nam & Ecclesia Catholica hoc die horum Apostolorum commemorat martyrium. Extat hac de re inter alia, quæ de rebus Ecclesiasticis tractantur, Græcæ lingvæ fragmentum quoddam, ubi Apostolorum Petri & Pauli mors adscribitur diei quintæ Panemi mensis, quæ & illic apud Romanos dicitur esse 3. Calend. Julias: annus verò numeratur trigésimus sextus à Jesu redemptoris nostri passione. Mensis tamen Panemus apud Macedonas idem est, qui apud Romanos Julius, auctore Suida. Cui suffragantur Eusebius *lib. 8. Ecclesiastica historia.* Evagrius *lib. 4. capit. primo*, & Nicephorus *libro decimo septimo, cap. primo*. & Anselmus *lib. 2. de imagine mundi cap. 6.* Ut tandem hac ratione observata quinta dies Panemi mensis esset quinta dies Julij, non vigesima nona Junij, Verùm illud est adnotandum, menses quibus Macedones, Græci, & alij utuntur, non omnino ad exactam rationem cum nostris convenire: imò & apud ipsos Græcos variè considerari, & sumi. Nam cum Artemisius mensis nostro Maio conveniat auctore Evagrion *lib. 4. cap. 5.* atque item Suida: ex Epiphonio tamen *lib. de mensuris con-*

stat, vigésimam tertiam diem Artemisij eam esse, quæ apud nos est decima sexta Maij & Thucydides *libro quinto*, auctor est, Artemisium apud Macedones cum esse mensem, qui apud Athenienses sit *Elaphebolion*, qui nostro Februario convenit. Et idè reprehensione non carent qui mensem mensi comparare conati sunt, quasi ad scrupulum inter se respondeant. Nec mirum erit in ea commemoratione hujus martyrij, quam ex Græcis fragmentis observavimus, Panemum mensem incipere à vigésima quinta die mensis, qui apud nos dicitur Junius: esseque ejus quintam diem nostri Junij vigésimam nonam. Comparatur verò tunc Panemus mensis Julij, quia ejus maxima pars ei convenit, & juxta dierum majorem numerum respondere videatur. Sed & apud Demosthenem *in oratione de corona ex epist. Phil. regis Macedonum* constat, à Corinthiis Panemum mensem dici qui à Macedonibus Lous, ab Atheniensibus Boedromion dicitur, qui dubio procul apud Romanos est Augustus. Rursus Plutarchus *in Camillo* scribit, à Bæoticiis Panemum mensem dici Julium. Idemque Plutarchus *in Aristide*, nisi codex fallit, satis probat, apud eosdem Bæotios Panemum mensem adhuc septem, vel octo dies adsumere ex eo mense, qui ab Atheniensibus Boedromion, à Romanis Augustus dicitur: siquidem vigésimam septimam diem Panemi mensis apud Bæoticos, quartæ diei mensis Augusti, & Boedromionis apud Athenienses comparat. Tametsi Latinus Plutarchi interpret minus exactè rationem istam ex Græco codice deduxerit. Hinc denique vera interpretatio constat Canonis 20. ex concilio Antiocheno apud Gratianum 18. *distinctione, cap. propter.* & Ivonem Carnotensem *lib. 4. Burchardum lib. 1. c. 44.* ex vulgari etenim lectione quæ exat in Gratiano, & in concilio ex secunda editione Latina, ex Græco Canonum codice, deducitur, diem qui nobis est idibus Octobris, id est, decimus quintus, esse apud Macedonas decimum mensis *Hyperberetæi*: quod Andreas Alciatus nullo adducto testimonio ad discrimen istud adnotavit *lib. 1. Parerg. cap. 48.* In ipso concilio ex prima editione, & apud Burchardum dies decima quinta mensis *Hyperberetæi* dicitur illa, quæ apud nos est, idibus Octobris: atque ita convenit omnino Octobri mensi *Hyperberetæus* Macedonum mensis apud Suidam. Ex quo *in dicto Canone, & cap. propter.* vera lectio restituenda est, ubi mensis hic falsò dicitur *Hyperberetæus* & apud Anselmum eodem fermè errore *Hyperbores*. Burchardi verò liber veræ lectionis vestigium habet. Sed & Josephus *lib. 3. de antiq. c. 10.* mensis *Hyperberetæi* apud Macedones meminit, scribens, eum convenire septimo Hebræorum mensi, ejusdem mensis meminit idem Josephus *lib. 12. Antiq. c. 3. & lib. 2. de bello Jud. c. 39. & lib. 4. c. 7.*

*Secunda autem sedes apud Alexandriam.* Egēippus inter scriptores Ecclesiasticos vetustissimus, vicinusque Apostolorum ætati, teste Hieronymo, qui que floruit sub Pio Antonino, auctoribus Eusebio *libro 4. Ecclesiastica historia, cap. undecimo*. & Nicephoro *lib. eodem, cap. 7.* quatuor orbis præcipuas civitates connumerans *lib. 3. de ex idio Hierosolym. cap. 5.* scribit primum locum obtinuisse Romam, secundum Alexandriam, tertium Constantinopolim, quartum Antiochiam. Quæ tamen ut illic adjicitur, olim tertium locum obtinuerat, priusquam Constantinopolis civitas Byzantinorum crevisset. Hæc apud Egēippum ex translatione D. Ambrosij, quæ ab ipso Latino interprete partim addita fuisse vel ex eo existimaverim, quod ætate Egēippi Byzantium nondum tanti nominis fuerit, nec Constantinopolis diceretur. Atque idè ex Egēippo illud erit observandum, primum locum Romam, secundum Alexandriam, tertium Antiochiam obtinuisse: qua in

re cum Gelasio convenit Egesippus. Quod verò de Constantinopoli scribitur, D. Ambrosio, ejusque ætati tribuendum est, cæterum quod Gelasius hoc in loco tradit, scripserat prius Anacletus Pontifex summus in *Epistola 3. ad omnes Episcopos, cap. sacrosancta. 22. distinctione*, & proficitur Nicæna synodus in *præfatione*: tamen Zonaras historicus scribat, Constantinum Magnum, primum Patriarchatus locum post Romam dedisse Constantinopoli. Qua in re variat edictum Constantini apud Gratianum in *c. Constantinus. 96. distincti*. Et in primo conciliorum tomo, & apud Alber. in *l. 1. §. initio. ff. de offic. præf. urb.* Nullibi tamen Constantinopolitana Ecclesia ex eo edicto præfertur Alexandrinæ, imò nec Antiochenæ: qua in re non satis certa tradit Eusebius de donatione Constantini. *lib. 1. pag. 55. num. 43.* Verum in concilio Constantinopolitano primo *Canone 5.* sub Papa Damaso datus est primatus honoris post Romanam Ecclesiam Constantinopolitanæ, ut inter Patriarchas Archiepiscopus Constantinopolitanus primum locum post Romanum Pontificem obtineret. Hujus Canonis meminere Sozomenus *lib. 7. Ecclesiastica histor. cap. 9.* Socrates *lib. 5. cap. 8.* Zonaras in *tertio Annalium tomo. in Theodosio.* Nicephorus *lib. 12. cap. 13.* & Gratianus *22. distinctione. cap. Constantinopolitana.* Idem statutum fuit in quarta synodo generali apud Chalcedonem *actione 16.* quod & Nicephorus *lib. 15. cap. 7. & ult.* post Evagrium *lib. 2. capit. 4. & ult.* quorum canonum sensum meminit Justinianus, idem privilegium Constantinopolitanæ commemorans in *Novella 131.* idem postea repetitum fuit in concilio sexto generali Constantinopoli celebrato sub Agathone Papa *Canon. 36. cap. renovantes. 22. distinctione.* & ab Innocentio tertio Romæ in Concilio generali, *can. antiqua de privil.* quo in loco summus Pontifex omissa Romana Ecclesia, quæ super omnes alias potestatem & jurisdictionem habet † quatuor sedes Patriarcharum juxta ordinem privilegij, & prælationis connumerat, ut prima sit Constantinopolitana, secunda Alexandrina, tertia Antiochena, quarta Hierosolimitana, quàm & sexta Synodus à Romana incipiens quintam & ultimam nominaverat inter Patriarcharum sedes. De quibus interpretes juris Pontificij multa tradidere, post alios Chassanæus in *Catalogo gloria mundi, quarta parte, consideratione nova.* Illud tamen mirum videri poterit, cur Gelasius prætulit Alexandrinam Ecclesiam Constantinopolitanæ, idemque fecerit Ambrosius, cum & tunc ex Synodis Constantinopolitana prima, & Chalcedonenſi data esset Ecclesiæ Constantinopolitanæ prælatio hæc, ut prior esset Alexandrinâ. Quod si dixeris à Leone primo summo Pontifice illud prælationis jus revocatum fuisse, & Alexandrinæ Ecclesiæ restitutum: cur equidem post Leonem ante sextam synodum Justinianus Cæsar ex Canonibus Ecclesiasticis in *dicta Novella*, quæ extat titulo de *Ecclesiasticis titulis* asseverat, jus hoc prælationis Constantinopolitanæ Ecclesiæ, ut prior sit Alexandrinâ, eidemque præferatur, competere? Justinianus tamen animo in Constantinopolim urbem propensissimo, utque ei benevolentissimè faveret, Chalcedonenſis synodi, & Constantinopolitanæ primæ Canones secutus fuit, eoque jure pronunciavit, Constantinopolitanam Ecclesiam præferendam fore Alexandrinæ. Gelasius verò etſi sciret, quid ea de re in his synodis fuisset statutum, maluit Leonis Papæ definitionem sequi. Is etenim, ut constat ex actis Chalcedonenſis synodi, & ex *Epist. 57. & 59.* licet confirmaverit concilij Chalcedonenſis Canones ad fidem pertinentes, decretum hoc de prælatione Constantinopolitanæ Ecclesiæ noluit admittere, nec probare, imò Alexandrinæ Ecclesiæ jus prælationis quoad Consti-

nopolitanam restituit. Ex Ambrosio fortassis illud deduci poterit, primum locum obtinuisse Romam, secundum Constantinopolim, tertium Alexandriam, quartum Antiochiam. Tantum etenim commemorat olim quartum locum habuisse Constantinopolim, priusquam ipsa urbs crevisset, at postea dat ultimum & quartum locum Antiochiæ: nec palam explicat, an Alexandria fuerit prælata Constantinopoli, an è contrario Constantinopolis Alexandria, tamen tempore Ambrosij ex Concilio Nicæno Alexandria prælata fuit Constantinopoli: & rursus ex concilio primo Constantinopolitano, Constantinopolis Alexandria: sed hoc concilium an fuerit celebratum priusquam Divus Ambrosius è Græco in Latinum verterit Egesippum, dubitari poterit, atque ideò verba Ambrosij poterunt intelligi, vel secundum concilij Nicæni definitionem ut habeat secundum locum Alexandria post Romam, cum nondum constet, an ea prælatio fuerit revocata eo tempore per synodum Constantinopolitanam primam, vel ea revocatio fuerit apud Occidentales Prælatos probata, & recepta. Nec enim de Chalcedonenſi synodo tractandum est, quoad Ambrosij opinionem, cum dubio procul nondum esset celebrata. Quod si Ambrosij verba intellexerimus eo in sensu, ut Constantinopolitana Ecclesia sit Alexandrinæ prælata eo tempore dicemus Ambrosium scripsisse illud opus post synodum primam Constantinopolitanam, quæ Divi Ambrosij ætate, & postquam is fuerat Mediolanensis Episcopus electus, congregata fuit. Ex quibus lector satis poterit intelligere, quæ fuerint hac de re vicissitudines, ut parum necessarium sit quod Gratianus in *dist. cap. renovantes*, voluit adnotare, minimè expendens, quæ fuerit olim de prælatione inter has Ecclesias controversia. Quæ quidem fuit diligenter observanda quamvis aliter hanc controversiam, & litem componere conetur Franciscus Torrenſis in *libro de Canonibus sexta synodi*: apud quem præter alia multa illud observandum erit, in *cap. renovantes. 22. distincti.* falsò legi petimus, ut *Constantinopolitana sedes similia privilegia, quæ inferior Roma habet accipiat.* Imò legendum esse, *quæ senior Roma habet*, ex Græcis codicibus, & vetustissimis exemplaribus.

## CAPUT. XV.

Rursus ex Gelasio de quatuor Conciliis universalibus, quæ prima fuere.

## SUMMARI A.

- 1 Nicæna synodus, quo tempore fuerit celebrata.
- 2 Synodus secunda Constantinopolitana.
- 3 Synodus tertia Ephesina.
- 4 Synodus quarta Chalcedonenſis.

**E**T quamvis aliud fundamentum non possit ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus, tamen ad adificationem nostram eadem sancta Romana Ecclesia post illas veteris, & novi Testamenti, quas regulariter suscepimus, etiam has suscipi non prohibet scripturas. Sanctam synodum Nicenam trecentorum decem & octo Patrum, mediante Maximo Constantino Augusto, in qua Arius hereticus condemnatus est. Sanctam synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto, in qua Macedonius hereticus debitam damnationem accepit. Sanctam synodum Ephesinam, in qua Nestorius damnatus est, cum consensu beaſſimi Celeſtini Papa, mediante Cyrillo Alexandrinae sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato. Sanctam synodum Chalcedonenſem mediante



mediante *Mariano Augusto*, & *Anatolio Constantinopolitano Episcopo*, in qua *Nestoriana*, & *Eutychniana* hæreses simul cum *Dioscoro*, eisque complicibus damnate sunt. Sed & si qua sunt concilia à sanctis patribus hæcenus instituta, præter istorum quatuor auctoritatem & custodienda, & recipienda decrevimus. Hæc *Gelasius*.

*Sanctam synodum Nicænam.*) Quamvis Nicænam & synodum aliquot Concilia præcesserint, quorum quædam fuere provincialia, quædam fuere generalia, quædam universalia ratione auctoritatis, & conciliorum universalium quoad auctoritatem origo processerit ab ipsorum Apostolorum temporibus, *Athor. c. 15*. Universalia tamen concilia ratione auctoritatis simul, & congregationis, ætate *Constantini Magni* primum incepterunt, omniumque prima synodus vetè Universalis, & Oecumenica fuit hæc *Nicæna*, cujus à *Gelasio* mentio fit *hoc in cap.* Etenim teste *Isidor. lib. 6. Etymologie cap. 16.* cujus *Gratianus* meminit *cap. 1. distinctione 15.* Canones conciliorum generalium à temporibus *Constantini* cœperunt, *Constantinus* etenim *Magnus* primus omnium permisit *Episcopis* totius orbis, ut in unum locum convenirent, ac convenire possint: cum ante ipsum sævientibus in *Christianos Imperatoribus* minimè possent *Ecclesiæ Catholicæ* Præsules in unum convenire locum, ut plebem *Christianam* docerent, ne in diversas hæreses scinderetur, quemadmodum & idem *Isidorus* testatur: qua ratione frequentissimè multis in locis *Nicæna* synodus omnium prima censetur. c. quoniam sancta. cap. sancta, cap. 6. 16. distinct. 1. nos reddentes. §. suscipimus. C. de summa trinit. 1. quicumque C. de hæret. Authent. Eccl. tit. in princ. qua de re diligenter tractat illustris admodum, multisque titulis observantissimus *Didacus Alana*, & *Esquivel*, olim *Abulensis*, nunc verò *Cordubensis Ecclesiæ* Præsul ornatissimus, ex juris *Pontificij*, ac *Cæsarei* disciplina laboreque indefesso, cui *Salmanticæ* in celebratissimo sanctissimi *Salvatoris* collegio operam dederat, ad multam proventus eruditionem, quæ eum tot apud *Cæsarem Carolum*, ejusque primogenitum *Hispaniarum Regem Philippum* magistratibus insigniter, maximaque cum laude gestis, illustrissimum fecit. Is inquam in *lib. 1. de conciliis, c. 1.* plurima tradit de conciliorum origine, deque eorum antiquitate, ex quibus & nos hoc in loco multa mutuabimur ad *Gelasij* interpretationem, nonnullaque adjiciemus ex veterum historicorum monumentis.

*Trecentorum decem & octo Patrum.*) Idem constat numerus ex epistola *Sylvestri Papæ* ad *Nicænam* synodum, idem scripsere *Eusebius* & *Hermannus Contractus*, in *Chronicis*, *Theodoretus lib. 1. c. 7.* *Socrat. lib. 1. c. 9.* *Ruffinus lib. 10. histor. Ecclesiastic. cap. 2.* *Platina in Sylvestro.* *Isidorus lib. 6. Etym. c. 16. cap. 1. 16. dist.* *Isidor. item in princ. concil. c. 1. dist. 16.* *Beda de temporibus c. 5. c. 6. synodus 15. dist.* Sed & *Sozomenus lib. 1. c. 17.* testatur, tercentum & viginti *Episcopos* convenisse in ea synodo. *Socrates lib. 1. cap. 7.* numerum *Episcoporum* excessisse tercentum scribit, ex *Eusebio lib. 3. de vita Constant.* apud quem legitur, multitudinem *Episcoporum* excessisse numerum ducentorum, & quinquaginta, rursus *Nicephor. lib. 8. c. 14.* asseverat, congregatos fuisse circiter tercentum, decem & octo *Episcopos*. Præter hæc *Damasus* apud *Gratian. in c. hanc. 10. q. 1.* & monachorum regula. c. de contemplatione, hujus synodi facta mentione tercentum *Episcopos* connumerant, quos jure optimo poteris comparare tercentum illis viris judicio divino electis, qui duce *Gedeone Madianitas*, id est, *Arrianos Ecclesiæ* infestissimos hæreticos everterunt, & profligaverunt. *Jud. c. 7.* aut potius tercentum, de-

cem & octo vernaculis *Abrahæ*, quibus beatus *Abraham* tot hostium millia fide debellavit, *Gen. c. 14.* quo testimonio utitur hac in re *Liberius Papa* in epistola ad *Orientales*, cujus meminit *Nicephor. lib. 11. c. 8.*

*Mediante Maximo Constantino Augusto.*) Hanc sacrosanctam synodum congregatam fuisse sub *Constantino Magno*, conveniunt omnes nec id negari poterit. Quo verò anno fuerit celebrata adeo controversum est, ut nihil certum hac de re definiti possit, quamvis constat ex epistola *Osij Cordubensis Episcopi*, quæ hujus concilij *Canonibus* adjicitur, canones, aliaque ejus synodi decreta missa fuisse ad *Sylvestrum Papam Paulino*, & *Juliano* consulibus. Idem consulum titulus *Canonibus* hujus synodi præmittitur in primo *Conciliorum tom.* Qui quidem consules conveniunt auctoribus *Cassiodoro*, & *Haloandro* anno decimo septimo Imperij *Constantini*. Annus verò decimus septimus Imperij *Constantini* est à nativitate *Christi* *cccxxxvi.* juxta ejusdem *Haloandri*, *Eusebij*, & *Joannis Lucidi Chronologiam*. Æra tamen præscripta hic *Canonibus*, & consulibus eisdem *ccclxiij.* non omnino convenit huic numero, sed anno potius *Domini* *cccxy.* Sed & *Socrates libro primo, cap. 13.* & *Nicephorus lib. 8. cap. 26.* scribunt, hoc concilium incidisse in annum *dcxxxj.* ab *Alexandri Magni* principatu, in quo consules erant *Paulinus*, & *Julianus*. Ex quibus auctoribus illud annotaverim, quod de consulibus tradidere, ut conveniant his, quæ paulò antè observavimus. Quòd verò de annis ab *Alexandri* imperio scribunt, non satis certum est, quemadmodum statim tractabitur. Cæterum *Sozomen. lib. 1. cap. ult.* *Cassiod. lib. 2. Tripart. c. 14.* & *Nicephorus lib. 8. c. 29.* commemorant. *Constantinum Magnum* *Nicææ* peracto concilio statim vicennialia celebrasse, *Episcopos*que omnes synodi convivio excepisse. *Socrat. verò lib. 1. c. 16.* & ex eo *Cassiod. lib. 2. Tripart. c. 18.* nulla facta convivij mentione asseverat, statim peracto concilio *Vicennialia* *Constantinum* celebrasse. Qua quidem ratione adducor, ut existimem, synodum hanc *Nicænam* initium habuisse anno decimo septimo *Constantini*, vel paulò antè, peractam verò fuisse ann. 20. ejusdem Principatus. Nam & ipse *Nicephorus* scribit, synodum annis tribus & paulò longius actam esse. Sic sanè *Joannes Abb.* tradit, hanc synodum celebratam esse ann. vigesimo *Constantini*, qui convenit ann. *Dom.* *cccxxxix.* Potuit enim *Abbas Biclariensis* tempus, quo synodus finita fuit, observasse: atque hæc mihi certior opinio videtur. Ex qua asseverari poterit; hanc synodum finem accepisse ann. vigesimo *Constantini*, aut paulò antè propè anni decimi noni exitum: annis verò tribus, vel quatuor actum asse: atque ideo cœptum vel anno decimo septimo *Constantini*, vel decimo sexto, vel decimo quinto: præsertim si rationem habeamus ejus temporis, quo *Imperator* decrevit, synodum istam celebrandam fore. Denique *Eusebius in chronicis* ejus congregationem tribuit anno decimo quinto *Constantini*, & à *Christi* nativitate, anno *cccxxiv.* Æra verò convenit anno *Domini* *cccxxvi.* Consules anno *Domini* *cccxxv.* Quod equidem discrimen oriri potuit vel ex varia consulum observatione: neque enim *chronologi* hac in re ubique conveniunt: ut constat ex *Dionysio Halicarn. T. Livio*, *Cassiodoro*, *Haloandro*, & *Glarcano*, vel ex tempore, quo synodus ista *Nicææ* mansit illic congregata, vel fortassis ex eo, quòd non omnino conveniat inter *historicos* de initio Principatus *Constantini*. Siquidem *Socrat. lib. 1. c. ult.* scribit *Constantinum* anno trigesimo primo Imperij mortem obiisse, ann. secundo *Olympiadis* 278. 22. die mensis *Majis*

lis Maij, Feliciano, & Tatiano consulibus: quos consules, & vigesimum primum diem mensis Maij morti Constantini adscribit Nicephorus *lib. 8. c. 54.* Annum tamen refert in secundum Olympiadis 287. Sed error fuit fortassis scriptoris, & tamen Hieronymus Haloander, & Joannes Lucidus eius mortem adscribunt ann. secundo Olympiadis 279. Hieronymus quidem anno Dom. 340. Haloander, & Lucidus ann. Dom. 339. à quibus etiam differt Hermannus Contractus *in Chronicis. Nicephor. lib. 8. cap. ult.* asseverat Constantinum mortem obiisse anno Imperii 32. & à nativitate Domini 342. ex quo Vicennalia Constantini conveniunt anno Dom. 30. aut 29. Nos hac in re secuti sumus eam temporis rationem, quæ nobis visa fuit apud auctores frequentior, quæque magis conveniret his, quæ de hac synodo ab eisdem tractantur. Quamobrem hujus concilij resolutionem, & finem tribuimus ann. Domini ferè cccxxix. initium verò anno Domini cccxxv. aut xxiv. secundum Eusebium. Nam quod Hermannus Contractus, & Joannes Lucidus tradidere, tribuentes hanc synodum anno Dom. cccxxii. non satis convenit exactæ rationi temporum: quemadmodum nec quod Nicephorus scribit de tertia indictione. Ea etenim indictio convenit anno Domini cccxxx. nec potuit convenire anno illi, quo consules fuere Paulianus, & Julianus. Sic quod de annis Alexandri idem Nicephorus, & Socrates observant, plurimum diffidet à vera temporum ratione. Nam sive sequamur Eusebium, sive alios, & imperium Alexandri præcesserit ann. Domini ejusque natale triginta annis supra ccc. sive xxxv. sive xxiii. adhuc de xxxvi. annus Alexandri non potest aptari synodo Nicææ: nisi ea foret congregata anno Domini cccxy. Qui quidem annus minimè convenit consulibus adscriptis, quamvis conveniat indictioni tertiæ. Et licet hic annus fuerit observatus in adnotationibus ad acta, & Canones hujus concilij ex Dionysio Ciclo *in primo Conciliorum tomo*: Consules tamen, & alia temporis signa minimè possunt huic anno convenire. Et ne mihi quis objiciat eam Chronologiam, qua utitur Rex Alphonsus *in præmio Partitarum*, respondeo: multum ab historicis, à veraque ratione temporum abesse computationem illam, quæ illi traditur, quod alibi longius explicabimus.

Ex quibus obiter erit observandum, Constantinum Vicennalia celebrasse Nicææ, ubi & synodus congregata fuit, si vera sunt, quæ Socrates, Sozomenus, & Cassiodorus *in Tripartita*, & Nicephorus tradidere: tamen Eusebius *in Chronicis*, & idem Cassiodorus *in catalogo Consulium, & Imperatorum*, si præferint, ea Nicomediæ celebrata fuisse. Utraque verò ubi ad Bithyniam pertinet, quæ verò sint Vicennalia ac decennalia nos alibi explicuimus ex Dion. *lib. 53.*

Sed & illud planè apparet, concilium hoc Nicæum congregatum fuisse, utcumque sit de ipsius tempore, sub Sylvestro Papa hujus nominis primo, qui legatos ad eam synodum misit Vitum, & Vincen-tium. Hi etenim fuere legati sedis Apostolicæ: sicuti commemorant Socrates *lib. 1. cap. 13.* Sozomenus *lib. 1. cap. 17.* Cassiodorus *lib. 1. Tripart. cap. ult. & lib. 2. c. 1. & cap. 13.* Nicephorus *lib. 8. cap. 14.* & idem constat ex hujus synodi actis *primo Conciliorum tom.* ubi quandoque Vitus legatus, Victor appellatur, ut à plebisque. Et quamvis ex his auctoribus sit certum hos legatos missos fuisse à Romano Pontifice ad synodum istam nec omnes conveniant, an à Sylvestro fuerint destinati. Imo Sozomen. *in d. c. 17. & lib. 2. Tripart. c. 1.* Nicephorus *in d. cap. 14.* asseverent, à Julio Papa primo eos missos fuisse; hi que consentire videantur Beda *lib. de tempor. c. 65.* Gratianus *in c. 6. synodus 10. dist.* & Her-

mannus Contractus *in Chromis*, qui hoc consilium sub Julio Papa primo contulerunt. Constante tamen est asseverandum, sub Sylvestro Papa primo synodum istam contigisse centam & peractam esse. Quod ratio temporum manifeste probat. Nec enim potest hæc synodus Julio convenire, qui post Marcum Pontificem, qui Sylvestro jam synodo acta successit, electus est ad summum Pontificatum. Quod omnes historici fatentur ac potissimum sub Sylvestro Nicænam synodum actam fuisse testantur Eusebius Hieron. & Joan. Lucidus *in chronicis*. Platina *in Sylvest.* Isidorus *in principio Conciliorum. c. prima autem 16. distinct.* Sed & Julius Papa primus eam dignitatem accepit mortuo Constantino: sicuti ex Platina, & aliis constat, tamen Hieronymus in hoc dissentiat, Adeo tamen verum mihi videtur, hos auctores, qui synodum istam Julio Pontifici tribuere; omnino ecrasse, ut existimem ubique, ne tantum errorem viris diligentissimis tribuam, pro Sylvestro scribentium errorem Julium nominari. Quis enim ferat, Hermannum Contractum *in Chronicis* scribere, Nicænam synodum congregatam fuisse sub Julio eo anno, quo secundum eundem adhuc Sylvester summus Pontifex Ecclesiam Romanam regebat? Nam & ipsemet auctor postquam meminerat hujus concilij, ejusque congregationis annis octo ab eo dinumeratis meminit Marci summi Pontificis, ejusque electionis, ac deinde Julij primi, Sunt & alia, quæ opinionem istam verissimam esse probant, quæ modò missa facio, illud ultimo adjiciens quod pertinet ad intelligendum ea, quæ de die hujus concilij *in prim. Conciliorum tom.* prænotantur. Sic enim scriptum extat. *Dicitur autem celebrata hæc synodus die mensis secundum Græcos Desij XIX. hoc est 17. Cal. Jul. consulatu Paulini, & Juliani.* Hæc ibi. Est enim observandum apud Macedonas, quos secuti sunt hac in re Græci Alexandrini, mensem Junium dici Desium. Quod deducitur ex Plutarcho *in Alexan.* Suid & Euseb. *lib. 8. Eccl. hist. fol. 92.* Anselm. *2. de imagine mundi, c. 6.* Sed rursus in adnotationibus eisdem *in primo Conciliorum tomo*, scribitur, convenisse hoc concilium, aut canones edidisse post quam convenerat, consulatum Paulini, & Juliani, XIII. Calend. Julij qui est apud Græcos XVIII. dies mensis eorum, mensis autem hic, ut opinor, Desius intelligitur, ut modò dixi, Junius est apud Latinos. Est autem dies XIII. Calend. Jul. XVIII. mensis Junij, quia secundum Alexandrinos mensis Desius apud eos habet dies XXX. sicuti & *in d. primo Conciliorum tomo* adnotatur, prior etenim adnotatio fuit per posteriore correctæ: maxime quia prior parum observavit congruam Calendarum rationem: cum dies XXIX. Junij non sit, nec dici possit XVII. Cal. Jul. Socrates verò *lib. 1. c. 12.* diem hujus concilij commemorat vigesimam mensis Maij, & Nicephorus *lib. 8. c. 26.* ejusdem mensis diem undecimam.

*In qua Arrius hereticus condemnatus est.* Presbyter etenim quidam nomine Arrius apud Alexandriam, gloriæ & novitatis improbæ cupidus, studio perturbandi Catholicam Ecclesiam, ut eam in partes varias discissâ, locum illum honoris hoc in sæculo posset consequi, quem in Ecclesia rectè instituta, Catholica, & unanimi minimè posset propter fictam, & simulatam religionem obtinere; prava quædam de Christi fide, & quæ prius nunquam in controversiam venerant, proferre, ac defendere molitur, ab illa æterna, ineffabilique Dei patris substantia, vel natura filium abscindere, & separare conatus. Dedit tamen hic vir impiorum omnium caput, & ductor, tanti sceleris, ex ultione divina pœnas meritissimas, dignasque tam infando flagitio. Siquidem cum in publicum

publicum Constantinopoli ex Imperatoris Constantini Magni, quem tunc decipere satagebat, palatio satellitibus munitus insolenter prodiret, urgenteque ventris laxitate in secessum publicum, qui in propinquo erat, venisset, ibi animo ei defecto, sua sponte excrementa effluunt, multus sanguis effunditur, constitutioque interna corporis omnis, unà cum intestinis, hepate, & splene, diffluit, atque ille Hæresiarca perit, auctoribus Socrate *lib. 1. c. 38.* Theodoro *lib. 1. c. 14.* Sozomeno *lib. 2. c. 29.* & 30. ac Nicephoro *lib. 8. c. 51.*

*Sanctam synodum Constantinopolitanam mediante Theodosio seniore Augusto.*) Hæc synodus secunda inter universales congregata fuit Constantinopoli sub Theodosio seniore anno secundo ejusdem imperij, & à nativitate Domini 383. ex Prospero Aquitanico, & Joan. Lucid. in *Chronicis*, quibus accedit, quòd licet ipse Aquitanicus Syagrium, & Eucherium consules tribuat anno 84. & tertio Theodosij, Haloander tamen hos consules adscribit secundo anno Theodosij, & octuagesimo tertio. His verò consulibus hoc concilium celebratum fuisse constat, ex ipsius synodi titulo, & Cassiodoro *lib. 9. Tripar. cap. 12.* Marcellino Comite in *Chronico*, Socr. *li. 5. c. 8.* sunt qui existunt, hanc synodum celebratam fuisse anno Dom. 381. adhuc temporibus Gratiani, & Theodosij: quibus suffragatur *Æra* huic synodo in *primo concil. tomo* adsignata, & adscripta 419. quæ anno à Nativitate 381. convenit, sicut & indictio nona, quæ à Marcellino Comite eidem synodo aptatur. Sed & Hermannus Contractus in *Chronicis* huic computationi maxime consentit, quippe qui hanc synodum tribuat anno tertio Theodosij, & ann. Dom. 381. quòd si verum est, auctore Plesio, hanc synodum contigisse post primam anno quinquagesimo sexto, sitque admittenda temporis ratio ex *Æra* utriusque synodo appositæ, constat planè annum 381. esse huic synodo adscribendum: siquidem post annos 325. si addideris quinquaginta & sex, constabit verè numerus hic, quem signavimus. Etenim Nicæna synodus anno Dom. 325. fuit celebrata, illud sanè apud omnes absque ulla controversia est constitutissimum, hoc concilium temporibus Gratiani, & Theodosij Principum contigisse. Nam omnes paulò antè citati anno secundo, tertio, vel ad summum quinto Theodosij hanc synodum tribuendam esse censent, & Socrates anno tertio juxta consulatus ordinem eandem tribuere videtur ante Gratiani obitum. Idem tradit Marcellinus Comes. Etenim Gratianus anno quinto, vel sexto imperij communis cum Theodosio, occiditur, apud Lugdunum juxta chronologiam Aquitanici, Marcellini, Cassiodori, & aliorum. Ex quibus satis deducitur sub Gratiano, & Theodosio hanc synodum celebratam fuisse, quòd & Sozomenus & Nicephorus fatentur, qui ordinem rerum gestarum observantes, hujus concilij acta scripsere, priusquam Gratiani mortem commemoraverint. Idem fecere Aquitanicus, Hermannus Contractus, ac Joan. Lucid. sic & Isidor. in *princ. concil. cap. prima autem synodus*, 16. *dist.* hoc concilium sub Gratiano, Theodosio seniore contigisse scribit. Gelas. verò in *hoc loco*, & Isidor. *lib. 6. Etymol. c. 16.* & *c. 1. dist. 15.* ex eo synodum istam imperio tantum Theodosij adscribere, quòd cum ipse, & Grat. imperij consortes essent, & Theodosius Constantinopolim, Græciam, Thraciam, & reliquas Orientis partes obtineret, Gratianus verò Italiam, & Occidentem, visum eisdem historicis fuit in hujus synodi commemoratione rationem tantum habere illius Imperatoris, qui urbem illam, ubi celebrata fuit, & eam provinciam Imperatoris titulo, & nomine regebat. Rufus Beda in *li. de tempo. c. 65. c. sexta synodus*, 16. *dist.* hoc concilium Gratiano tantum tribuit, ex eo forsitan, Didaci Covarr. Tom. II.

quòd Gratianus primùm Romanum imperium obtinuerit, ac demum Theodosium socium imperij fecerit ob insignes viri mores & fortitudinem. Ex quo Bedæ visum est, imperij nomen potissimum penes Gratianum fuisse. Cæterum quòd Plesius & Faustinus Cretensis in *Epitome* de tempore hujus synodi tradidere, nulla ratione congruit his, quæ chronologi frequentiori consensu scribunt. Etenim cum Plesius Nicænam synodum ann. Dom. 333. adnumerasset, & hanc post eam ann. 56. contigisse tradiderit, palam facetur, hanc synodum esse tribuendam ann. Dom. 388. eidem anno eam tribuit Faustinus, & anno Theodosij quinto. Conveniunt etenim omnes Gratianum occisum fuisse ante annum Dom. 388. idque deducitur ex Paulo Diacono observata diligenter ratione temporis ab urbe condita, & à nativitate Domini Jesu Christi, ex Eusebio, Glareano, Haloandro, & aliis: quamvis Nicephorus *li. 11. c. ult.* plurimum ab aliis differat in initio Principat. Gratiani, & Theodosij, qui post Valentem imperium obtinere: scribit enim Valentem occisum fuisse anno Domini 386.

Huic synodo, quæ secundum omnes sub Damaso Papa celebrata fuit, subscribere centum quinquaginta Episcopi, sexta synodus *c. 1. 16. dist.* ex Isidoro. Idem constat ex aliis auctoribus Ecclesiasticis, qui hujus synodi meminere: tametsi præter hos Episcopos Catholicos, præsentis fuerint triginta Episcopi hæretici ex Macedonianis: quemadmodum Socrates, Sozomenus, & Nicephorus scripsere.

*In qua Macedonius hæreticus debitam damnationem accepit.*) Macedonius quidam Constantinopolitanus Episcopus, tempore Constantij Imperat. & Liberij Papæ fidem Catholicam, & orthodoxos evertere conatus hæresi nefandissima Spiritum sanctum impetivit, asseverans, Spiritum sanctum esse minorem Patre, & Filio, & non esse ejusdem substantiæ cum Patre, sed esse veram creaturam, ab hoc Macedoniana hæresis appellata est, ejusque sectatores Macedoniani. Quorum impium dogma fuit in hac synodo Constantinopolitana omnino improbatum, recepta Catholica assertione, secundum quam credimus in Spiritum sanctum Dominum ac Deum Patri, & Filio consubstantialem, coæqualem, coæternum, coomnipotentem: quòd & synodus Ephesina, synodus Chalcedonensis, & Innoc. tertius in concilio generali docuerunt, *c. 1. de summa trin. & fide Cath.* Scripsere contra hæresim istam Didymus Alexandrin. à D. Hier. latinitate donatus, Basil. *adversus Eunomium*, & D. Ambros. *ad Gratianum Imperatorem* libros tres de Spiritu sancto, de hac synodo D. Gregor. *lib. 6. epist. 195.* scribit Ecclesiam Romanam ejus canones, vel gesta non habere, nec accipere: reprobationem verò hæresis Macedonianæ, & aliarum probare, & admittere. Id verò scripsit Gregor. propter primatum, qui datus fuit in hac synodo Constantinopolitanæ Ecclesiæ, pravè etenim à quibusdam canon de hoc primatu intelligebatur. Nos equidem ejus verum intellectum superius explicuimus.

*Sanctam synodum Ephesinam.*) Hæc est tertia generalis synodus, quæ apud Ephesum Asiæ minoris maritimam urbem congregata fuit ann. Dom. 430. secundum Faustinum Cretensem in *Epitome*. Idem deducitur ex *Æra* 468. quæ hoc concilium celebratum fuisse in *primo Conciliorum tomo* legimus: Huic opinioni patrocinatur indictio decima tertia, quæ à Marcellino Comite huic synodo adscribitur, & convenit anno 430. Hermannus Contractus in *Chronicis* hanc synodum scribit celebratam fuisse anno Domini. 431. si observamus ejus synodi mentionem scriptam esse à regione ejusdem anni, ut modò in vulgatis codicibus fertur

fertur apposta, & post electionem Sixti Papæ, qui Cælestino successit. Et tamen ipse Herman. Contractus fatetur, eam contigisse sub Cælestino Papa, ut apud me non levis sit conjectura, ordinem mutatum fuisse chalcographorum errore: sitque hæc synodus ex Hermanni sententia tribuenda anno septimo Theodosij, & Dom. 430. His accedit, quod Marcellinus Comes huic synodo aptat consules Theodos. 13. & Valentinianum 3. idemque in primo Conciliorum tomo ad hanc synodum prænotatur, qui consules auctore Cassiodoro, atque item Haloandro conveniunt anno septimo Theodosij. Rursus, ut lector satis intelligat, quantum discrimen sit quacumque in re apud historicos in observanda exactè ratione temporis, erit observandum, Prosperum Aquitanicum hanc synodum tribuisse anno 8. Theodosij Junioris, & ann. Dom. 434. consulibus Basso, & Antiocho, quibus consulibus hanc synodum congregatam fuisse testis est Socr. l. 7. c. 34. post eum Cassiodor. l. 12. Tripart. c. 5. qui & Chronicis eisdem consules aptat anno octavo Theodosij, idem observari poterit ex Haloandro, qui tamen his consulibus comparat an. Dom. 433. quo anno Joannes Lucidus hoc concilium asseverat contigisse ex Prospero Aquitanico. Pfellus verò scribit, post quadraginta annos à secunda synodo tertiam fuisse celebratam. Nicephor. lib. 14. c. 33. à secunda ad tertiam synodum quadraginta & unum connumerat. Verùm apud omnes constat hanc synodum celebratam fuisse temporibus Cælestini Papæ & Theodosij junioris, quemadmodum ex præcitatis auctoribus facillimè lector poterit deducere, & ex Evagr. lib. 1. Eccl. hist. idque Gelaf. hoc in c. de Cælestino testatur & de Theodosio Juniore, Isidor. c. 1. 15. distinct. de utroque idem Isidorus cap. prima autem synod. 16. dist. ut planè sit manifestus error apud Bedam de tempor. & c. 6. 15. dist. hanc synodum tribuere temporibus Theodosij Magni. Annos verò Theodosij Junioris in hac computatione intelligo à morte Honorij quæ contigit Asclepiodoro, & Mariano consulibus, auctoribus Socrate lib. 7. c. 22. Cassiodoro, & Marcellino. An. Dom. 425. juxta chronologiam Haloandri, qui parum hac in re à Prospero, & aliis dissentit. Etenim tunc nempe ab an. 426. incepit Theodosij solius imperium, quamvis Nicephorus scripserit, non multò post Arcadium periisse Honorium hydròpe. Honorius verò consortem imperii fecerat Theodosium juniorem ann. Dom. 410. juxta chronologiam Prosperi Aquitanici, Jo. Lucidi, & Haloandri, quibus ferè consentite videntur Hermannus Contractus, & ante ipsum Socrates in d. l. 7. c. 1. qui commemorat, hoc actum esse Besso, & Philippo consulibus, qui anno Dom. 410. conveniunt, addit Socrates, eo tempore mortem obiisse Arcadium patrem Theodosij, ac eundem Theodosium reliquisse puerum 8. annorum, anno secundo Olympiadis 297. qui quidem annus respondet anno domini 411. & tamen apud Nicephorum lib. 13. cap. ult. Arcadius moritur anno Domini 418. cum Theodosius octennis esset. Ex his tandem auctoribus communi consensu receptum est, etiamsi Nicephorus in hoc dissentiat, Theodosium juniorem cum Honorio 16. annis regnasse, ut mirer, qua ratione Marcellinus Comes 22. annos Honorio simul, & Theodosio tribuat: & scripserit, synodum istam anno Theodosij 30. contigisse: nisi rationem habeamus ejus temporis, quo Theodosius junior anno ætatis secundo Cæsar creatus est, Arcadio A. V. & Honorio A. V. consulibus an. Dom. 404. hanc etenim rationem temporis sequi videntur Marcellinus, & Haloander. Quamobrem consentit Marcellinus Prospero in anno hujus concilij, ut sit à nativitate Domini. 34. post quadringentesimum, nisi indictionis numerus repugnet.

*In qua Nestorius damnatus est.*) Hic Nestorius Episcopus Constantinopolitanus in eam incidit hæresim, ut asseveraret, purum hominem ex S. virgine Maria natum fuisse, ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis. Hujus hæresis damnata fuit in hoc concilio tertio Ephesino, auctoritate Cælestini Papæ, convenere autem in hanc synodum ducenti Episcopi, auctoribus Prospero, Marcellino, & Isidoro in d. c. 1. dist. 15. tametsi Beda in lib. de tempor. c. sexta Synodus, 16. dist. & Herm. Contractus centum tantum meminerint, & Isidor. in c. prima autem 16. dist. tercentum Episcoporum mentionem fecerit. Nicephorus verò scripsit, circiter centum & triginta Episcopos huic synodo præsentibus fuisse.

*Mediante Cyrillo Alexandrina sedis Antistite, & Arcadio Episcopo ab Italia destinato.*) Cyrillum hac in synodo legatum fuisse sedis Apostolicæ, ejusque vicarium ex commissione, ac delegatione Cælestini Papæ scribunt Evagr. & Niceph. & Marcellinus Comes. Hi verò auctores Arcadij ab Italia destinati nequaquam meminere. Adversus hanc Nestorij hæresim scripsere præter alios & hujus decreti auctor Gelafius, qui librum scripsit de duabus naturis in una persona. Et aliorum meminit Alfonso à Castro lib. de her. in verb. Christus. her. 3. cui adde Socratem lib. 7. Græca hist. Eccl. c. 32.

*Sanctam synodum † Chalcedonensem.*) Conveniunt omnes quotquot hujus synodi meminere, eam celebratam fuisse sub Leone Rom. Pontifice, & Martiano Augusto, qui, si ratio temporis observanda sit ab anno, quo Theodosius junior mortem obiit, regnare cæpit ann. Dom. 453, ex Matthæo Palmerio. Annus verò, quo Theodosius mortuus est consules habuit Valentinianum 7. & Avienum: auctoribus Cassiodoro, Marcellino, qui eos aptat an. Dom. 452. qua ratione quidem annos imperij Martiani ab anno primo post mortem Theodosij connumerant, & scripsere ipsum imperium obtinuisse ann. Dom. 453. consulibus eodem Martiano Augusto, & Adelphino, qui primi consules fuere post mortem Theodosij, sic sane Joan. Lucidus ab anno Dom. 453. numerat annos imperij Martiani. Quòd si Theodosius obiit anno Dom. 452. & ab eo tempore statim anni Martiani numerentur, idem annus erit primus Martiani. At Herm. Contractus Theodosij mortem aptat anno 449. & primum Martiani numerat annum 450. Paul. Diaconus Martiani primum annum tribuit anno ab urbe condita 1204. qui juxta Haloandrum est annus Dom. 453. Hæc ideo adnotavi, ut juxta frequentiore magisque receptam temporis rationem hæc synodus non potuerit adscribi anno, qui præcesserit annum 452. unde Palmerius hanc synodum tribuit anno secundo Martiani, & Dom. 454. Faustinus Cretensis in Epitome anno Dom. 456. & 26. post tertiam synodum. Pfellus verò, & Nicephorus ann. 30. post tertiam, & Ephesinam. Marianus Scotus anno Dom. 452. consulibus Opilione, & Vincom. qui tamen conveniunt anno Dom. 455. ex Haloandro. Marcellinus scribit, hanc synodum celebratam fuisse indictione 4. Martiano Aug. & Adelphino consulibus, qui consules, auctore Haloandro, respondent anno Domini. 453. Indictio verò convenit anno Domini. 451. ejusdemque indictionis mentio fit in actione prima hujus concilij, cujus titulus refert ab Æra annum 488. qui responderet anno 451. consules autem illic adscripti, Valentinianus 7. & Avienus ann. 452. conveniunt, ut modò observavimus, ex quibus satis constat, quanta sit tribuenda Chronicis fides, his maximè, apud quæ ratio temporis scribitur numeri notis, in quibus facillimus est lapsus, saltem facillior, quàm si numerales dictiones integræ ex omnibus litteris scriberentur. Nam & Nicephorus lib. 14. cap.

cap. ult. scribit, Theodosium jun. mortem obiisse anno Dom. 460.

In hac verò synodo legati fuere sedis Apostolicæ, ejusque Pontificis Leonis primi Paschasius, & Eucencius Episcopi, & Bonifacius presbyter, sicuti constat ex prima actione, & Evagio lib. 4. cap. 4. quamvis Nicephorus lib. 15. c. 2. Bonifacium tacuerit. Convenerunt autem sexcentum Episcopi ex Matth. Palmerio, aut sexcentum triginta sex ex Nicephoro, c. 2. sexcentum triginta ex Isidoro c. 16. lib. 6. Etymol. c. 1. dist. 15. ex Beda c. 6. 16. dist. & Isidoro in princ. conciliorum, c. 1. 16. dist. Damnata fuit iterum Nestoriana hæresis & maximo conatu eversum est Eutyctis Abbatis Constantinopolitani dogma, qui asserbat post verbi divini incarnationem & carnis, ac divinitatis unionem, statim carnem conversam fuisse in deitatem, atque inde cogebatur multa contra Catholicam fidem nefanda & absurda confiteri, de quibus legito Alfonso à Castro lib. de her. dictione Christus her. 4.

Hec sunt quatuor concilia universalia, quæ primum celebrata fuere, & quæ in Ecclesia Catholica maximum nomen, & majestatem semper obtinuerunt, ut constat ex c. sicuti sancti. & c. 1. 15. dist. 1. nos reddentes. §. suscepimus. C. de summa trin. 1. quicumque, C. de her. & in Auth. de Eccl. tit. in princ. Sed & Gelasium alia multa concilia præcesserunt, quæ ipse recipienda fore censet, quemadmodum & illa, & quæ ad hanc usque diem celebrata fuere, Christianæ religionis professores recipere tenentur.

CAPUT XVI.

De libris, qui ex Gelasio Hagiographi dici jure poterunt.

SUMMARIA.

- 1 Hagiographi libri qui dicantur.
- 2 De B. Cypriano, quo tempore scripserit, & de B. Athanasio.
- 3 De Gregorio Nazianzeno, Basilio, & Chrysostomo.
- 4 De Theophilo, & Cyrillo Alexandrinis.
- 5 De Hilario, Ambrosio, Augustino, Hieronymo, & Prospero Aquitanico.
- 6 De epistola Leonis Pape, & de epistolis Decretalibus.
- 7 De martyrum historiis, & de vitis patrum.
- 8 Actus B. Sylvestri quam auctoritatem habeant, & de baptismo Constantini Magni.
- 9 De inventione sanctæ crucis, & capite D. Joannis Baptiste.
- 10 De Rufini operibus, & de Origenis scriptis.
- 11 De Orosio, Sedulio, & Juvenco.

**I**am nunc subjiciendum est, inquit Gelasius, de opusculis sanctorum patrum, quæ in Ecclesia Catholica recipiuntur. Ex his Gelasij verbis libenter ipse adnotaverim ad distinctionem canonicorum librorum, de quibus in princip. hujus capit. actum fuit, & deinde Apocryphorum, de quibus in ultima ejus parte tractatur. Hagiographos libros dici in Ecclesia Catholica eos, quos eadem Ecclesia probavit, ut publicè legerentur ad ædificationem fidelium, non tamen haberent canonicam auctoritatem ad probanda ea, quæ ad fidem pertinent irrefragabili probatione. Hujusmodi erant olim apud Hebræos Ecclesiasticus & Sapientia: deduciturque hæc librorum Hagiographorum definitio ex multis potissimum ex August. lib. 18. de civit. Dei c. 38. qui eos distinguens à canonicis, inquit, ac si illa pertinerent ad ubertatem cognitionis, hæc ad religionis auctoritatem: in qua auctoritate custoditur canon. Sed & Rufinus Didaci Covarr. Tom. II.

in expositione Symboli ad hæc scribit de his Hagiographis scripturis: quæ omnia legi quidem in Ecclesiis voluerunt, non tamen proferri ad auctoritatem ex his fidei confirmandam. In hac significatione hagiographa Hieronym. accepit in præfationibus in Tobiam, & Judith, scribens, eos libros olim extra canonem sacrarum scripturarum numerari hagiographa: tamen idem Hieron. in prologo Galeato in libros Regum. hagiographos libros dici existimet, eos qui canonici sunt, distinguuntur tamen à quinque libris Moysis, & ab octo Prophetarum: quasi canonici libri veteris Testamenti olim distinguerentur in tres ordines, quorum primus quinque libros Moysis, secundus Prophetas, tertius hagiographa possideret: qua ratione D. Hieronymus quo in loco usus est hac stricta significatione. Apocryph. libros appellat omnes, qui sint extra canonem: quo verò in loco latiori utitur dictionis sensu, hagiographos nominat eos libros, qui, licet sint extra canonem, pertinent tamen ad ubertatem cognitionis, legique in Ecclesia possunt, & potuerunt olim apud Hebræos: quos tamen alibi Apocryphos dixit ex eo, quod extra canonem essent, observata quadam dictionis ampliori significatione: nam qui dicantur propriè lib. Apocryph. seq. c. tractabimus. Sic sanè Hieron. verba sunt intelligenda: quod & Joan. Driedo. admonet li. 1. de dogm. Eccl. c. 2. & c. 4. Igitur hagiographi libri dicentur, qui, licet sint extra canonem, sine periculo fidei, & cum ædificatione fidelium leguntur publicè in Ecclesia, quorum de numero sunt hi, qui à Gelasio in hac 2. hujus c. p. nominatim referuntur.

Opuscula B. Cypriani mart. & Carthag. Episc. Primum inter scriptores Ecclesiasticos, quoad ordinem, & antiquitatem tribuit Gelasius Cypriano, † qui natione Afer primum gloriosè Rhetoricam docuit: exinde suadente presbytero Gæcillo, à quo & cognomentum sortitus est, Christianus factus, ac paulò post in presbyterum electus Episcopus Carthaginensis constituitur, ac demum præclarissimis scriptis operibus passus est sub Valeriano, & Galieno Principibus octava persecutione eadem die, qua Romæ Cornelius Papa, non tamen eodem anno. Hæc Hieronym. de scriptoribus Eccl. idem ferè scribit Eusebius in Chronicis adjiciens, martyrio coronatum fuisse ann. Dom. 259. annis quinque post Cornelii martyrium, tamen Nicephorus lib. 5. cap. 27. tradiderit, Cyprianum passum fuisse sub Decio in Deciana persecutione, quæ scripta fuit, quo in loco & de Cypriani conversione Nicephorus quædam commemorat, quæ satis differunt ab his quæ Hieronymus scripserat. Cæterum hic Martyr illustrissimus, cum multis Africæ, Numidiæ, & Mauritanicæ Episcopis in illum incidit errorem, ut existimaret, semel ab hæreticis baptizatos, iterum baptizandos fore. Simplex fuit apud Cyprianum error, non ex ambitione, sed odio in hæreticos ferventissimo ipse vir sanctissimus concilio apud Africam hac de re celebrato, quod inter ejus opera extat, definiit, hæreticos, cum ad communionem redierint, fore baptizandos: quia, ut asserbat, in hæreticos non potest conferri baptisma, paratus sanè propriam mutare sententiam, quam & ipsi Africani Episcopi mutaverunt à Cornelio, Lucio, Stephano summis Pontificibus edocti. Unde Cyprianus, & alij, qui eidem accesserunt, propter hunc errorem non sunt hæretici judicandi, quippe qui pertinaci animo illum non defenderint. Sic D. August. lib. 5. de baptismo, cap. 17. & seq. & apud Gratianum c. quomodo de consec. dist. 4. adversus hæresim istam scribens, licet in hunc errorem incidisse Cyprianum referat, eum potius laudat, quàm hæresis labe notet. Idem August. lib. 1. de baptismo c. ult. sed & Vincent. Litinent. in lib. adver.

*sus hereses de Cyprian. inquit: Quis ille tam demens est, qui illud sanctorum omnium Episcoporum, & martyrum lumen beatissimum Cyprianum cum ceteris collegis suis in aeternum dubitet regnaturum esse cum Christo? aut quis contra tam sacrilegus, qui Donatist. & ceteras pestes, qua illius auctoritate concilii rebaptizare se jactitant, in sempiternum neget asuros esse cum diabolo?* Hæc Vincentius, qui palam asseverat, Cyprianum ab errore omnino liberum, & Catholicè decessisse. Nam D. August. lib. 2. contra Donatistas, c. 5. fatetur, Cyprianum propè mortis articulum errorem deposuisse. (Idem tradit Beda lib. 8. g. 5.)

*Opuscula B. Athanasij Alexandrini Episc.* Athanasius Alexandrinus per ludum quondam Ephesus à pueris Episcopus creatus, postea Alexandri Episcopi Alexandrini in Episcopatu successor, magnus fortissimusque hæresium expugnator, Arianos Ecclesiis exegit, eisque orthodoxos substituit: eaque ex causa ab eisdem Arianis graviter apud Constantinum Magnum, deinde apud Constantium, & Constantem accusatus multis calumniis afficitur, quas & multa sapientissimè pericula divinitus fugiens, maximè illustri, Antonio Heremita clarissimus, claruit ad Valentinianum usque, & Valentem Imperatores, pro Nicæna synodo, cui inter diaconos Alexandria primarius ipsi jure Episcopo Alexandro dilectissimus, disputator gravis & acutus præfens fuerit acerrimè, & animosè pugnans: obiit tandem postquam Episcopatum quadraginta sex annis obtinuerat eisdem Cæsaribus Valentiniano & Valente, consulibus Gratiano II. & Probo, auctore Socrate lib. 4. c. 20. qui quidem annus convenit an. Domini 373. juxta Chronologiam Haloandri. Trithemius mortem Athanasij adscribit an. Domini 379. At ex Eusebio deducitur, eam contigisse ann. 377. ex Hermanno Contracto anno 370. hi siquidem auctores his annis scribunt, Petrum Athanasij successorem electum fuisse in Alexandria Episcopum: & constat ex Ecclesiasticis scriptoribus, statim post Athanasij mortem hanc electionem factam fuisse, reliqua de Athanasio poterit lector observare ex Socrate, Theodoro, Sozomeno, Nicephoro, Hieronymo, & Cassiodoro in *Tripartita*. & ex aliis scriptoribus Ecclesiasticis, qui res gestas sub Constantino Magno, usque ad Valentem tradidere.

*Opuscula B. Gregorii Nazianzeni Episcopi.* Gregor. † Nazianz. Cappadocia parvæ urbis natus, primum Sasimorum Episcopus, deinde patri in Nazianzi Episcopatu successor, ob insignem virtutem, præclaramque in Theologia eruditionem, Constantinopolitanus Episcopus constitutus, eandem sedem deposuit publicæ pacis gratia, & Nazianzum reversus eadem Ecclesia alteri commissa monasticam in quodam agro vitam egit. Dicitur est cognomento Magnus, auctore Nicephor. lib. 12. c. 11. atque postmodum Theologus, ut idem Nicephorus scribit, lib. 12. c. 19. Fuit Gregorius D. Hieronymi præceptor, eodem Hieronymo teste, qui ejus opera commemorat, quorum Suidas & Trithemius meminere, obiit sub Theodosio Magno ann. ejus Imperij tertio & Domini 384. ex Prospero Aquitanico. Suidas verò scribit, eum mortem obiisse ann. 13. Theodosij: qua in re convenire ferè videtur Hieronymus, si observemus quod ipse Hieronymus tradit in *vita Gregorii*, & in *prefatione*, & c. ult. de *scrip. Eccles.* ex eo etenim mors Gregorii poterit adscribi ann. 12. ferè Theodosij qui ex Chronologia Haloandri, & Marcellini rationeque habita Consulium, qui fuerunt ultimo anno Theodosij, quorum præter alios & Socrates meminit lib. 5. cap. ult. respondet anno Dom. 393. aut. 92.

*Item opuscula B. Basilij Cappadoceni Episc.* Basilii Cæsareæ Cappadocia, quæ prius Mazaca voca-

batur Episcopus, egregios, variisque libris, eloquentia, sanctitate, multaque eruditione insignes elaboravit: quorum post alios Hieron. Suidas, & Trithemius meminere. Fuit Basilii ardensissima conjunctus amicitia Greg. Naz. ut omnes historici, qui de rebus Ecclesiasticis ejus temporis tractaverunt, commemorant, & ejus epistolis constat. Fratrem habuit præter alios Basilium nomine Gregorium Nyssenum urbis Nyssæ Episcopum, doctrina, moribus, & sanctitate spectatissimum, cujus & adhuc opera quædam extant, quamvis non omnia, quorum etiam Suidas, & alij mentionem fecerunt. Hunc Gregorium falsè appellat Trithemius Episcopum Emislenum. Obiit Basilii sub Gratiano Cæsare, auctore Hieronymo, cui addè quod de eo, ejusque fratribus, & Gregorio Nazianzeno scripsit Socrates lib. 4. c. 26. & 27. & Nicephorus lib. 11. c. 18. & 19.

*Item opuscula B. Joannis Chrysostomi Constantinopolitani Episcopi.* Joannes patriâ Antiochenus ob sapientissimam eloquentiam, & eloquentissimam sapientiam ab ore aureo cognomento Chrysostomus, concionator insignis, Christi præco indefatigabilis, criminum censor acerrimus: Theologorum omnium eloquentissimus, patrem habuit Secundum, matrem verò Anthusam. Hic vir præstantissimus sub Siricio Papa, mortuo Nectario in ejus locum clerici, & populi consensu Episcopus Constantinopolitanus eligitur. Cæsaribus Arcadio & Honorio, consulibus Honorio A. IV. & Eutychiano, auctore Socrate, qui quidem annus ex Haloandro, & Prospero Aquitanico in *Chronicis* convenit anno Domini 400. aut 401. tandem ob linguæ libertatem, qua in omnes integerrimo zelo utebatur, ab ipso Principe Arcadio, Augustæ Eudoxiæ privata indignatione in exilium ultimè mittitur, duciturque Cucussum Armenia parvulum oppidum, atque inde Arabissum deportatus, postremò Episcoporum quorundam invidia Pyrium, ubi fines sunt Ponti, regioque crudelissimis barbaris finitima, ex atrociori rescripto Principis deportari jubetur, atque in itinere prope Comanam urbem templo Basilici martyris sumptis Ecclesiæ sacramentis, se ipsum consignans crucis signo expiravit 24. die Nov. consulibus Honorio A. VII. & Theodosio II. teste Socrate, qui annus respondet ex Haloandro, & Aquitanico anno Dom. 419. anno uno ante Arcadij mortem. Hæc de Chrysostomo ex multis quæ scripsit Socrates l. 6. Theodoretus l. 5. à c. 28. ad ult. usque caput. Sozom. l. 8. c. 2. & seq. Suidas, Trithemius, & Erasmus, ac longè Nicephorus lib. 13. c. 2. & seq. qui c. pen. scribit Chrysostomum obiisse mortem die 14. Septembris, quo celebratur exaltatio sanctæ crucis, tertio anno ante Arcadij mortem, & juxta ipsius Nicephori computationem an. 415. De die 14. Septembris idem scribit Cassiod. in *Tripart. lib. 10. c. 18.* ex Socrate, apud quem forsitan codex Græcus in mensis nomine vitium patitur.

*Item opuscula B. Theophili Alexandrini Episc.* Hic est ille Theophilus, † cujus artibus D. Chryso. est in exilium actus: fuit etenim D. Chryso. obrectator ferum & crudelem illum appellans, auctore Nicephoro l. 13. c. 4. post Socrat. l. 2. c. 2. & seq. Theodoretum, & Sozomenum, atque Cassiodorum in *Tripart. lib. 10.* & tamen crucem Hieroglyphicam Serapidis templi saxi incisam ad religionem nostram accommodavit, pio in Christianam religionem animo, quo & à Principe impetravit, ut templa Mithræ, & Serapidis in Ægypto everterentur, teste Socrat. lib. 5. c. 16. & seq. ac post eum Niceph. l. 12. c. 26. fuit Theophilus hic Cyrilli patruus, & obiit diem suum Alexandria lethargico morbo die 15. Octobr. ann. quintò Theodosij junioris, auctore Nicephoro l. 14. c. 14. sic ann. Dom. ferè 430. Fuit & alter Theophilus Antiocheus

Antiochenus Episc. hoc multò antiq. ior., cuius D. Hieron. *de script. Eccl.* Euseb. *lib. 4. c. 20. & 24.* Nicephor. *lib. 4. c. 9. & lib. 3. c. 25.* meminere, ejus scripta commemorantes, & asseverantes fuisse sextum Antiochiæ Episcopum sub Imperatore M. Antonino Vero.

*Item opuscula B. Cyrilli Alexandrini Episcopi.*) Cyrillus mortuo patruo Theophilo Alexandrinus Episcopus eligitur, vir insignis eruditionis, quique Christiana religione adversus Nestorium egregiè pugnaverit. Ejus extant præclara opera, quorum meminerunt Niceph. *lib. 14. cap. 14.* & Trithemius, claruit sub Theodosio juniore, sicuti ex eodem Nicephoro, Evagrius *lib. 1.* Prospero Aquitanico, & Herm. Contracto constat, ad immortalem transivit vitam ann. 32. ejusdem pontificatus, ex Niceph. *lib. 14. cap. 47.* ann. Dom. ferè 462. apud Gratianum nulla est mentio Cyrilli, nec Theophili, tamen ex epistola & decreto Gelasij referantur in primo conciliorum tomo, & apud Burchardum.

*Opuscula B. Hilarii Pictaviensis Episcopi.*) Hilarius Pictavi, urbis ÷ Galliæ Aquitanicæ Episcopus, tempore quo D. Martinus Turonensis Ecclesiæ Præsul erat, de fide ad persuadendum valdè appositos libros scribit primumque in exilium missus, tandem ab eo revocatus, Italos, & Gallos, quæ vel expetenda, vel fugienda dogmata essent, erudiens multis editis libris Arianam opinionem disertissimè refellit. ex Hier. *de script. Eccl. Socr. li. 3. c. 10.* Sozomeno *li. 5. c. 14.* & Niceph. *li. 9. c. 16. & lib. 10. c. 16.* obiit Pictavii sub Valentin. & Valente 9. anno ejus imperij, & à nativitate Dom. 372. ex Hieron. *in Chronicis*, ex Herm. Contracto, & Trithem. ann. Dom. variat. parum tamen: nam apud Trithem. mors hujus viri sanctissimi scribitur ann. 371. apud Contractum an. Dom. 369.

*Opuscula B. Ambrosij Mediolanensis Episcopi.*) Ambrosius cum Mediolani sub Valentiniano præfecturam gereret, & mortuo Auxentio Episcopo, dissidium populi in Episcopo diligendo sedasset, ex laico in Episcopum ejus urbis eligitur, eamque dignitatem primus rejiciens, libentissimè tamen baptismo suscepto Christianus efficitur, jussuque Principis Episcopalem sedem accepit, quæ equidem accepta, Episcopi officio egregiè fungitur, & multa adversus hæreticos præclara edidit opera, scripsitque alia Christianæ religioni admodum utilia, quorum mentio fit à Trithemio, & aliis. Extatque ejus vita titulo Paulini ad Augustinum scripta, sed & de Ambrosio multa Socrat. *lib. 4. c. 30.* Theodoretus *lib. 4. c. 6.* Nicephorus *lib. 11. c. 32. & lib. 12. c. 41.* Sozomenus *lib. 7. c. 24.* & Cassiod. *in Tripar. lib. 7. c. 8. & lib. 6. c. 39.* obiit prope annum Domini 400.

*Item opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi.*) D. August. Ecclesiæ Doctor celebratissimus, in quem opulentus ille spiritus juxta ac benignus dotes suas omnes uberrimè effudit, ex provincia Africana Tagastæ parentibus honestis, & Christianis progenitus, D. Ambr. discipulus, multa in Christianæ religionis patrocinium edidit opera, in quibus veram Theologiam, mores integerrimos, absolutamque pietatem docet. Ejus vitam Possidonius scripsit, qui latè tradit, qua ratione fuerit Hipponensis Episcopus constitutus, cujus muneris officio sanctissimè functus obiit an. Dom. 430. ætatis 76. Episcopatus 40. auctoribus Hermanno Contracto, Mariano Scoto, & Trithemio, quinto Kalendas Septembris. Prospero vero Aquitanico de die non convenit, annum autem numerat ccccxxxiii. Sigebertus, & Lucidus, annum ccccxl.

*Item opuscula B. Hieron. presbyt.*) Divus Hieronymus patre Eusebio natus, oppido Stridonii, quod Dalmatiæ, Pannoniæque olim confinium fuit sub Imperatore Constantino anno Domini cccxxxi. He-

Didaci Covarr. Tom. II.

braz, Græcæ, ac Latinæ linguæ peritissimus, sub Gregorio Nazianzeno sacras litteras edoctus, multos scripsit libros adeo celebres, ut maximam illi famam, & auctoritatem post vitæ integritatem pepererint. Obiit anno Domini cccxxxi. auctoribus Prospero Aquitanico, Joanne Lucido, Trithemio, & Erasmo. Nuper tamen post hujus operis primam editionem prodire in publicum eruditissimi Mariani Victorij in Hieronymi epistolas scholia, cum ejusdem sanctissimi viri vita ab eodem diligentissimè scripta: qui probat divum Hieronymum sub Constantino Magni Constantini filio, non sub eodem Constantino natum fuisse.

*Item opuscula B. Prosperi viri religiosissimi.* Hic est Prosper ille Aquitanicus, qui post Eusebium, & Hieronymum Chronicon scripsit, cujus & nos in enarratione hujus capit. frequenter meminimus. Claruit sub Leone primo Pontifice maximo, cujus Scriba fuisse creditur, à quo Regij Lepidi Episcopus est institutus, ubi tum doctrina, tum sanctitate floruit, in divorumque numerum suis meritis relatus est. Scripsit verò carmina multa, excelluit enim in Poëtica, ut ea ferebant tempora, scripsit & alia pleraque soluta oratione, quorum magna pars extat. Hæc ex Gennadio, Beda, & Gregorio Gyrardo *in Dialogo 5. de Poëis*, & Trithemio, qui scribit ejus festum celebrari septimo Calendas Julij. Ex quibus deducitur, cum claruisse prope annum Domini 460.

*Item epistol. Beati Leonis Papæ ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum destinata.*) Leo Papa ÷ Protogene & Asterio consulibus anno ex Haloandri Chronologia à nativitate Dom. ccccl. anno equidem nono ejus Pontificatus omnibus numeris absolutam, maximisque dignam laudibus ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum scripsit epistolam contra Eutychetis perfidiam & errorem, in qua multis rationibus, & auctoritatibus sacre scripturæ, Eutychetis Abbatis hæresim, Catholicæ sanctæ sedis Apostolicæ decreto, & illa in rebus fidei definiendis sacrosancta, & irrefragabili majestate, & certitudine infallibili evertit & damnat, quemadmodum & in Synodo universali quarta apud Chalcedonem ejusdem Pontificis approbatione damnata fuit. Qua ratione mirum non erit, si à Gelasio hæc Leonis Papæ epistola, quæ definitiones sedis Apostolicæ de rebus fidei continet, sic laudetur, ut pronuncietur Anathema, qui eam non in omnibus omnino receperit, vel de ea unum jota disputaverit. Atque hæc de Leonis Papæ epistola, quæ ex Æra eidem adscripta convenit. 448. nos tamen rationem consulum observavimus. Verum hoc Gelasij testimonium, quod ipse præstat tantum Leonis Papæ epistolæ ad Flavianum, cæteris sanctorum virorum scriptis, quorum ab eo in hac secunda Decreti parte mentio facta est, itidem tribuere mera est hallucinatio, ac temeritas viri parum intelligentis, quæ Gelasius de Sanctorum patrum scriptis docuerit. Approbat enim Gelasius Sanctorum virorum scripta ut intelligamus ea ratione probari, quod Catholicæ fidei minimè repugnent, ut tandem nihil in eorum scriptis reperiat: quod manifestè sit religioni Christianæ contrarium: non tamen sic, ut omnia illorum dicta pro lege suscipienda sint, ac necessarè admitienda. Sunt etenim multa, quæ ab Augustino traduntur, quibus contraria placuerunt Hieron. & alia quæ etsi fidei non repugnent, non tamen ad ea credenda ac tenenda Catholica fides nos constringit. Rursus & alia, quæ etsi ad religionem, ac fidem pertineant, possunt in controversiam deduci & examinari, an sint contraria veritati, quæ eo tempore latebat, postea verò in lucem prodierit, Ecclesia Catholica definiente. Nam & ipse August. *lib. 3. de Trinitate in prologo* inquit, *Noli meis litteris, quasi canonicis scripturis inservire, sed in illis,*

*Et qua non credebatur, cum inveneris, incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere. cap. noli meis. 9. dist. quo in loco glo. temerè, ac falsò scripsit, postea à Gelasio in hoc decreto scripta Augustini, & aliorum sanctorum patrum authentica censerentur ac pronunciari, ut usque ad ultimum iota necessariò recipiantur. Sic sanè Alfonso de Cast. lib. de her. c. 7. hujus gloss. interpretationem jure optimo improbat, ac refellit, ejusque opinio probatur à Gratiano pluribus testimoniis in d. 9. dist.*

*Item Decretales epistolas.*) Hoc in loco Gelasius inter Hagiographa, & sanctorum patrum scripta connumerat Decretales epistolas, quas admonet omni cum veneratione recipiendas esse. Eas etenim scripsere beatissimi Papæ pro diversorum patrum consolatione eodem auctore Gelasio, cujus & Innocentij primi testimonio utitur Nicolaus Papa, & in c. si Roman. 19. dist. Est autem obiter examinandum quod Gratianus docet in vigesimæ distinctionis initio scribens, Decretales epistolas canonibus conciliorum pari jure exæquandas: quam sententiam veluti manifestum Gratiani errorem, omni conatu improbat Alfonso à Castro. lib. 1. de heresi. c. 2. negans epistolas Decretales, etiam si recipiendæ sint, & ab omnibus Catholicis probandæ, conciliorum universalium canonibus exequendas fore. Idem probare conatur Joan. Arboreus lib. 4. Theosophia. c. ult. Nos verò arbitramur Gratiani opinionem veram esse dubio procul in causarum, & litium definitionibus, quibus dijudicandis, ac discernendis non minor est Papæ potestas, quam conciliorum universalium, imò major, sicuti tradidere gl. in c. ad Apostolica. de re judic. in 6. in princ. Innocen. & Imol. in grave. de prebend. Card. à Turrectem. in tract. de Eccl. l. 1. c. 37. Ant. de Rosellis in tr. de concil. q. 12. Egidius Bellamera conf. 99. q. 16. latè Jacob. in tractat. de concil. lib. 5. art. 8. Ex quibus & multis, quæ hi auctores adducunt, constat concilium etiam universale in litibus, & controversiis decernendis, & dijudicandis non habere aliam jurisdictionem, quam eam quæ sibi fuerit expressim vel tacitè à summo Pontifice delegata. Quòd si de rebus fidei tractemus, & Papæ per epistolam decretalem maturo consilio, & prævia deliberatione aliquid responderit eo animo, ut ea responsio sit Apostolicæ sedis de fide definitio, constanter asseverans, hoc responsum esse recipiendum omnino, ac tenendum, uti certum de fide: Non enim potest summus Ecclesiæ Pontifex errare, si in his, quæ ad fidem pertinent, aliquid ut persona publica, & Ecclesiæ caput, Pontificis summi officio functus, definiat, quod nos probavimus lib. 1. var. resol. c. 10. n. 12. Adhuc tamen in pertinentibus ad fidem præstat, aliquid à concilio generali legitime congregato defini. Siquidem promptiori quodam animo recipiuntur absque ulla controversia definitiones quæ in rebus fidei datæ sunt à Concilio legitime congregato, quibus ipse Papa & reliqui Episcopi subscripserunt, quam illæ, quas solus Pontifex definiat, ex multis equidem rationibus, vel ex ea, quòd de concilio nemo hætenus ex viris Catholicis scripsit, quod possit errare in his, quæ ad fidem pertinent. Papam verò errare posse, tametsi falsò, impie, & maximo cum errore, multi auctores asseverarunt, quemadmodum & idem Alfonso de Castro adnotavit. Sed in his definitionibus, quæ à concilio universalibus datæ sunt extra res ad fidem pertinentes, aliquis poterit majoris vinculi observari, quam in his, quæ à solo Pontifice decernuntur, quoad derogationem & dispensationem. Nam ut alibi scripsimus, dispensatio adversus concilii decreta, & canones sufficiens non censetur, nisi in specie fiat eorum derogatio, his quidem verbis, non obstante aliqua lege, vel constitutione, etiam in concilio generali sta-

tuta, auctore Archid. in c. 1. de const. in 6. text. in c. ex part. & in c. ult. de capell. monach. c. eam te, de erat. & qualit. in c. nonnulli, de rescript. ubi quæstionem istam tractavere juris canonici interpretes, præsertim Fel. col. 4. Alex. conf. 167. lib. 5. Card. Jacob. in d. tract. de concil. lib. 5. art. 18. & tamen in derogandis decretis, aut constitutionibus solius summi Pontificis non est necessaria mentio ista per verba prædicta specialis, juxta communem omnium resolutionem.

Præter hæc rursus apud Gratianum de decretalibus epistolis legitur 9. dist. c. 8. in canonicis eas esse scripturas divinis adnumerandas, & in earum ordinem referendas ex auctoritate August. malè intellecta, corrupteque citata. Sic enim legitur apud Gratian. In canonicis scripturis Ecclesiarum Catholicarum quam plurimum divinarum scripturarum fortissimus indagator auctoritatem sequatur, inter quas sanè ille sunt quas Apostolicæ sedes & ab ea alij meruerunt accipere epistolas. Hæc Gratian. ex August. lib. 4. de doct. Christ. c. 8. apud quam ita legitur, In canonicis scripturis, Ecclesiarum Catholicarum quam plurimum auctoritatem sequatur, inter quas sanè ille sunt quæ Apostolicas sedes habere, & epistolas accipere meruerunt. Hæc August. de libris canonicis hanc regulam nobis tradens, ut illi libri pro canonicis habeantur, qui à pluribus Catholicis Ecclesiis recipiuntur, inter quas Ecclesiæ August. credit eas esse computandas, quæ Apostolicas sedes habuerunt, i. e. quæ Apostoli, velut earum Episcopi rexerunt, item illas esse præcipuè Catholicas Ecclesias censet Augustin. quæ epistolas ab Apostolis accipere meruerunt, ut Romana, Corinthia, Thessalonicensis, Colossensis, Ephesina, Hierosolymitana, Antiochena, & Alexandrina, quas omnes Apostoli aut verbis docuerunt, aut scripto. Qua ratione fit, maximè absurdum esse quod Gratianus ex divo Augustino voluit deducere, cum ex eo necessariò sequeretur, divinis scripturis esse adnumerandas epistolas, quas Romani Pontifices ab ecclesiis inferioribus receperunt. Quod nemo usquam nec dixit, nec probavit: atque ideo hunc Gratiani errorem meritò Alfonso à Castro notat, & improbat in d. lib. 1. de heresi. c. 2. quem hac de re legito.

Decretales verò epistolæ, quæ à summis Pontificibus datæ sunt universalis Ecclesiæ consensu probantur. Nam præter Genalij auctoritatem, & aliorum commendationem, quæ in d. 14. dist. traditur, in concilio Constantiensi sess. 8. meritissimè damnatus fuit Joannis Wiclefi error inter alios, qui asserbat, epistolas decretales summorum Pontificum Apocryphas esse.

**I**tem gesta sanctorum martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quæ ita esse quis Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuisse perpassos, nec suis viribus sed Dei gratiâ, & adjutorio universa tolerasse? Sed ideo, secundum auctoritatem antiquam, vel consuetudinem singulari cautela in sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum qui scripsere nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut dædilis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit scripta esse putantur. Sicut cujusdam Quirici, & Julitæ maritis ejus, sicut Georgij aliorumque passionum hujusmodi, quæ ab hæreticis probantur conscripta. Propter quod, ut dictum est, ne levis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes martyres, & eorum agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, omni veneratione veneramus.

*Item gesta sanctorum martyrum.*) Martyr † Græca dictio est, quæ Latinè testem significat, & quamvis auctore Cypriano in lib. de duplici martyrio ad For-



*unatum*, omnis piorum vita testimonium reddat Deo, & de Deo, non quòd Deus cujusquam indigeat testimonio qui est vera lux illuminans omnem hominem sed quia ita visum est æterno illius divinoque consilio, ut suam bonitatem, sapientiam, potentiamque apud homines per homines voluerit illustrare: Ecclesiastica tamen consuetudo cognominis hujus honorem propriè tribuere cœpit his qui in tormentis, agonibus & cruciatibus, usque ad mortem perdurarunt constantissimi in professione nominis Iesu Christi, & Evangelicum instrumentum sanguine suo velut obsignarunt apud incredulos. Sic sanè licet & ipsi martyres propter veræ fidei & Christianæ religionis constantissimam confessionem dici possint confessores, quod Gelasius probat, Ecclesiastica tamen traditione obtentum est, ut ad martyrum distinctionem confessores dicantur illi qui absque sanguinis martyrio, diem postremum obiere, moribus & religione, atque miraculis adeò illustres, ut jure optimo Ecclesia eos in Sanctorum numerum retulerit, referendos esse decreverit. Hinc & negatores dicti qui semel suscepto Christiano nomine tormentorum, ac mortis metu Christum abnegarunt, quum dubio procul tenerentur persecutionibus potius Christum confiteri, ut confessores, & martyres dici meritò possent, quàm illum spe inanis vitæ abnegare, hujusce temeritatis, sicut & illius insignis constantiæ, præclara mentio fit ab Eusebio *lib. 5. Eccl. hist. c. 1.* & Nicephoro *lib. 4. c. 17.* His adde quæ tradit Claudius Spencæus in *priorem Epist. ad Timoth. c. 2. n. 5.*

*Quia eorum, qui scripsere nomina penitus ignorantur.*) Illorum igitur martyrum historias Gelasius in Romana Ecclesia non legi asseverat, quarum auctores prorsus ignorantur. Atque ideo passim videmus in Ecclesiis, præsertim in officio ma uino, legi multa de martyribus & sanctis ex auctoritate DD. Ecclesiæ; Hieron. inquam, Augustini, Gregorii, Ambrosii, & illorum, qui ob vitæ integritatem, ob insignem religionis Christianæ professionem digni sunt ut illorum testimonio utamur, & præterea ex Ecclesiastica historia maximè Eusebii, qui & de martyribus opus quoddam scripsit, ut is asseverat *lib. 4. cap. 16.* ex Tripartita, ex Theodoro, Socrate, Sozomeno, Evagrio: & his similibus. Sed & nuper in publicum prodire Simeonis Metaphrastæ Græci auctoris vitæ sanctorum patrum, & martyrum, opera & diligentia Aloysii Lipomani Veronensis Episcopi è Græco in Latinum translata.

*Aut dictis superfluit.*) In primo conciliorum tomo apud Gelasium legitur: *& ab infidelibus idiotis superflua*, ipse legem, *& ab infidelibus aut idiotis superflua.*

*Quirici, & Julii & matris ejus.* Horum martyrum commemoratio fit in Ecclesia Romana die 15. Julii; at in Ecclesia Tolerana & Genatensi die 16. Junii, Sic & divi Georgii festum celebratur 13. die Aprilis in Ecclesia Romana, & in omnibus ferè Christiani orbis Ecclesiis. Extat in Julitam martyrem concio quinta diu Basilii Cæsariensis, atque utriusque martyris vita inter eas quas Simeon Metaphrastes scripsit, apud quem itidem & vita beati Georgii legitur.

*Qua ab hæreticis probantur conscripta.*) apud Gelasium in primo conciliorum tom. & Burchardum re-ctius legitur, *qua ab hæreticis perhibentur conscripta* Sed & sexta Synodus *can. 63.* igni tradendas esse censet martyrum historias ab hæreticis, & infidelibus conscriptas.

*Omni devotione venerantur.*) Quamvis Gelasius admonuerat, historias martyrum, quarum auctores ignorantur, in Ecclesia Romana non legi, ipsos tamen martyres venerandos esse testatur, ac docet. Unde impium est, ex eo hæretico Christianum populum

averi. à veneratione sanctorum, quòd historiæ, quæ vulgò circumferuntur, ab Ecclesia Romana minimè probentur. Ecclesia etenim martyres quosdam, & alios viros, moribus, sanctitate, & miraculis illustres in divorum, ac sanctorum numerum diligentissima inquisitione prævia, maturoque consilio præmissis referendos esse decrevit, non tamen ex ipso probat, nec recipit historias, quæ à quocumque fuerint de martyrum gestis conscriptæ, imò eas admonet maximo cum judicio legendas esse. Tenemur igitur sanctos ab Ecclesia in divorum numerum relatos omnino venerari. Siquidem hac in re juxta veriorum sententiam errare Ecclesia non potest, sicuti & nos scripsimus *lib. 1. Var. resolu. cap. 10.* Tametsi non cogamur adhibere fidem his quæ de martyrum gestis fuerint passim scripta, nisi & hæc fuerint ex traditione Ecclesiastica planè recepta, aut Apostolicæ Ecclesiæ decreto probata.

*Item vitas patrum, Pauli, Antonii, Hilarionis, & omnium Eremitarum, quas tamen vir beatissimus scripsit Hieronymus, cum omni veneratione suscipimus.*) D. Hieronym. in *lib. de scriptorib. Eccl.* asseverat, scripsisse ipsum vitas Pauli, Hilarionis, & Captivi monachi. Atque ita inter ejus opera *tomo primo* hi tres libri vulgò circumferuntur, Antonii vitam scripsit Athanasius sicuti tradidere Rebuff. *lib. 10. hist. Eccl. cap. 8. Soc. li. 1. c. 21.* & Hieron. in *Athanasio*, qui in *Evagrio* scribit, Evagrium id opusculum è Græco in Latinum traduxisse, de eodem Antonio multa lecto poterit legere *lib. 1. Tripart. c. 11.* de Hilarione Sozomenus *lib. 3. c. 10.* qui de Antonio, & aliis Eremitis tractat, de quibus tractare Socrates *lib. 4. c. 23.* idem Sozomenus *lib. 1. c. 13.* ac Nicephorus in *historia Eccl.* Sed & vitas monachorum, & Eremitarum, præter alios scripsere Evagrius, ejusque discipulus Palladius, teste Socrate in *d. c. vigesimotertio*, & Timotheus, ut scribit Sozomenus *lib. 6. histor. Ecclesiast. c. 19.*

*Item actus B. Sylvestri, Apostolica sedis Præsulis, licet ejus, qui scripsit nomen ignoremus, à multis tamen in urbe Romana Catholicis legi cognovimus; & pro antiquo usu multa hoc imitantur Ecclesia.*)

Laudat hoc in loco Gelasius, & probat actus beati Sylvestri, † idest historiam de rebus gestis à beato Sylvestro, tametsi asseverat eorum auctorem esse incertum. Laurentius Valla in eo libro, quem adversus Constantini donationem studio calumnian- di potius, quam veritatis indagandæ, in sacrosanctam sedem Apostolicam debacchatus scripsit, blasphemio equidem animo asseverat, hujus historiæ scriptorem fartiferum, & nebulonem fuisse cui ex adverso respondens Augustinus Eusebius *lib. hac de re edito.* censet Eusebium Cæsariensem actus Sylvestri scripsisse quod mihi ægè persuadebit, multa etenim sunt indicia ex his, quæ Eusebius de vita Constantini scripsit, quatuor ea de re libris editis ad mortem usque ipsius Cæsaris, quibus ipse perpensis facillimè crediderim, & constanter asseveraverim, actus B. Sylvestri nequaquam ab Eusebio scriptos fuisse. Non enim tacuisset Eusebius vitam Constantini omni conatu scribens, ea præcipuè hac in historia Sylvestri narrantur, & quæ potissimum ad Constantini gesta pertinent, quæ quidem tacuit, imò quandoque contraria asseveraverit, quod statim probabitur. Tametsi in codice vetustissimis characteribus scripto ex Bibliotheca illustris admodum Didaci à Mendoza mihi commodato, legerim Græcè vitam beati Sylvestri, cujus titulus auctorem Eusebium Cæsariensem significabat. Etenim quinto tomo vitarum, quas Aloysius Lipomani è græco in Latinum verti curavit, illud opus Simeoni Metaphrastæ tribuitur. Sunt qui Damaso Pontifici actus beati Sylvestri tribuant, qui Pontificum omnium, à Petro exorsus, vitas & gesta perstrinxit in eo opere,

opere, quod Pontificale appellant, teste Alberto Pighio *lib. 5. de Eccl. hierar. cap. ult.* & Trithemio *in Damaso*. Hæc tamen missa faciamus, cum teste Gelasio, actus beati Sylvestri Romæ à multis tunc probati, lectique fuerint atque ideo & apud alias Ecclesias eandem habuerint fidem. Inquiramus tamen quid veteres historici, & alij auctores de his, quæ ex historia Sylvestri & ejus actibus solent videri controversa, hæcenus senserint, & scripserint, quod à me brevi quodam examine tractabitur, ut Gelasij locus eam interpretationem habeat in hujus historiae mentione, quæ vel utilis, vel necessaria sit.

Primum etenim in controversiam incidit Magni Constantini Baptismus ex gestis beati Sylvestri. Ex quibus constat magnum Constantinum Romæ à Beato Sylvestro baptizatum fuisse in ejusdem principatus initio, cum idem Imperator lepra graviter infectus consilio impiorum medicorum decrevisset balneo uti sanguine infantium pleno, eique nocte Petrus & Paulus apparuissent crudelitatis decretum improbantem, ac consulentes, ut Cæsar ipse Sylvestrum ad se vocaret, qui eum lavacro baptismi ad spiritualem & corporalem salutem restitueret. Sic denique historia ista, præterquam quod à Damaso Papa *in Pontificali*, refertur ex beati Sylvestri gestis, & à Simeone Metaphraste *Tomo quinto* ex editis cura & diligentia Aloysij Lipomani Veronensis Episcopi, extat & in Constantini Magni edicto, & decreto, quod traditur *in primo conciliorum tomo* ab Ivone Carnotensi *lib. 4. tit. de dignit. Rom. Eccl.* à Gratian. *96. dist. c. Const. Imp.* ab Alberico *in l. 1. §. in init. ff. de off. præf. urb.* ab Ilidoro non Hispalensi, sed Juniore *in tract. de Synod. tit. de Nic. Syn.* à Castaldo *in tract. de Imp. q. 51. n. 25. & 27.* Ejusdem historiae meminere Theophanes & Zonaras Græci quidem historici, non contemnendæ auctoritatis. Sed & hujus historiae testimonio usus est Hadrianus Papa litteris datis ad synodum septimam, quæ Constantino, & Irene imperantibus celebrata fuit adversus imaginum oppugnatores, quemadmodum constat *in actione secunda ejusdem synodi*, quæ Nicæna item dicitur. Et quisquis est, qui nomine Hieronymi usurpato ad Eustochium scripsit de vinculis B. Petri inter Hieronymi opera *Tomo quarto*. Gregor. item Turonensis Episcopus, qui anno sexcentesimo trigésimo scripsit, *lib. 2. c. 31.* Nicolaus tertius Pontifex Maxim. *in c. fundamenta de elect. in 6.* Idem de baptismo, & lepra Constantini diligenter narrat Georgius Cedrenus *in eodem Constantino*, & ante eum Nicephorus *lib. 7. c. 33. 34. & 35.* huic opinioni adhærens, & asseverans, eandem ab Ecclesia certò prædicari, idem *lib. 8. c. 54.* scribit ipsum universali Ecclesiæ hæc in historia consentire, & credere, Constantinum Magnum Romæ à beato Sylvestro ante synodum Nicænam sacro baptismi lavacro Christi fidem suscepisse. Eandem opinionem pluribus rationibus, & testimoniis probare conatur Augustin. Eugubinus *de donatione Constantini* adversus Vallam *n. 77. & seq.* qui & Anselmi testimonio utitur ad hujus historiae fidem probandam. Quam nos probamus ex Gelasij auctoritate, qua usus fuit Ivo Carnotensis. Dubia tamen ex eo videtur quibusdam, quod Eusebius Cæsariensis, qui ejusdem Imperatoris Constantini Magni familiaris fuit, quique ejus vitam usque ad obitum, quodam encomio quatuor libris complexus est, scripserit, cum in suburbano vico Nicomedie à Christianis Episcopis in extrema ætate propter mortem baptizatum fuisse, ipso Imperatore coram Pontificibus causam dilati baptismi animo piissimo reddente, nempe quod in Jordane fluvio baptizari desiderasset. Hæc Eusebius *lib. 4.* Idem scripsere Theodoretus *lib. 1. c. pen.* Sozomenus

*lib. 2. c. ult.* & Evagrius *lib. 3. c. 41.* Sed & ipsius Sozomeni testimonio *lib. 3. c. 19.* constat, Constantinum Magnum tempore Nicænae synodi nondum baptizatum fuisse, sed catechumenum, ut interim mirer, qua ratione Eugubinus scripserit, baptismum Constantini, cujus Eusebius meminere, fuisse potius balneum calidarum aquarum, ad quas æger Constantinus sanitati consulens accesserit, quam sacrum baptismi lavacrum, cum Eusebius, & qui eum secuti sunt, apertissime de sacro baptismate fuerint locuti, atque ideo potuit Eugubinus negare fidem historiae, non tamen ei licuit quæ à veteribus historicis scripta sunt, adversum eorum mentem interpretari. Sed & hanc Eusebij de baptismo Constantini historiam sequitur D. Ambrosius *in oratione de obitu Theodosij*. Et tamen D. Hieronym. & Hermannus *Contractus in Chronicis*, quamvis pene idem sequantur, auli fuere Christianissimo Principi hanc inurete notam, quod ab Eusebio Nicomediensi Episcopo Arriano baptizatus in Arrianum dogma declinaverit. Nos in hac re nihil esse certius censemus, quam quod fuerit communi consensu Ecclesiæ Catholice receptum: cujus definitioni controversiam istam reliquimus (historiæ de B. Sylvestro Gelasij auctoritatem secuti securè accedentes. Obiter etenim ab aliquot summis Pontifici. prior opinio recepta fuit. Quemadmodum & receptum quandoque fuit Constantini edictum, in quo baptismus illius juxta eandem historiae fidem expressim narratur. Atque ideo nobis satis fuerit hæc tetigisse.) Nam & Platina *in Marco*, licet de lepra, & ejus per baptismum emundatione, deque sanguine infantium ab aliis scripta, fabulam esse censeat, credit tamen Constantinum Magnum pulsus ab urbe tyrannis Romæ à B. Sylvestro cum Crispo filio baptizatum fuisse, nec sibi persuaderi posse asseverat, Principem hunc qui in signo crucis tot hostes devicerat, qui tot templa in honorem Dei ædificaverat, qui sacris conciliis præfens fuerat, qui toties cum sanctis patribus in mysteriis oraverat, baptismi sacri lavacro nondum fuisse contra hostem humani generis munitum, totque annis inter Catechumenos voluisse censer.

Secundo loco eadem ferè controversia vertitur de *Const. ejusdem donat.* qua Pontifici summo Sylvestro, ejusque successoribus urbem Romam, Italiæ urbes, & totius Occidentis, idem Imperator donasse fertur. Hæc etenim donatio probatur ex Constantini decreto, quod integrè traditur *in primo conciliorum Tom.* ab Ivone Carnotensi, ab Ilidoro, Alberico, Eugubino, & Castaldo, quorum paulò antè meminimus. Ejusdem decreti, & donationis meminit Nicolaus tertius summus Ecclesiæ Pontifex *in cap. fundamenta de elect. in 6.* idem Constantini edictum extat Græcè, & Latine Romæ in Vaticana bibliotheca, & in aliis Italiæ bibliothecis, adductumque olim fuisse à Constantinopoli ex bibliotheca Palatina ejusdem decreti exemplar, quod simile fuit omnino his, quæ Romæ legebantur. probat Castaldus, ac denique Eugubinus constanter asseverat, passim Græcè & Latine hoc edictum utique servari, (extat tandem edictum istud Græcè apud Plotium *in Nomocanone tit. 7. c. 1.* Genadium Patriarcham Constantinopolitanum *in Apologia pro concilio Florentino, c. 5.* quamvis apud hos auctores in edicto nulla fiat mentio baptismi, cujus paulò antè meminimus sed donationis tantum, de qua modò disputamus.) Ex multis tamen conjecturis, & rationibus dubium est an verè hæc donatio facta fuerit à Constantino Magno, præsertim ex eo quod Eusebij, & omnium historicorum consensu idem Constantinus in testamento, & ultima voluntate tribus filiis, quos Cæsares jam constituerat, Romanum divisit Imperium, & eorum cuidam Italiam, & quæ fertur Ecclesiæ donasse, reliquit. Quod profectò non fecisset, si verè eandem Sylvestro donasset. His acce-

accedit quod huius donationis nec Gratianus, nec Damasus in *gestis B. Sylvestri* meminerint, Sed nec historici, qui Græcè & Latine Constantini Magni res scribere, ullam hac de re fecere mentionem, procul dubio non omisissent, si vel ea donatio facta fuisset, vel ipsi scivissent factam esse, quod eos latere non poterat. Diligenter enim indagaverunt omnia Constantini Magni tempore gesta, quod ad Ecclesiasticam historiam attinet, Euseb. Cæsariensis, Socrates, Theodoretus, Sozomenus, & Cassiodorus. Sed & omnium scriptorum consensu constat, post Sylvestrum, & Constantinum quadraginta annis Pontifices Romanos ea donatione non utos fuisse nec urbis Romæ jurisdictionem temporalem habuisse, quibus & aliis rationibus donationem à Constantino Magno factam verè fuisse, negant Aeneas Sylvius, postea Papa Pius in *diálogo*, quem ante Pontificatum in Germania edidit, *char. 21.* Georg. Merula. *Alex. lib. 1. Vicecomitum.* Hieron. Bald. *lib. de coronatione, pag. 81.* Felin. in *c. solita, de major. & obed. col. ult.* Joan. Ignæus in *l. donat. n. 22. C. de don. inter vir. & uxor.* dubitant Barb. in *rub. ff. de verb. obl. col. 11.* Cagnol. in *procem. ff. ru. 79.* And. Alc. l. 7. *parer. c. 19.* & plerique alij, quorum primas obtinere Laurentius Valla, qui integro libro probare conatur, donationem istam nunquam factam fuisse, ejusque formulam, quæ circumfertur, fictam atque commentitiam esse, & hanc secutus Carolus Molinæus vitæ sanè nimis audax parumque modestus erga sacrosanctæ sedis Apostolicæ majestatem, is inquam in *Alex. conf. 24. lib. 5. col. ult.* & ad edictum Henrici Gallorum Regis n. 121. fabulam esse censet, quæ de donatione ista vulgò traduntur. Nos verò etiam videamus plures de fide hujusmodi dubitasse, legimus tamen Romanos Pontifices ejus meminisse, quamvis id obiter, & caute fecerint, cum res ad historiam pertineret, quæ quibusdam videtur incerta, atque ideo censemus nemini licuisse nec licere hac in re adversus Romanam, & Apostolicam sedem impie loqui & oblatrare. Potuit enim donatio ista fieri, neque ideo negandum est, quod scriptores antiqui ejus non meminerint, præsertim cum sit communi opinione hominum receptum, hanc donationem à Constantino factam fuisse, quemadmodum asseverat And. Alciat. & deducitur ex his, quæ modò scripsimus, & quæ longè tractaverunt Eugub. Card. Jacob. t. in *tract. concil. lib. 10. art. 8.* & Catal. in *d. 9. 51.* qui & alios referunt hanc opinionem probantes, quæ probari videtur in *clem. prima de jurejur.* quo in loco gl. in *versic. Constantinum*, querit, an hæc donatio, si verè facta fuerit, jure potuerit valere, in eaque perseverat sententia, ut existimet valuisse hanc donationem, qua in re parum nos immorabimur, siquidem ex veteribus multum hoc argumentum tractare: quorum communior est sententia quæ asserit, eam voluisse, sicuti constat ex *Abb. conf. 82. lib. 1. Card. in clem. un. de jurejur. §. porro. col. 3.* Fel. in *d. c. solita.* Bart. in *procemio Pandectarum*, & ibi Cagn. *Abb. in c. inter dilectos de fide instrum. col. 9.* & in *c. venerab. qui fil. sint legit. Gomez. in §. item Serviana, n. 44. Inst. de action. Castaldo in d. 9. 51.* Remundo Rufo *contra Molin. pag. 645.* Florent. *part. 1. histor. tit. 8. c. 2. §. 8.* Augustino Anchona in *lib. de potest. Eccl. 9. 43. art. 1. & seq.* quam opinionem tenuerunt Accurs. in *l. 1. in verb. pertinere, ff. de offic. pref. urb. Spec. & alij qui à Junioribus citantur tamen idem Accurs. in *auth. quomodo oport. Episc. Alber. in l. bene à Zenone. C. de quadri. presc. n. 22.* & quidam Juris Civilis interpretes contrarium probare conentur. Quibus denique ommissis opinamur, summos Ecclesiæ Præsules præter hanc Constantini Magni donationem multa jura habere, quibus jure optimo defendi possit jurisdictionis urbis Romæ ejusque dominium, atque item aliarum urbium, quas Ecclesia Romana sacrosanctaque sedes*

Apostolica possidet, ex his, inquam, Christianorum Principum largitionibus, quarum meminere Alc. Eugub. Castald. Remund. Rufus contra Molin. *pag. 614.* Alber. Pigh. *lib. 5. de Eccl. hier. c. ult.* Blondus, Georg. Merula, & Paulus Emil. *de gestis Franc. in Pippino. Carolo Magno, & Philippo primo.*

His accedit esse consentaneum Ecclesiasticæ auctoritati inter alias rerum temporalium dotes, & hac quoque insigniri, ut castra, & urbes cum potestate utriusque gladii sub ejus habeat dominio, sicuti quaestionem istam examinans probat multis rationibus Dominicus Soto *lib. 10. de just. & jur. q. 4. art. 5.*

Cæterum apud Gratianum *12. q. 1. in cap. futuram.* ex testimonio Melchiadis Papæ traditur, Constantinum Magnum baptizatum Romæ fuisse, & donationem hanc Ecclesiæ Romanæ fecisse, cujus in edicto ejusdem Constantini mentio fit, & de qua modò disputavimus, Probavimus tamen in *prædictis quaestionibus. c. 31. n. 2.* illius c. titulum falsò Melchiadi Papæ adscribi ex eo, quod illis relata contigerint post ipsius Melchiadis obitum, & quia Melchiades omissus fuerit, & martyrium passus est Maximi jussu, qui Constantinum in Imperio præcessit. Quæ quidem ratio est omnino intelligenda vel de Maximo Galerio, qui Cæsar fuit cum Constantino patre Constantini, & Orientale Imperium obtinuerit, vel de Maximino, qui tyrannidem in Oriente adversus Licinium Constantini Magni consortem exercuerit, & ab eodem Licinio victus est. Quod si Melchiades Papa, & martyr passus est jussu Maximini Galerij, dicemus hoc martyrium contigisse ultimo anno imperij ipsius Maximini, quia Eusebius & Herm. Contractus mortem Melchiadis, & Maximini Galerij ferè eidem anno adscribunt. Et eadem ratione dicendum erit, Melchiadem passum fuisse sub Imperio Constantini Magni, quia auctore eodem Eusebio, mortuo patre Constantino, in Gallia, & Britannia Imperium Roman. accepit anno Domin. ferè cccx. & cum Galerio Maximino Constantij patris consorte divisum adhuc id habebat. Addit tamen Eutropius, Constantium contentum dignitate Augusti Italiæ, atq; Africa, administrandæ sollicitudinem recusasse, eamq; Galerio Maximino celsisse, atq; ita ex aliis auctoribus deducitur, Italiæ, atque Africae cura habuisse Maximinum Galerium ad ejus usque obitum. Nam in Italiam Severum Cæsarem misit, qui à Maxentio, aut ejus dolo extinctus est. Hæc verò historia de martyrio Melchiadis sub Galerio Maximino & ejus jussu, mihi ex eo dubia videtur, quod ex eisdem Eusebio & Contracto suspicer, prius mortem obiisse Galerium Maximinum, quam Melchiadem, & quia eo tempore, quo passus est Romæ Melchiades, Romam & Italiam obtineret Tyrannus Maxentius filius Maximiani Herculij in Christianos crudelissimus, qua ratione hoc ipsum Melchiadis martyrium adscribi non poterit alteri Maximino, qui in Oriente Tyrannus erat, itidem in Christianos ævissimus Galerij fororis filius, cum is in Italia & Occidente nullum imperium haberet. Utcumque sit, Melchiades ex Chronologia Eusebij, & aliorum passus est priusquam Constantinus Magnus victor Maxentio Romam & Italiam obtinuerit, quamvis in Britannia, & Gallia tunc 3. aut 4. annis post patris mortem imperaverat. Et quia facillimus fuit apud Platinam, & alios affinitate nominum error, ipse opinor Melchiadem martyrio coronatum Maxentij, non Maximini jussu. Similis propè constat mutatio nominum in divæ Catharinæ historia. Siquidem scriptum extat, eam martyrium passam fuisse Alexandriae, jussu Maxentij, eoque præsentem, quoniam Maxentius non Alexandriae, nec Orientis, sed Romæ & Italiæ imperium per tyrannidem habuerit, eritque fortassis in ea historia pro Maxentio substituendus Maximinus, qui apud Orientem tyrannus, in Christianos sævissimus

multos ex eis martyrio iussit occidi. Quibusdam tamen videtur, potuisse Melchiadem de Constantini rebus justificari, cum extant apud Euseb. *li. 10. hist. Eccl.* & Niceph. *lib. 7. c. 43.* epistolæ Constantini Magni ad Melchiadem Papam, quas veras esse confirmat D. August. *in epist. 162.* ad Glorium, Eleusium, & Felicem, qui eandem controversiam tractat, quam epistolæ Græcæ retulerunt, appellatque Constantinum Imp. Christianum tempore Melchiadis Papæ, & inducat tunc curam Africæ, habuisse per proconsulem Anylium, ut non satis convincat Bagubinus prædictas epistolas confictas fuisse. Quod si veræ sunt, ut ipse opinor, respondendum erit, quæstionem illam inter Cæcilianum, & alios Africæ Episcopos contigisse sub Melchiade, ab eoque diffinitam Romæ fuisse ex Constantini Magni sollicitudine adhuc Maxentio Romam occupante, Africam per proconsulem regente Constantino, qui tunc apud Gallos commorabatur, ex eo quod tot tyrannis provincias occupantibus & invadentibus Galerius Maximinus non potuerit Africam obtinere, & regere, eamque Constant. Magnus ex Gallia, constanti animo acceperit sub ejus protectione. Occiso verò Melchiade, & Maxentio postea victo, cum Constant. Romam, & Italiam à tyrannide liberasset, rursus iudicium Melchiadis de Cæciliani causa in controversiam vertitur, quod Augustinus sensit, & scribit, apud quem Christianus dicitur ante Sylvestrum Constantinus, vel quia Catechumenus esset, & Christianis impensissimè faveret, vel nomen id tribuit Augustinus Imper. in ejus historiæ narratione, non quod eo tempore Christianum baptismum suscepto foret, sed quia postea Christi fidem baptismi lavacro suscepit. Verum si dixeris, Cæciliani Episcopi Carthaginensis controversiam in ea tempora incidisse, & initium habuisse, quibus jam extincto Maxentio Italiam & Africam obtineret Constantinus. Eusebius & alij refragantur: ex quibus Melchiades priusquam Maxentius mortem obierit, & præterea nunc extinctis tyrannis præter Licinium, qui Orientem regebat, si Romæ Melchiades post Maxentium fuit superstes non est veritati consonum, eum martyrio coronatum fuisse, siquidem nullus esset in Occidente, saltem in Italia tyrannus, à quo potuerit occidi, cujusve iussu ad martyrium duci posset. Omnia etenim quoad Ecclesiam, & Christianis pacatissima fuere in Occidente, occisis, & devictis à Constant. Magno tyrannis: & paulò post in Oriente mortuo Maximino tyranno, & Licinio Constantini M. consorte ab eodem victo, profligato, captoque & occiso. Quod si ex mendosis ac depravatis Chronicorum Eusebij codicibus existimemus receptum fuisse, Melchiadem ante Maxentij obitum martyrio fuisse occisum, & ex Optato *l. 1.* Augustino, & epistolis Constantini opinemur, Melchiadem post Maxentium mortem obiisse, nullus profectò superest scrupulus. Sic etenim Historiam istam explicat Francisc. Balduin. *in adnotat. ad Optat.* Sed & Onufrius *in Chronico*, Melchiadis obitum anno ferè tertio post Maxentij mortem planè adscribit.

**I**tem scripta de inventione sanctæ Crucis Dominicæ & alia scripta de inventione capitis B. Joannis Baptiste: novella quidem revelationes sunt, & nonnulli Catholici eas legunt, sed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Pauli Apostoli sententia, Omnia probate, quod bonum est tenere.

**I**tem scripta de inventione Sanctæ crucis. Apud Gelasium & Burchardum legitur. Novella quidem relationes sunt. Et sanè historia ꝑ de inventione crucis Dominicæ, à Gelasio nec refellitur, nec omnino recipitur inter Hagiographa: admonet tamen summus Ecclesiæ Pontifex, ut eam cum iudicio, & piè lega-

mus. Etenim Euseb. Cæsar. *lib. 3. de vita Constantini Magni*, cum Helenæ meminisset, eaque commemorasset, quæ pietatis Christianæ zelo præclarè in religionis, & divini cultus ac templorum ornamentum ab eadem diva Helena facta sunt, nequaquam de inventione Dominicæ crucis meminit, profectò dignus culpa, si rem aded seriàm scienter omiserit, vel nimis negligenter ignoraverit, minime veri ac solliciti histori in officio functus, idem verò Eusebius *in Chronico* hujus historiæ mentionem fecit anno cccxxv. & communi Ecclesiæ consensu festum hoc inventionis sanctæ Crucis dominicæ celebramus, ex Decreto Eusebij Pap. *epist. 3. c. Crucis de conf. dist. 3.* in ejuisque dici lectionibus legitur Helenam Constantini matrem nocturno visu in pulchram Hierosolymam petiisse, ut dominicam quæreret crucem. Locus autem ubi ea defossa erat ab impiis gentilibus constructo ibidem Veneris templo pollutus, ut memoria passionis Domini deleteretur, rem difficilem reddebat, donec divinis quibusdam indicis loco equidem cognito & templo illo contaminato, diruto, aggregæque exportato sacrum illud resurrectionis antrum illuxit, repertaque fuere tres sparsim disjectæ cruces, & tabula, in qua Pilatus Jesum Regem Judæorum scripserat. Verùm quia difficilis adhuc divini ligni cognitio erat, quod ordine confuso cruces disjectæ forent, dubia animi Imperatoris mater Deum obsecravit, ut ei indicium fieret. Tandem cum mulier quædam honesto loco nata gravi oppressa morbo, extremo laboraret periculo. Marcarius Hierosolymitanus Episcopus unà cum Helena ad ægotantem accessit, crucibusque duabus admotis, eadem in eodem discrimine maneret: tertiamque & verè Domini eam crucem illi admovisset, subidè illa respexit, viribusque firmiter collectis, lecto statim exiit: quo signo, & quod lignum illud divini sanguinis stillam defluentem acceperat, comperta veritas est, cognitumque lignum dominicæ crucis. Sacrique fuere reperti clavi, quibus Christi corpus transfixum fuerat.

Sed & præter Ecclesiæ Catholicæ consensum, hujus historiæ meminere Theodor *lib. 1. cap. 18.* Socrates *lib. 1. c. 17.* Sozomenus *lib. 2. c. 1.* Niceph. *lib. 8. cap. 29.* Ruffin. *lib. 10. Eccl. hist. cap. 7. & 8.* Cassiod. *lib. 2. Tripart. c. 18.* Sever. Sulpic. *lib. 2. sacra hist. Paulin. ad eundem Severum Epist. 11.* & Georg. Cedren. *in Constantino Magno*, scribens id contigisse anno 20. ejuſdem Constantini Principatus nulla miraculi ab hoc auctore mentione facta, cujus tamen meminere cum præcitaris Platina *in Sylvestro.* Virg. Polydor. *lib. 2. hist. Ang.* Divus tamen Ambros. *in oratione de obitu Theod.* industria, & sollicitudine Helenæ inventam fuisse scribit crucem Dominicæ, cognitamque ex titulo eidem affixo, tacuit verò miraculum mulieris à morbo liberatæ. Sed & Zonaras *in Constant. Magno.* Helenam ipso comite Sylvestro Dominicam crucem invenisse narrat: miraculum verò tacuit. Ejuſdem inventionis ab eadem Helena meminit Justinianus *Novella 28.* Tandem Eusebius Papa *in d. epist. 3. & d. cap. Crucis*, nulla Helenæ, & miraculi mentione habita, asserit, ejus Pontificatu Crucem Dominicam inventam fuisse, quæ ratione, Crucis inventionem sub Constantino, tamen ante ejus Orientale imperium contigisse, Eusebius Papa confirmat. (refertur à Gratiano *in c. Lucius, de consecr. d. 3.* Sed & Georg. Cedrenus *in Constantino* scribit, crucem ab Helena in somno admonita, inventam fuisse anno 20. Imp. Constantini, miraculum tamen tacuit.)

*Et alia scripta de invent. capitis B. Joannis Baptiste.)* Extat inter opera divi Cypriani tractatus de revelatione capitis B. Joann. Baptist. in quo longè describitur ac depingitur tota hæc de revelatione capitis Jo. Bapt. historia, conaturque illius operis auctor probare

probare festum, quod Ecclesia celebrat IV. Kalend. Septembris, non esse dicendum decollationis Joan. sed collectionis, aut inventionis, vel revelationis capitis Joan. nominandum fore. Cæterum illud opus non esse Cypriani Erasmus asseverat, vel ex eo, quod illic mentio facta sit Pepini Aquitanorum Regis. Nam si is est, in quem Stephanus Papa transtulit imperij titulos, (alius etenim ab historicis quod ipse meminerim, non traditur,) immensum est annorum intervallum à Cypriano ad eundem Pepinum, qui regnavit Anno Domini DCCCL. quingentis fere annis post Cyprianum. Huic rationi & alia, quæ acerrimè urget, accedit, siquidem in eo libello mentio fit Theodosij Principis, qui annis plus centum post Cypriani mortem imperium obtinuit, etiamsi de Theodosio seniore, intelligamus quod illic scriptum extat, quibus tandem evidenter probatur libellum istum, de quo modò agimus, Cypriano falsò adscribi, & ejus temere censeri. Historiam verò de inventione capitis Joan. Bapt. non fuisse primùm scriptam ab auctore illius libelli, qui falsò Cypriano adscribitur, satis constat ex auctoritate Gelasij, qui hoc decreto apertissimè meminit libelli, qui de inventione capitis beati Joan. Baptist. scriptus eo tempore vulgaris erat, vulgoque legabatur. Scripsit verò prædictum libellum ejus auctor quisquis fuerit, bis centum annis post Gelasium. Unde ipse opinor tempore Gelasij editum fuisse opus aliquod, in quo scripta erat inventio capitis Joan. Baptist. quæ sub Martiano Imperatore paulò antè contigerat, cujusque meminit auctoris, qui libellum supra commemoratum scripsit: apud quem ubi legitur: *Chronicam Marcelli Principis legat*, ipse legendum esse censeo: *Chronicam Martiani Principis legat*, aut fortassis: *Chronicon Marcellini Comitis legat*. Et enim Marcellin. Comes in *Chronico* narrat sub Martiano Augusto inventionem capitis Joan. Bapt. contigisse eo fere modo, quo apud Cyprianum scribitur, die verò XXIV. Februarij, Vincomalo, & Opilione consulis anno Domini juxta Haloandri Chronologiam CCCCLV. Sed & Sozomenus Eccles. hist. auctor hoc multò vetustior *lib. 7. c. 21.* scribit, à monachis quibusdam sub Valente Hierosolymis caput Joan. Bapt. repertum esse, atque inde illud allatum in Pantichium, quod est oppidum parvum non longè à Chalcedone, repositumque in vico, quem incolæ Colilaum vocabant, donec Theodosius Imperator illud in Constantinopolim attulit, septimoque ab urbe lapide aut miliario templo magnificè constructo, eidemque divo Joanni dicato ibidem reposit. Eandem historiam repetit Niceph. *lib. 12. c. 29.* (quamvis sit magis consentaneum in præcitato libello mentionem fieri chronicæ quam Marcellus monasterio præfectus, cui & revelatio facta fuit, hac de re scripsit,) Sub Juliano autem imperatore in Sebaste Palestinæ provinciæ urbe D. Jo. Baptistæ monumentum paganos invasisse, ac demum collecta ejus ossa quæ priùs dissipaverant, igne cremasse, cineremque per planiciem campi projecisse, monachosque quosdam Hierosolymitanos ex monasterio Philippi caurè mixtos his qui ossa colligebant, quidquid potuerunt ex ossibus collegisse, tulisseque ad eorum patrem Philippum, scribit Ruffin. *lib. Eccl. hist. 11. c. 28.* idem fere lector poterit adnotare ex eo libello, quem falsò Cypriano adscribi diximus, ubi Josephus, ut opinor, corruptè dicitur, qui à Ruffino Philippus nominatur. His sanè partim suffragatur Theodoret. *lib. 3. Ecclesiast. hist. c. 6.* sub Juliano commemorans in Sebaste urbe paganos, aut gentiles ossa D. Joannis Baptistæ igni tradidisse, pulveremque dissipasse, cætera tamen tacet. Hunc sequitur Nicephorus *lib. 10. c. 13.* idem scribens factum fuisse de ossibus Helisæi Prophetæ, qui & Sebaste sepulchrum suum habebat.

Nam & Sebaste sepultos fuisse Helisæum Abdiam Prophetas, & Joan. Baptistam scribit D. Hieron. in *Epitaphio Paulæ.* (idem in *Michaam c. 1. & in primùm Abdiæ caput.*) Prosper tandem Aquitanicus tradit, anno Dom. CCCXIV. Theodosium venerabile Joannis Baptistæ caput ex Vico Colilao Constantinopolim deportasse, ac recondidisse in templo magnificè constructo in ejus honorem septimo ab urbe lapide. At Theophylact. in *Mauth. cap. 14.* scribit corpus D. Joan. Bapt. apud Sebastem Cæsaream sepultum: caput verò primùm depositum fuisse in Emessenorum oppido.

**I**tem Ruffinus vir religiosus plurimos Ecclesiastici operis edidit libros, nonnullas etiam scripturas interpretatus est. Sed quoniam beatus Hieronymus in aliquibus eum de arbitrii libertate notavit, illa sentimus, prædictum B. Hieronymum sentire cognoscimus. Et non solum de Ruffino, sed etiam de universis, quos vir sapius memoratus zelo Dei, & fidei religione respondit.

Ruffinus † Aquilejensis Ecclesiæ presbyter non minimam apud veteres laudem est consecutus, tum in divinis scripturis interpretandis, tum in Græcæ & Latinæ linguæ eruditione non equidem vulgari. Habuit enim teste Gennadio, elegans ingenium in Græcis operibus in Latinam linguam vertendis: claruit ætate Hieronymi, cum quo graves exercuit similitudines, quarum memor Gennadius nimium Ruffino tribuit, Hieronymo plurimum detrahens, non satis intelligens quantum à D. Hieronymo Ruffinus abfit, qui si Ecclesiastica historia Eusebij & Josephi opera, quæ nunc Latine circumferuntur ex Ruffini translatione, non mentiuntur auctorem, eademque conferat lector cum Græcis colligebat, dubio procul in multa incidet loca, ex quibus comperiet, Ruffinum nec Græcæ nec Latinæ linguæ exactam cognitionem habuisse, quæ verò Hieronymus in Ruffino notaverit, deduci possunt ex his libris, qui adversus Ruffinum ab eodem Hieronymo editi sunt, & in secundo Tomo habentur, ad quorum intellectum legenda sunt quæ Ruffinus adversus Hieronymum scripsit, & fuere typis excusa in quarta operum Hieronymi parte. Cæterum quod Gelasius scribit de Hieronymi censura observanda in alios Ecclesiasticos auctores, ira, ni fallor, est accipiendum, ut si quid Hieronymus notaverit, illud sit cautè legendum, & maximo cum judicio, ne qua ex parte offendant Catholicas de fide assertiones; non tamen statim hæreticum erit censendum, nisi id Ecclesia definierit, aut jam fuerit definitum, vel sit aded divinis Scripturis contrarium, ut manifestus sit in rebus fidei error. Aliquot enim displicuerunt Hieronymo, quæ ab Augustino & aliis probantur: nec præter Ecclesiam Catholicam, & summum totius Christiani orbis Pontificem, quisquam habet auctoritatem pronuntiandi aliquid hæreticum esse, tamen docere possit id refragari divinis Scripturis, atque ideo dignum quod ab Ecclesia hæreticum judicetur; nisi foret adeo manifestus error, ut nulla possit de ea re apud verè Catholicos controversia.

*Item Origenis novella opuscula, quæ vir beatissimus Hieron. non repudiat, legenda suscepimus, reliqua autem omnia cum suo auctore dicimus esse renuenda.*

Origenes, qui & Adamantius presbyter, iatione Alexandrinus, Clementis Alexandrini discipulus, magni & excellentis ingenij vir, Leonidæ Martyris filius, claruit sub Alexandro Imp. Mammææ filio: obiit sub Gallo Cæsare post Decium imperante anno fere ætatis septuagesimo auctore Nicephoro *lib. 5. c. 33.* an. Dom. CCLVI. ut Hermannus Contractus scribit. De Origene, ejusque libris tractant Euseb. *Eccl. hist. 6. Socrates li. 6. c. 12. & 13.* Niceph. *lib. 5.* Ex quib. Eusebius & Socrates in ejus laudes erumpunt animosè, idemque Eusebius (quod Gelasius hoc in capite commemorat)

morat) librum unum in Origenis laudem edidit, aut sanè apologiam pro Origene in sex libros distinctam, quemadmodum Hieron. & alij tradidere, & Eusebius ipse asseverat *lib. 6. Eccl. Hist. cap. 36.* Fuit verò olim non levis controversia inter Christiani orbis Episcopos de libris Origenis recipiendis aut reprobandis, qua de re Socrates & Nicephorus Græci auctores tractaverunt non semel, sed maximè Niceph. *l. 13.* Tandem Constantinopolitana Synodus, quæ quinta est inter universales, ejus impia dogmata nominatim, & auctorem ipsum ea ratione damnavit sub Justiniano Principe, sicuti idem Nicephorus scribit *lib. 17. c. 28.* & constat ex ejusdem Synodi actionibus in *2. conciliorum Tomo.* Etenim cum Origenes nihil non in sacris litteris exponere vellet, seipsum in errorem conjecit, unde multa nefanda & exitiosa protulit verba, ex quibus Arius, ejusque sectatores suorum dogmatum materiam sumpserunt, quod Suidas, & idem Niceph. fatentur *in d. l. 17. c. 27.* ipse autem Origenes, martyrij timore inani, quod pati recusavit, abjurata fide, Satana instigante à divina sententia & gratia, quæ primùm illi faulrix aderat, omnino delapsus, alienas à religione Christiana opiniones induxit, per quas multis à semita recta discedentibus, longo post tempore damnationem Ecclesiæ dignissimè passus est, infelixque tunc obiit ac miser, teste Nicephoro *lib. 5. c. 32. & 33.* Proscriptus sanè ab Ecclesia, ignominiam istam non ferens, Alexandria relicta, in Judæam profectus mortem obiit, Tyri- que sepultus est, auctore Suida. Qua ratione intelliges, lector candide, Origenem à Gelasio schismaticum appellari. Sed & de Origene multa Georgius Cedrenus in *Epitome*, ubi de Severo & Justiniano Imperatoribus agit. Hieron. verò ejusdem Origenis opus in Cantica Canticorum laudat, & in Latinam linguam vertit, sed & librum edidit & scripsit *ad Avitum*, in quo docet, quid cavendum sit in libris Origenis *πρὸς ἀρχαίαν*, id est, de principiis. Epistolam etiam ad Pammachium & Oceanum, de errorib. Origenis, de quibus adhuc disserit in *Apologiis adversus Ruffinum*, & hæc reperiet lector *secundo tom.* Extant & de eadem re Ruffini quædam scripta, partim ab eo è Græco in Latinum traducta, in *quarto tom.* operum Hieronymi, quæ quidem lector diligenter examinabit ad Origenis errores vitandos, & ad intellectum hujus capituli. Nam Hieron. Ruffinus, & Gelasius ante quintam Synodum, in qua damnati fuerunt Origenis opiniones, scripsere. Sed & Vincent. Lirinensis in *libro adversus hæreses* plurimum dolet, Origenis libros, vel ab hæreticis corruptos, vel ab ipso auctore ita scriptos, multis blasphemiarum vulneribus scærentes, ad errores persuadendos multum olim valuisse.

Cæterum de historia Eusebij, de qua Gelasius *hoc in c.* meminit tractabimus *in c. seq.* ubi de Apocryphis libris agitur. Opinor tamen Gelasium, dum Eusebium notat, quòd librum unum de laudibus Origenis conscripserit, fortassis de libro sexto *Eccl. hist.* intellexisse: quòd si quis malit, ut nos paulò antè adnotavimus, de Apologia ab eodem Eusebio scripta, in sexque volumina distincta, intelligere, non admodum refragabor, imò post primam hujus operis editionem sic locum istum Gelasij intelligendum esse censeo. Nam & septima Synodus *actio 5.* ejusdem Apologiæ meminit, & eam improbat, tametsi hac in re parum diligens videatur Rhenanus in *epistola nuncupatoria Ecclesiastica historia.*

Item Orosium, virum eruditissimum collaudamus, quia valde nobis necessariam adversus Paganorum calumnias ordinavit historiam, miraque brevitate contexit.

II Orosius † presbyter Hispani generis, vir eloquens, & eruditione insignis, scripsit adversus querulos

Christiani nominis, qui asserbant, Romanum imperium ex eo defecisse, quòd Christi fidem & religionem Romani iisque subditi suscepissent, idque opus in septem volumina distinxit. Sed & ab Augustino missus ad Hieronymum pro discenda animi ratione, rediens reliquias B. Stephani Martyris primi tunc nuper inventas intulit Occidenti. Hæc Genadius, Marcellinus Comes, & Trithemius. Clauit propè annum Domini cccc. Prosper Aquitanicus, & Hermannus Contraçtus in *Chronica.* Denique Orosius elogio Hieronymi & Augustini commendatur, fuit verò Tarraconensis, auctore Volterrano. Cæterum de reliquiis B. Stephani aliter scribit Nicephorus *lib. 14. c. 9.* ex Theodoro lectore, & Simeon. Metaphrastes *vitæ Tomo 6.*

*Item venerabilis viri Sedulii Paschale opus, quod heroicis descripsit versibus, insigni laude præferimus.*

Quamvis Petrus Crinitus olim, & nuper Gregorius Gyaldo de poëtis diligentissimè historiam scripserint; nondum apud eos hujus poëtæ mentionem comperio factam fuisse, nisi eorum scripta oscitanter legerim. Verùm Trithemius ex Sigeberto scribit, Sedulium presbyterum Scorum natione fuisse, qui opus insigne juxta seriem Evangelij carmine scripserit quod vulgò legitur, & incipit, *Paschales quicumq; dapes convivæ requiris.* Sed & alia scripsit, quorum idem auctor meminit, & floruit sub Theodosio Seniore, Anno scilicet Domini ccccxxx.

*Item Juvenci nihilominus laboriosum opus non spernimus, sed miramur.*

Ita locum istum ipse legendum esse censeo ex Burchardo, & eodem Gelasio in primo Conciliorum tomo. Nam cum Gelasius Sedulij meminisset, par est & statim ipsum Juvenci mentionem facturum, propter operis, materiæ & scriptoris similitudinem. Quamvis apud Gratianum non *Juvenci*, sed *Vincenzii* legatur. Quæ quidem lectio etiam admittenda sit, non est intelligenda de Vincentio, qui opus, aut Speculum historiale scripsit: non enim potuit ejus meminisse Gelasius, qui multis annis eum præcesserit. Fuere tamen ante Gelasium duo Vincentij, quorum Trithemius mentionem facit, sed ipse Gelasium intelligo de Juvenco presbytero, qui Hispanus fuit, & nobilissimi generis, qui quatuor Evangelia Hexametris versibus penè ad verbum transferebat scripsit, nonnullaque alia de Sacramentis, floruitque sub Constantino Magno, & filiis ejus, prope annum Dom. ccccxxx. auctoribus Hieronymo *de viris illustribus, & scriptoribus Eccl. & in Chronico.* Petro Crinito *libro 5. de poëtis Latinis,* Gregorio Gyaldo *dialog. 5.* Trithemio, & Joanne Basæo.

## CAPUT XVII.

De libris Apocryphis, & an hi legi publicè, vel privatim possint, ex Gelasio.

### SUMMARIUM

- 1 Apocryphi libri qui dicantur.
- 2 Synodus Ariminensis, itinerarium Petri.
- 3 De quibusdam actibus, & Evangelij apostolorum apocryphis, & de Pastoris libro.
- 4 De prava Genesi, de centimetro, & de quibusdam revelationibus que Apocalypses dicuntur.
- 5 De libro, qui dicitur transiit sanctæ Mariæ.
- 6 De canonibus Apostolorum, an sint Apocryphi.
- 7 De historia Eusebij Pamphili, Casariensis.

- 8 Tertulliani, & Lactantii Firmiani opera.
- 9 Clementis Alexandrini opera, Aphricani, & Commodiani.
- 10 Cassiani, Arnobii, Tyconii, Victorini, & Faustini.
- 11 Epistola Jesu ad Abgarum, & Abgari ad Jesum.
- 12 Phylacteria quæ dicantur, & quæ reprobandentur.
- 13 De historia Tripartita Cassiodori Censura.

**C**æterum quæ ab hæreticis & schismaticis conscripta, vel prædicta sunt, nullatenus recipit Catholica & Apostolica Romana Ecclesia. Ex quibus pauca, quæ ad memoriam venerint, & à Catholicis vitanda sunt, credimus esse subdenda.

Hæc Gelasius. Nos verò ad ea, quæ hoc in capite traduntur, facilius intelligenda, opinamur, libros hæreticorum, qui omnino damnati sunt, ab aliis qui adhuc dici possunt Apocryphi, discernendos fore. Etenim hæreticorum libri, qui damnati fuerint, omnino sunt vitandi, nec legi possint, imò sunt comburendi, nisi communis consensus Ecclesiæ permiserit, aliquod opus ab hæretico scriptum legi quidem ex eo, quòd, prævio diligenti examine, nihil habet, quòd pium offendat lectorem. Quod cautissimè permitrendum est, maximè in libris hæreticorum, qui non tantum hæretici fuerunt, erroresque adversus Catholicam fidem probarunt; sed & ab Ecclesia moniti animo contumaci in erroribus perseverarunt: quorum libri nequaquam legendi sunt, nec id permitti debet, etiam si immunes sint ab auctoris erroribus nisi id maxima ex causa, & cautissimè fiat. Qua de re legito Alfonso Castrensi. *in lib. 2. de justa hæret. pun. c. 15. 16. & 17.* Et quæ nos obiter scripsimus *lib. 2. Variar. resol. c. 10. col. pen.* Sic sanè intelligo quæ notat Panorm. *in c. fraternitatis, de hæreticis, & in c. damnatus super gloss. in ver. Florentino, de summa Trinit.* contra ipsius gloss. opinionem scribens, non esse damnandos, nec vitandos omnes hæreticorum libros, sed eos tantum, qui de hæresibus scripti fuerint, posseque legi illos, qui nihil habent, quòd sit Catholicæ fidei adversum: ipse verò hæreticorum libros omnes absque ullo delectu, profus vitandos fore, consultius existimaverim.

Apocryphi verò libri † non sunt omnino in hunc hæreticorum ordinem numerandi, siquidem potest liber aliquis Apocryphus dici, cujus auctor nec fuerit hæreticus, nec aliquid Catholicæ fidei contrarium scripserit: saltem juxta quasdam hujus dictionis significationes, de quib⁹ acturi lectorem admonemus, Apocryphum quandoque dici librū, cujus est auctor incognitus, aut cujus auctorem ignoramus: quia incertus est, glossa *in summa 16. dist.* Licet illic in dictionis deductione erraverit ex Græcæ linguæ ignorantia.

Hujus verò significationis modo nulla nobis est habenda ratio; potest enim aliquis liber incertum habere auctorem, & tamen ab Ecclesia non solum non repudiatur, verum & inter Canonicos recipitur: ut historia Job, & Sapientia quæ dicitur Salomonis: atque ideo multi libri, quorum auctor incertus est, inter hagiographos saltem poterunt numerari. At hisce calamitosi temporibus tot hæresibus Christianam religionem oppugnantib⁹, totq; libris ab hæreticis sine auctoris nomine, ut minimè repudientur, in publicum editis, sanctissimè Tridentina Synodus, ut tot malis obviaret, statuit & prohibuit, ne quis imprimat, imprimi faciat, aut in futurum vendat, vel apud se retineat quovis de rebus sacris libros sine nomine auctoris editos, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab Ordinario. Dicuntur quandoque libri Apocryphi illi omnes, qui sunt extra canonem, & ideo qui non sunt Canonici, qua significatione usus est D.

Didaci Covarr. Tom. II.

Hieron. *in prologo in libros Regum* qui Galeatus dicitur. Sed nec de hæc significatione modò agendum erit: siquidem plures sunt libri de rebus sacris & Ecclesiasticis, qui dubio procul sunt extra canonem, & tamen inter hagiographos connumerantur: nec dici propriè possunt Apocryphi: de quibus *in capitulo proximo tractavimus.*

Igitur Gelasius Apocryphos libros, de quibus in hoc decreto agit, primùm eos appellat, qui ab hæreticis adversus fidem Catholicam scripti fuerint, eosque omnino damnat & improbat, decernens legendos non esse à Catholicis, quos quidem propriè dicere quis possit, libros hæreticos, ut paulò antè observavimus: & quamvis hujus conditionis plures hoc in capite Gelasius referat ac nominet, aliorum tamen meminit, qui propriè dici possunt, & dicuntur Apocryphi, qui nec hæretici sunt, nec auctorem incertum habent, nec inter Hagiographos connumerantur: est tamen eorum auctoritas levis, minimèque ab Ecclesia sanctisque Patribus probata, propterea quòd falsa quædam in eis veris quandoque misceantur, peregrina quædam aut portentosa narrentur, quæ nec piè, nec commodè credi possunt, vel ex eo denique quòd eorum auctores quædam veterum dogmata fuerint secuti, quæ postea testimonio sacrarum Scripturarum convicta sint. Atque ideo hi libri Apocryphi dicuntur, quòd non sint publicè in templis legendi: licet privatim, cautè tamen, legi possint. Sic & Apocryphi libri dicuntur, qui e mentito titulo non censentur editi ab his, quorum nomine designantur. Ex quibus plures hic à Gelasio notantur. Ergo libri Apocryphi juxta has posteriores significationes, quas D. Augustin. explicat *lib. 15. c. 23. & lib. 18. c. 38. de civitate Dei. & lib. 11. contra Faustum Manichæum, col. 2. & lib. 22. c. 79.* licet in Ecclesiis legi non debeant publicè, possunt tamen privatim legi & cautè, quia eorum auctoritas in obscuro & abscondito est. Quòd adnotarunt Rhenan. *in presentatione ad Tertullianum.* Erasim. *in Hieron. Epistola ad Latam.* Ludov. Vives *in d. c. 23. super Augustinum.* Sed & Apocryphos libros, de quibus modò agimus, legi privatim posse, satis probatur ex Hieronymo. *in dicta Epistola ad Latam.* Caveat omnia Apocrypha, inquit, & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum reverentiam legere voluerit: sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosæ: & grandis esse prudentiæ, aurum in luto quærere. Hæc Hieronym. Ruffinus *in Symbolo,* cùm Canonicorum & hagiographorum librorum meminisset, addit: *Cæteras verò Scripturas Apocryphas nominarunt, quas in Ecclesiis legi noluerunt.* Hoc ipsum passim apud Augustinum lector observare poterit: nam se & Apocrypha legisse idem August. testatur *sermo 22. de verbis Domini.* Quin & Judas Apostolus in Epistola citat librum Enoch, & ejus utitur testimonio: & tamen hic liber Apocryphus censetur, auctore Augustino *in d. c. 23.* & Hieronymo. *de scriptoribus Ecclesiasticis in Juda.* Rursus Augustino *lib. 18. de civitate Dei, c. 38.* Tametsi Tertull. refragetur *in lib. de habitu mulierum.* Sed à Gelasio plures libri Apocryphi censentur, quos tamen scimus legisse veteres Theologos, viros equidem eruditione ac sanctitate insignes, eorumque testimonio usos fuisse: quin & Ecclesia Catholica, aut communis Episcoporum, ac Prælatorum consensus, permittit, etiam nostra ætate legi quemadmodum in interpretatione hujus decreti admonebimus. De his verò Apocryphis libris multa Driedo. *lib. 1. de dogmatibus c. 4. lib. 4. c. 1.* congerit, quæ rem istam explicant, & intellectu faciliorem efficiunt.

**I**n primis Ariminensem Synodum à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro prefecto, ex nunc, & in æternum confirmetur esse damnatam.

2 Legendum esse à Constantino Cæsare, planè constat, siquidem † Ariminensis Synodus congregata fuit annò ferme XXIII. imperij Constantij eo tempore quo vita sanctis Constantino & Constante fratribus, solus Romanum obtinebat imperium; idque præmittunt Ecclesiastici historici, qui hujus Synodi mentionem fecerant. Etenim cum gravis esset contentio inter Catholicos, & Arrianos super Nicæni Concilii Symbolo de filio Patri consubstantiali, foretque necessarium concilium universale iterum congregari ad eam controversiam sedandam, essetque difficillimum; Constantius Imper. iussit Occident. Episcop. Arimini in Italia convenire, Orientales verò Seleuciæ Isauriæ; quibus tandem Synodis congregatis Seleuciæ nihil actum est, propter varias Episcoporum opiniones. Arimini verò primùm obtinere Catholici Nicænam Synodum recipientes, refragantibus Ursacio, & Valente Arrianis, miseruntque Constantinopolim decem legatos ad Imperatorem, ad quem & alios decem, ut ab initio convenerat, Synodus Seleuciensis miserat. Demum dolo & industria Acacii, & violentia propè à Cæsare illata, utriusque Synodi legati fidem à Smyrnenſi Concilio datam receperunt, consentientes tolli de Symbolo Nicæni Concilii verba illa, quibus filius asseritur consubstantialis Patri, & eorum loco scribi, *equalis Patri*. Quòd palam Arrianum dogma præ se fert, & profitetur. Hęc breviter adnotavimus ex Socrate *li. 2. præsertim c. 37. 38. & sequent.* Theodoretò *lib. 2. c. 18.* Sozomèno *lib. 4. c. 17.* Hieron. in *Chroniçis*, & in *dialogo adversus Luciferianos*. Ruffino *li. Eccl. hist. 10. c. 21.* Cassiodoro *lib. 5. Tripart. c. 22. & 34.* Nicephoro *lib. 9. c. 39. & seq.* Taurum autem præfectum prætorio ex iussu Imperatoris huic Synodo Ariminensi adfuisse, testis est Hieron. in *præitatorum dialogo adversus Luciferianos*. Sed Romanæ Ecclesiæ Pontifex, ac summus totius Christiani orbis Præsul Damasus Synodo Romanæ congregata, Nicænam fidem recepit, & Ariminensem Synodum damnavit, auctore Nicephoro *lib. 11. c. 31.* post Theodoretum *li. 2. cap. 22. & 23.*

**I**tem Itinerarii nomine Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis, libri octo, Apocryphi,

Ita legendus est hic locus ex Burchardo, & sanè præter auctoritatem Gelasij extat Eusebij *li. 3. de Eccl. hist. c. 37.* & Hieron. in *li. de scriptoribus Eccl. judicium de Clementis Papæ operibus*, nec ulla ibi fit hujus operis mentio, imò Eusebius apertissimè fatetur, & sensit Hieron. aliquot libros vulgò legi hujus auctoris titulo qui falsò illi fuerint suppositi. Quamvis ea opera, quæ Clementina dicuntur, existimet Nicephor. *lib. 3. c. 18.* D. Clementis esse, ab eoque scripta fuisse. Sed refragatur Gelasius saltem quoad Itinerarium. Et rursus apud Gratianum Leo Pontifex in *c. Clement. 16. dist.* & Epiphani. *lib. 1. Pannarii.* & Ruffin. in *Apologia Origenis*. Et quamvis recognitionum libros, quos ille circuitiones Petri, hic tandem recognitiones nominat, idem esse opus ipse estimaverim; uterque tamen censet, eos libros à pravis ac perverſis hominibus sic corruptos fuisse, ut eis dogmata falsa prorsus, & à sanctis Patribus aliena inserta esse manifestè probet. Ut tandem Nicephor. Clementina dixerit alia D. Clementis opera, quæ verè ejus titulo fuere olim à sanctis doctisq; viris recepta. Idem verò Clemens in *ultim. Can. Apostol.* meminit duarum ipsius Clementis Epistolarum:

atque item Institutionum, quas in octo libros distinctas Episcopis nuncupaverat, eas tamen scribit, non oportere in omnibus publicare, propter eorum quædam arcana mysteria. Sed & sexta Synodus in *Trullo cap. 2.* has Clementis institutiones ex eo refellit, quod adulterina quædam, & à Christiana pietate aliena, fuerint ipsis ad Ecclesiæ perniciem ab Hæreticis inserta. Cujus Canonis & Zonaras meminit in *Canone Apostolorum 66. & ultimo.* Multa tamen hic Institutionum liber continet, quæ digna lectu sunt, & plurimum conferre possunt ad Ecclesiasticæ Reipublicæ salubrem institutionem.

**A**ctus nomine Andrea Apostoli, Apocryphus. Actus nomine Thomæ Apostoli, Apocryphus. Actus alius nomine Petri Apostoli, Apocryphus. Actus nomine Philippi Apost. Apocryphus.

3 Sancta Romana Ecclesia, Spiritu sancto ducente, ab initio religionis Christianæ, tantùm actus Apostolorum à divo Luca scriptos recepit ac probavit, reliquos Apocryphos esse decernens. Quæ quidem historiæ non tantùm Apocryphæ censentur, ut publicè in Ecclesiis non legantur, sed ut ipse opinor, ut nec privatim legi possint ex eo, quòd fortassis multa illis reperiantur ab hæreticis & Gentilibus conficta, in Christianæ fidei detrimentum. De his & de similibus Leo Papa *Epist. 91. c. 15.* ad Toribium Astoricens. Episc. ita scribit; *Apocrypha autem scriptura, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solum interdicienda, sed etiam penitus auferenda sunt, atque ignibus concremanda. Quamvis enim sint in illis quadam, quæ videantur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos, laqueis cujuscumque erroris involvant.* Hęc Leo. Quibus conveniunt quæ scribit Aug. *lib. 15. de civit. Dei. c. 23. & li. 22. contra Faustum Manicheum c. 79.* de Apocryphis Scripturis, quæ sub Apostolorum nominibus ab hæreticis proferuntur. Idè super *Matthæ. c. 27.* Et in specie de Actibus Andreae Apostoli à quibusdam hæreticis confictis, tradidere hoc ipsum Innocentius *ad Exuperium Philast. de hæret. c. 48.* Rursus D. Aug. in *li. de fide contra Manicheos, c. 38.* Et de aliis Apostolorum Actibus idem scribit Epiphanius *li. 1. advers. hæret. Tomo 2. in secta 30.* Tametsi hic auctor de Actibus à D. Luca scriptis, ab hæreticis verò Ebionitis depravatis, & falsa doctrina infectis, agere videatur. Ex quibus satis constat, nec Actus, nec Evangelia, nec alias Scripturas nominibus Apostolorum editas, publicè aut privatim legendas fore, præter eas, quæ ab Ecclesia Catholica fuere receptæ. Id ipsum docet Eusebius *l. 3. Eccles. histor. cap. 25.* & post eum Nicephorus *lib. 2. cap. ult.* à quibus simul cum aliis Apocryphi censentur Actus Petri Apostoli, Actus Pauli, Actus Joannis, & omnes alij Apostolorum nominibus editi, præter Lucæ Evangelistæ Actus scribit Trithemius in *Clemente.* à Gelasio Apocryphum censi opus, quod editum est inter opera Clementis Papæ, & dicitur *Petri & Appionis dialogus*: quem librum Eusebius *li. 3. cap. 38* & Hieron. in *Clemente*, ut Apocryphum repudiari scripsere. Et tamen non video, qua hujus decreti parte Gelasio Apocryphus judicetur, nisi hoc loco, nomine Actorum Petri.

**E**vangelia Thaddæi nomine, Apocrypha. Evangelia nomine Thomæ Apostoli quibus Manichei utuntur, Apocrypha. Evangelia nomine Barnabæ Apostoli, Apocrypha. Evangelia nomine Bartholomæi Apostoli, Apocrypha. Evangelia nomine Andreae Apostoli, Apocrypha. Evangelia, quæ falsavit Lucianus Apocrypha. Evangelia quæ falsavit Hirtius, Apocrypha.

Apud



Apud Burchardum, & in primo Conciliorum Tomo apud Gelasium, his adduntur Evangelia nomine Petri Apostoli, Apocrypha. Rursus apud Gelasium: Evangelia nomine Matthiæ, Apocrypha. Evangelia nomine Jacobi minoris, Apocrypha. Sed & Evangelium Petri, & Evangelium Matthiæ, Evangelium Thomæ & omnia alia Evangelia, præter quatuor, à Catholicis repudiari, velut ab hæreticis conficta, asseverant Eusebius *lib. 3. cap. 25.* Nicephorus *lib. 2. cap. 45. & 46.* Clemens verò Alexandrinus in *Stromat. lib. 2.* utitur testimonio Evangelij secundum Hebræos, quod à quatuor jam receptis diversum est, & à Catholicis repudiatur, auctoribus Eusebio, & Nicephoro, qui & *lib. 3. cap. 13.* post Eusebium *lib. 3. cap. 27.* scribit hoc Evangelio tantum usos fuisse Ebionitas hæreticos, reliquis improbat. Idem Eusebius in *dict. cap. 25.* tradit, Hebræos, qui Christi fidem susceperant, hoc Evangelium potissimum, ac præ cæteris admisisse. Quod & Niceph. repetit *l. 2. c. 46.* Quin & Hieron. in *Jacobo fusto* hujus Evangelij meminit, & quædam ex eo adducit, asseverans à seipso versum fuisse in Græcam & Latinam linguam, Origenemque ejus testimonio usum esse. Rursus Clemens Alexandrinus *lib. 3. Strom.* utitur Evangelio secundum Ægyptios non semel, sed aliorum nomine; & ita quidem, ut minime videatur probare quæ ex eo adducuntur. Hæc sanè & omnia alia Evangelia, quæ præter quatuor ab Ecclesia recepta nomine cujusquæ Apostoli vulgata fuerint, sunt omnino in tenebras rejicienda, nec publicè nec privatim legenda: imò igni concremanda ex Leonis Papæ auctoritate, Gelasij decreto, D. Augustini, & aliorum, qui existimarunt, hæc ab hæreticis fuisse conficta, & falsò supposita. Manichæos autem usos fuisse Evangelio Thomæ Apostoli, ante Gelasium tradit D. August. in *serm. 22. de verbis Domini.* Imò Cyrill. Hierosoly. *Catechesi 4.* scribit ipsos Manichæos Evangelium scripsisse, idem *Catechesi 6.* idem explicat apertius asseverans, hoc Evangelium scriptum fuisse non à D. Thoma Apostolo, sed à Thoma quodam Manetis discipulo. Quis verò fuerit Lucianus, qui Evangelia falsavit quorum Gelasius meminit, dubium est: sed cum hic agamus de re hæreticis admodum convenienti, existimo hunc Lucianum fuisse ex sorore nepotem Eunomij heretici, & Episcopum Constantinopolitanum, qui sub Arcadio & Honorio in Episcopatu Eudoxio successit, quique hæreticus fuit, quem admodum scribit Nicephorus *li 3. c. 1.*

*Evangelia, qua falsavit Hirtius.*) Apud Burchard. & Gelasium in 1. Concil. Tomo legitur Yficius aut Ilicius, vel Esius.

**L**iber de infantia Salvatoris, Apocryphus. Liber de nativitate Salvatoris, & de sancta Maria, & de obstetrice Salvatoris, Apoc. Liber qui appellatur Pastoris, Apoc. Libri omnes, quos fecit Leutic. discipulus diaboli Apocryphi. Liber qui appell. fundamentum, Apocryphus. Liber qui appellatur thesaur. Apocryphus.

*Liber, qui appellatur Pastoris.*) Hunc librum ab Ecclesiasticis scriptoribus & Catholicis extra Canonem censerunt & repudiari, scripsere Euseb. *li. 4. de hist. Eccl. c. 25.* & Nicephor. *li. 2. c. ult.* Idem asseverat Cyprian. aut Rufin. in *exposit. Symboli* scribens, ex novo testamento extra Canonem censerunt. Ecclesiasticum verò appellari, libellum Pastoris, sive Hermetis, qui appellatur duæ viæ, vel Judicium secundum Petrum. Ejus tamen testimonio usus est Irenæus, auctoribus eodem Eusebio *lib. 5. cap. 8.* & Nicephoro *lib. 4. c. 14.* Ex hoc libro Arrianos locum quemdam ad suam hæresim probandam adduxisse, testis est Athanasius, apud

Theodoretum *lib. 1. cap. 8.* Eiusdem libri auctorem fuisse Hermam, cujus meminit Paulus *ad Rom. c. ultim.* ex multorum opinione, existimant Origen. in *libris veter. apocryph.* & Hieron. *de scriptoribus Eccl. in Herma.* Qua ratione opinor, hunc librum citari nomine revelationis, aut visionis, quæ Hermæ apparuit, à Clem. Alexandr. *lib. 2. Stromatum,* atque alibi non semel in eodem opere. Idque palam fecit Pius Pontifex hujus nominis primus in *primo suarum Decretal. &* apud Gratianum *cap. nosse vos volumus, de conf. dist. 3.* Sed & Hermæ hunc librum quosdam adscribere, testis est Nicephor. in *dict. cap. ult.* scribens, ex antiquis non paucos eo usos fuisse. Hujus item libri meminit Joan. Cassian. in *collat. 8. cap. 1.* item Ivo Carnotensis *part. 7. cap. 243.* & Gratian. in *cap. Ego dixi Pastori. 34. qu. 2.*

*Leuticius discipulus diaboli.*) Apud Burchard. legitur *Leutius:* apud Gelas. in *primo Conciliorum Tomo Lucius,* qui fortassis est Lucius ille Arrian. Alexandriæ Episcopus Athanasio refragante electus: cujus Ecclesiastici historici meminere. Quod si quis legerit *Leutius,* non contendam cum eo. Nam & hujus hæretici meminit D. August. in *lib. de fide contra Manichæos. c. 38.*

**L**iber, qui appellatur de filiabus Adæ, vel Genes. Apocryph. Liber qui appellatur Pentamerrum de Christo, Virgil. compaginatum versib. Apocryph. Liber qui appellatur actus Tecla & Pauli, Apoc. yph. Liber qui appellatur Lepotius, Apocryph. Liber Proverb. ab hæreticis transcriptus, & sancti Sixti nomine signatus, Apoc. yph.

*Liber qui appellatur de filiabus Adæ, vel Genes.*) Ita enim legitur apud Gratian. & in primo Conciliorum Tomo: apud Burchardum verò falsò, & corruptè legitur, de filiabus Adæ Genes. Fortassis hic liber est illa parva Genesis, quæ citatur à Joan. Zonara in 1. *Annal. Tomo.* ubi scribit hoc opus non esse à divinis Patribus inter approbata relatum. Adducitur & hic liber non semel à Georgio Cedreno in *Epitome.*

*Liber qui appellatur Pentamerrum.*) Apud Burchardum & in primo Concilior. Tomo rectius legitur, *Centimerrum de Christo.* Hexamétris enim versibus Virgilius usus est, non Pentamétris. *Centimerrum* verò hoc in loco non intelligitur pœma centum compositum carminibus: sed ex multis alienisque hinc inde compositis versibus in unum congregatum & confectum: quod *centonem* appellamus à veste vili, & rustica, varijs & versicoloribus segmentis filisve confuta. Est igitur, quæ ex parte ad pœtas attinet, cento varijs de locis, sensibusque diversis quædam carminum structura, in unum versum ut coeant aut casi duo, aut unus, & sequens cum medio. Nam duos junctim locare ineptum est & tres una serie meræ nugæ. Agitur etenim ab auctore centonis, ut sensus diversi congruant, & adoptiva quæ sunt, cognata videantur, aliena ne interluceant, accersita ne vim redarguant, densa ne supra modum prouberent, hulca ne pateant. Hæc graphicè Ausonius *ad Paulinum in epistola nuncupatoria nuptialis centonis.* Cui conveniunt Tertullianus in *lib. de præscript. adversus hæret.* & illic Rhenanus Hieron. in *epistola ad Paulinum,* quæ prima est 3. tomi & in *adorationibus* Erasmus, Gregorius Gyraldus *de pœtis dialogo 1.* Hinc apud Tertullianum Homero-centones, & apud Hieronymum Homero-centones, & Virgiliocentones opera ad hunc modum more centonario ex multis hinc inde Homeri aut Virgilij versibus composita, quæ Suida *ἐπιπέπτεται* vocat in dictione, *κέντρον.* Veteres quosdam imitata Proba Falconia matrona Rom. Adelphi viri proconsularis uxor, tēporib. Theodolij Junioris

miro artificio hoc genere scribendi utitur. Nam ex Virgilianis versibus omnem Christi Servatoris vitam edito hac de re centone explicavit. Sed & ipsius Theodosii Junioris uxor Eudocia carminum & poëticae admodum studiosa, sicuti constat ex Evagrionis *lib. 1. Eccl. hist. cap. 20. & seq. Socrate lib. 7. cap. 21. & 47. & Nicephoro lib. 24. c. 22. & 23.* qui eam mirè laudant ab ingenii dexteritate, & humanarum litterarum cognitione. Hæc inquam insignis scæmina centonem ex Homeri carminibus de Christo confecit, auctoribus Trithemio *de scriptoribus Ecclesiasticis*, & Gregor. Gyraldo *de poëtis dialogo 5.* & Joanne Zonara, qui in Theodosio Juniore scribit, hoc opus à Patricio quodam imperfectum & indigestum relictum fuisse, & tandem Eudociam Imperatricem illud absolvisse: ut inscriptio versibus heroicis præfixa declarat. Utrumque poëma vulgò circumfertur, Græcè & Latinè, legiturque privatim, quamvis Latinum à Gelasio inter Apocrypha referatur. Hujusmodi poëmata non admodum probare videtur Tertullianus. eaque apertè improbat D. Hieron. quia vitiosissimum sit depravare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem, *Quasi inquit, non legerimus Homerocentonas & Virgiliocentonas, ac non sic, etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit, Jam redit virgo, redeunt Saturnia regna: Jam nova progenies cælo demittitur alto, & Patrem loquentem ad filium, Nate mea vires, mea magna potentia solus. Et post verba Salvatoris in cruce: Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Puerilia sunt, hæc & circulatorum ludo similia, docere quod ignores, imò, ut cum stomacho loquar, ne hoc quidem scire quod nesciam.* Hæc Hieron. Ex quibus verbis adnotarunt quidam, ante Probam & Eudociam hujusmodi poëmata, etiam de Christo fuisse conscripta. Quod fortassis verum est: potuit enim contingere. Ipse verò existimo, ante Hieronymum ex Homero & Virgilio centones, etiam de rebus prophanis, editos fuisse, quod Tertullianus palàm asserit, scribens Ovidium Tragœdiam quamdam ex Virgilio plenissimè expressisse. Ex eodemque Virgilio propinquum quendam ipsius Tertulliani pinacem, id est tabulam, Cebetis explicuisse. Quamquam existimant quidam, Tertulliani locum non de Ovidio illustri Poëta, sed de Osidio quodam Geta esse intelligendum, *Ovidium* sanè Medeam Tragœdiam, quæ à Fabio Quintiliano summopere laudatur, ex Virgilianis versibus contextuisse, vero non consonat: atque ideò apud Tertullianum ipse legerem, *Osidius Scythæ*: ubi falsò legitur, *Ovidius cirra*: tamen & eadem tragœdia Medea à Tertulliano dicitur. Quæ quidem opera, & alia hujusmodi, legere potuit Hieron. qui, ni fallor, dum improbat Virgilium sine Christo Christianum facere; Eusebium notare videtur, à quo in *orat. de Constantino Magno* quæ post quatuor libros de ejus vita ab eodem scriptos, nuper Græcè prodiit in lucem, tota ferè Virgilii ecloga, quæ incipit *Sicelides Musa*: ad Christi Salvatoris adventum deducitur pia quadam interpretatione ad ea omnia exprimenda, quæ apud Gentiles olim de Christo prædixerat Erythræa Sibylla cujus hac de re carmina in eadem *orat.* refert ipse Eusebius Græcè. & idem plures auctores fecere, præsertim ex Junioribus Gregor. Gyraldo *dialog. 2. de poëtis.* Latinè verò S. August. *lib. 18. de civ. Dei. c. 23.* scribens, carmina è Græca lingua in Latinam traducta fuisse à quodam Latino, cujus nomen tacuit: tamen hunc interpretem fuisse Ciceronem ex Eusebio constat. Quod est adnotandum ad D. Augustini locum. Id etenim ante nos à nemine observatum legimus. Sed & ipse

Cicero. *li. 2. de divinac.* scribit Sibyllas multa per versuum initia significare consuevisse: quo in loco fortassis de illis Sibyllinis carminibus sensit, quorum Eusebius & Augustinus meminere, ex acrostichi quadam pertextis.

*Liber, qui appellatur Lepotius, Apocryph.* Apud Burchardum, & in primo Conciliorum tomo apud Gelasium verè legitur, *Liber, qui appellatur Nepotius. Apocryph.* Fuit enim olim Nepos quidam apud Ægyptios Episcopus, à quo dicti *Nepotiani hæretici*, qui librum ejusdem Nepotis proferentes, ejus auctoritate ostendere ac probare nitentur; regnum Christi in terris futurum, designatam quandam mille annorum vitam referentes. Quem equidem librum, & Judaicam auctoris opinionem, duobus *de promissionibus* libris compositis Dionysius Alexandrinus Episcopus evertit: sicuti scripsere Eusebius *lib. 7. Eccl. hist. cap. 23. & 24.* & Nicephorus *lib. 6. cap. 21.* Hic igitur Nepotis liber dubio procul est, qui à Gelasio inter Apocryphos numeratur, quique nec privatim, nec publicè legi debet.

**R**evelatio, qua appellatur Pauli, Apocrypha. Revelatio qua appellatur Thomæ, Apocrypha. Revelatio, qua appellatur Stephani, Apocrypha. Liber què appellatur transitus sanctæ Mariæ, Apocryph.

Præter Apocalypsim Joannis Apostoli & Evangelistæ, nullam aliam Ecclesia recipit, quamvis olim nomine Apostolorum plures Apocalypses fuerint vulgò editæ. Nam & inter illegitima & adulterina scripta, Apocalypsim Petri referunt Eusebius *li. 3. cap. 25.* & Nicephorus *l. 2. ca. ult. Qui lib. 12. ca. 34.* post Sozomenum *lib. 7. ca. 19.* asseverat, Petri Apocalypsim subdititiam & illegitimam à veteribus judicatam, apud Palæstinos semel quotannis in Ecclesiis quibusdam in die Parasceves legi solitam fuisse, & Pauli Apocalypsim, quam ex præscis hominibus nemo vidit, monachus plures ætate Sozomeni cum veneratione admirari; referentes Theodosii Magni tempore, librum istum divina revelatione repertum fuisse; intra marmoream arcam Tarfi Ciliciæ in domo ipsius divi Pauli, quod falsum esse Cilix presbyter Ecclesiæ Tarfensis, grandævus homo, & canitie venerandus, confessus est ipsi Sozomeno eum hac de re interroganti, qui admiratus est, si non ab hæreticis fama ea conficta esset, id quod in multis aliis libris factum esse, idem Sozomenus, & Nicephorus fatentur. Ex quibus admonemur, quàm periculosum sit alios libros de rebus divinis scriptos legere, quàm eos qui fuerint ab Ecclesia, & Ecclesiastica traditione probati & recepti.

*Liber, qui appellatur transitus sanctæ Mariæ, Apocryphus.* ] opinor à Gelasio † Apocryphum censeri librum olim editum de morte Mariæ virginis, & de his, quæ tunc in ejus obitu, funere & exequiis contigere. Verùm licet in Evangeliiis, & Actibus apostolicisque Apostolorum nihil scriptum de morte D. Mariæ Virginis, receptum tamen est. eam subivisse mortem corporalem: quod Hieron. August. & alii Ecclesiastici Doctores dicere non reformidant. Tempus verò hujus obitus Eusebius in *chronicis* adscribit an Do. XLVIII. & VI. Claudii Imperatoris; Nicephor. *lib. 2. c. 21.* anno 5. Claudii Cæsaris hoc tribuit. Demum corpore & anima in cælum Virginem sacratissimam adsumptam fuisse, licet Hieron. in *sermone de assumptione*, affirmare non fuerit ausus & primùm hæsitaverit in *Sermone 35. de Sanct. Augustinus* tandem is Ecclesiæ Doctor celebratissimus scribit, consentaneum esse credere Mariam secundum corpus & animam in cælum adsumptam fuisse. Idem ex eo refert & probat S. Thom. *3. part. qu. 27. art. 1. & q. 83. art. 5.* Idem Juvenalis Hierosolimorum Episcopus, vir magnus sanè & divino affatus

scribente hinc famam esse, non ita pr dem ad-  
sumptionem sacratissimæ Virginis celebrari cœ-  
ptam fuisse. Hoc solemne festum Catholica Ec-  
clesia XV. die Augusti magna cum religione  
celebrat, totiusque Christianæ plebis ingenti ala-  
critate ad eò veneratur & colit Dei genetricis  
adsumptionem, ut planè impium sit ac temera-  
rium hac de re dubitare, in grave pientissimo-  
rum scandalum. Sed & Eusebius inquit, *Mariæ*  
*virgo Jesu Christi mater, ad filium in cœlum ad-*  
*sumitur, ut quidam fuisse sibi revelatum scribunt.*  
Liber autem de hoc transitu divæ Virginis etiam  
à D. Hieronymo in *d. sermone*, aut *epistola de*  
*assumptione Mariæ, ad Paulum & Eustochium*, Ap-  
cryphus esse censetur, sicuti & à Gelasio, & Be-  
da in *retractionibus in acta Apostolorum*. ex eo for-  
tassis quòd in libro multa commemorantur eo  
tempore accidisse, quæ absque ullo certo testi-  
monio asseverantur: & ne dubia pro certis in  
re ad eò gravi passim & publicè legantur. Tamen si  
ex eo libro aliqua retulerit Nicephorus Græcus  
Eccles. hic auctor, & nostra ætate referant Jo-  
annes Eckius, & alij viri Catholici, qui super  
Evangelia, & solemnibus Ecclesiæ festis sacras  
conciones scripsere, à quibus etiam aliquot loci  
sacræ Scripturæ post August. & alios adducun-  
tur, ad probandam D. Mariæ resurrectionem,  
adsumptionemque in cœlum secundum corpus &  
animam, postquam sacratissima Virgo mortem  
obierit corporalem. Idem probat Petrus Galatinus  
*lib. 7. c. 10.* Ioannes Damascenus, & Andreas Cre-  
tentis Archiepiscopus Hierosolymitanus in his  
orationibus quas de hac solemnitate scripsere: &  
extant Tomo sexto Viarum quæ magno cum studio  
ab Aloysio Lipomano collectæ fuerunt. In primo  
Conciliorum Tomo legitur hic locus: *Liber, qui*  
*appellatur transitus, id est adsumptio S. Mariæ, Ap-*  
*ocryphus*. Hic verò liber à Trithemio Melitoni  
Sardiensi tribuitur. Quod dubium esse videtur,  
& probari poterit ex eo, quod Hieronymus inter  
opera hujus auctoris planè hoc prætermiserit.

**L**iber qui appellatur *pœnitentia Alæ, Apocryphus*  
**L**iber qui appellatur *Diogenes*, nomine Gigantis,  
qui post diluviu cum Dracone ab hæreticis pugna-  
sse perhibetur, *Apocryphus*. Liber qui appellatur  
*testamentum Iob*, alias, *Jacob*. *Apocryphus*. Liber,  
qui appellatur *de pœnitentia Origenis Apocryphus*.  
Liber, *de pœnitentia Cypriani, Apocryphus*. Liber,  
qui appellatur, *Janna & Mambre, Apocryphus*.

Hæc apud Gratianum. Apud Burchardum, &  
in primo Conciliorum tomo veriùs legitur, *Liber,*  
*qui appellatur Diogenes nomine Gigantis*. & paulò  
post *Liber, qui appellatur testamentum Iob*. Dein-  
de in primo Conciliorum tomo legitur, *Liber,*  
*qui appellatur pœnitentia Janna & Mambre, Apo-*  
*cryphus*. Iamnes verò & Mambres resisterunt  
Moyfi, quemadmodum & impij ac protervi  
resistunt veritati, teste Paulo, 2. *ad Timoth. c.*  
*5.* Quo in loco Chrysostomus scribit, hos  
fuisse magos Pharaonis, qui resistentes Moyfi  
& veritati, signa in Ægypto fecisse leguntur  
*Exod. c. 7.* quamvis horum nomina in veteri  
testamento nusquam reperiantur, sed illa Pau-  
lus spiritu didicerit. Horum meminere Nu-  
merius Pythagoricus *li. 3.* & Eusebius *de preparat.*  
*Evang. lib. 8. c. 3.* Meminit & hujus, qui dicitur Iam-  
nes & Mambres, Origenes *tract. 35. in Matth.* & hos  
fuisse Magos Pharaonis scribit Georgius Cedrenus  
in *Annalium epitome* atque item D. Augustinus *Epi-*  
*stola 119. ad Januarium*.

**L**iber qui appellatur *sors Apostolorum Apocryphus*.  
**L**iber *Susanna, Apocryphus*. Liber *canonum Aposto-*  
*lorum Apocryphus* Liber *Physiologus ab hæreticis con-*  
*scriptus sed beati Ambrosij nomine præsignatus, Apo-*  
*Didaci Covarr. Tom. II.*

*Apocryphus. Historia Eusebij Pamphili, Apocrypha.*

Hæc apud Gratianum. In primo Concilio-  
rum tomo apud Gelasium legitur, qui appellatur  
*sortes Apostolorum, Apocryphus. Liber, qui appellatur*  
*laus Apostolorum Apocryphus*. Et paulò post, *Liber*  
*Physiologus Apocryphus*. Librum autem Physiologum  
interpretor eum, qui de rerum naturis tractat.  
Apud Burchardum legitur, *Liber qui appellatur,*  
*Lusa Apostoli, Apocryphus*, sed corruptè, fide-  
liorque extat lectio in *1. conc. tom.* Refert tamen  
Eusebius in *d. li. 3. cap. 25.* librum quemdam  
inter Apocryphos, cui titulus erat, *Doctrina*  
*Apostolorum*. Idem tradit Nicephorus *lib. 2. c.*  
*ult. & Athanas. in Synopsi.* & de libro, qui ap-  
pellatur *sors Apostolorum*, idem repetit ex Au-  
gustino Gratianus in *c. non observetis. 2. 6. 9. 7.*

De canonibus Apostolorum † variè ab histori-  
cis, & veteribus Theologis tractatur: sed Nice-  
phorus *li. 3. c. 18.* de Clemente primo scribens  
ait: *Hunc ansem, & Apostolicarum constitutionum,*  
*quoque canonum auctorem esse credimus.* Gratianus  
verò in *pr. 26. dist.* existimat eos translatos fui-  
sse à D. Clemente, nam Græca lingua primùm  
fuere editi Apostolorum canones, sicuti & nunc  
circumferuntur cum vulgari ac veteri, atque item  
nova Gregorij Haloandri Latina traductione. Ex  
quorum ultimo capite deducitur, quod Nice-  
phorus scripsit. Præter Gelasium hos canones in-  
ter Apocryphos connumerari apud veteres, te-  
statur Isidorus in *principio Conciliorum* apud Gra-  
tianum, *cap. 1. dist. 16.* quo in loco Gratianus ex  
eodem Isidoro *cap. placuit.* refert, canones Apo-  
stolorum à pluribus receptos fuisse, & à sanctis  
Patribus Synodali auctoritate roboratos esse. Ex  
eisdem canonibus summos Pontifices, Victorem,  
Damasum & Anacletum in epistolis testimonia  
mutuò accepisse, constat. Vt mirum sit, cur à  
Gelasio hi canones inter Apocryphos libros re-  
ferantur. Sed & Scephrinus Papa ex eis recepit  
*sexaginta in epistola ad omnes Sicilia fideles cap.*  
*sexaginta. 16. dist.* in ipsa epistola in primo Con-  
ciliorum tomo, *septuaginta* legitur. Apud eum-  
dem Gratianum, *c. Clementis*. Apocryphis exi-  
muntur canones Apostolorum numero tantùm  
quingenta, reliquis in Apocryphis relatis. Ex  
testimonio Leonis Papæ IX. contra epistolam  
Niceræ Abbatis, idem tradit Ivo Carnotensis  
*lib. 2. decretorum c. 124.* Extat epistola hæc scri-  
pta ad Michaëlem Patriarcham Constantinopol-  
itanum, & Leonem Acridanum Archiepiscopum  
Vulg. Extat & Umberti Episcopi & Cardinalis,  
qui fuit legatus Leonis Papæ IX. ad Constanti-  
nopolitanos, liber adversus Niceram scriptus. Pro-  
batur etiam canonum istorum auctoritas, saltem  
octuaginta quinque qui vulgò traduntur ex *canone 25*  
*sextæ Synodi generalis* quæ apud Constantinopolim  
in Trullo fuit congregata: qui quidem canon octua-  
ginta quinque canones Apostolorum recepit & pro-  
bavit. Quam Synodum ab Hadriano Papa primo, &  
à septima generali Synodo in *primo canone* receptam  
esse apparet *cap. sextam 19. dist.* Quibus & aliis ratio-  
nibus Gelasij decretum hac in parte dubium reddi-  
tur dum canones Apostolorum inter Apocryphos li-  
bros commemorant. Ejus sententiam defendere co-  
natur Franciscus Torrens in eo libro quem de actis  
*sextæ Synodi* deque canonibus qui ejusdem Synodi  
falsò esse feruntur ad Salviatum Cardinalem scripsit.  
Eum legito qui hac de re latè ac longè differit.

*Historia Eusebij Pamphili Apocrypha* Rhenanus in  
*epistola nuncupatoria* quam historia Ecclesiastica præ-  
fixit æstimat vel Gelasium sibi ipsi contrarium esse  
vel hæc verba ab aliquo asino adjecta fuisse. Quo-  
rum prius falsò, posterius imprudenter ac te-  
merè dici constat ex eo, quod in primo

Conciliorum Tomo in epistola Gelasii, & apud Burchardum virum diligentissimum, & cujus fidem idem Rhenanus non semel probavit, hæc eadem verba reperiantur scripta, quæ à Gratiano ex auctoritate summi & vigilantissimi Pontificis referuntur. Nec Gelasius sibi ipsi adversatur: siquidem in secunda hujus decreti parte priusquam de Apocryphis ageret, ita scripserit, *Item Chronica Eusebii Casariensis, atque ejusdem Ecclesiastica historia libros, quamvis in primo narrationis suæ libro tepuerit & post in laudibus atque excusatione Origenis schismatici unum conscripserit librum. Propter rerum tamen singularem notitiam, quæ ad instructionem pertinet, usquequaque non dicimus reuendos.* Quibus sanè verbis Gelasius horum librorum lectionem, nec omnino probat; imò admonere videtur, eos cautè legendos fore. At in hac tertia decreti parte, etiam inter Apocrypha connumeret Ecclesiasticam Eusebii Pamphili Casariensis historiam, nihil contrarium tradit his quæ prius docuerat, si Apocrypha interpretemur ea, quæ publicè in Ecclesiis legi non debent, privatim tamen legi possunt: quemadmodum & quoad plures libros hoc in loco nominatim relatos hæc significatio est prorsus admittenda. Igitur ex Gelasii decreto legi poterit privatim Ecclesiastica Eusebii historia propter rerum singularem notitiam: quam pulchrè textam clamat Hieronymus. Extant verò Eusebii de Ecclesiastica historia libri decem ab ipso Græcè scripti, & nuper typis traditi opera Roberti Stephani insignis apud Gallos Typographi, si à Lutheranis quibusdam hæresibus typo cudendis abstinuit: Latine verò undecim; quorum novem in Latinam linguam à Ruffino non satis diligenter; ex totidem Græcis traducti fuere: reliqui duo ab ipfomet Ruffino ex variis auctoribus collecti eandem seriem rerum gestarum observant. Cautè tamen, & cum judicio legendus erit hic liber, vel ex eo quod ejus auctor in primo narrationis suæ libro tepuerit, teste Gelasio. Joannes etenim Zonaras in 3. *annal. Tomo*, in Constant. Magno, ex 1. *lib. cap. 1. 2. & 4.* loca quatuor adnotavit, in quibus Eusebius, filium minorem Patre, nec ei consubstantialem esse; atque ita Arrianam hæresim sensim profiteri & asseverare videtur; tametsi addiderit, secundum quorundam opinionem, Eusebium pœnitentiâ ductum ab Arrianorum secta discessisse, & historiam Ecclesiasticam eo scripsisse tempore, quo nondum pœnituerat Nicephor. *li. ult. c. 1.* etiam Gelasio suffragatur: commemorans etenim ea, quæ de scriptoribus Ecclesiastica historia videbantur adnotanda fore, memorque Eusebii, ejusque Ecclesiasticæ historiae, addit: *In quâ historia cacœthes hæreseos ejus apparet, quamvis quibusdam rectè sentire videatur, ex eo id asseuerantibus quod & ipse prima Synodo interfuerit, & s̄m̄ ὁμοσ̄ολο̄ hoc est, consubstantiali consenserit, quodque conviciis reprehendens inceserit eos, qui filium Dei creaturam esse opinantur.* Sic sanè licet suspectum Arrianæ hæreseos Eusebium Casariensem fuisse scripserit Socrates *lib. 1. cap. 23. & 8.* item *lib. 2. c. 20.* & Theodoretus *li. 1. c. 5.* ipse tamen Socrates impensissimè contendit Eusebium ab hac hæreseos nota eximere, ubique asseverans, Arrianum non fuisse; imò nititur probare Nicænæ fidei & subscripsisse, & adversus Arrianos tandem accessisse. Idem Theodoretus scribit in *dist. 1. 1. cap. 12.* His accedit Sozomenus *li. 2. 1.* scribens Eusebium Casariensem Nicænæ fidei, licet dubium, subscripsisse. His verò, præsertim Socrati, Nicephorus refragatur *lib. 6. c. ult.* probare conatus, Eusebium in multis Arrii sententiam comprobasse: idque ex ejus scriptis dijudicat. Idem *lib. 9. c. 13.* ab eodem Socrate, quem Novatianum fuisse asserit, his equidem

verbis dissentit, *Hæc & alia Socrates asserens sinceritatem doctrina Eusebio adscribere contendit: ego quidem talem potius virum eum fuisse velim: Ecclesia autem Catholica non talem fortasse judicat, quam potius sequi par est. An verò ille certo in pietatis sinceritate sit, sicuti iste, qui quidem Novatianus est, dicit, id accurate certoque occulta omnia perspicienti Deo relinquendum.* Hæc Nicephorus, qui & *lib. 8. & c. 18. c. 22.* fatetur, Eusebium Nicænæ fidei non admodum voluntariè, sed dubitantem subscripsisse. S. Hieron. ad Cresiphontem adversus Pelagianos memor Eusebii Casariensis, inquit, quem fuisse Arrianum, nemo est qui nesciat. Idem in *Apologia prima adversus Ruffinum*, Eusebius, ait, Casariensis Episcopus, Arriana quondam signifer factionis. Suidas etiam scribit, eum Arrianæ sectæ addictum fuisse, quod & septima Synodus asseverare videtur *actio 5. & 6. Tomo 2.* & iterum *Tomo 5.* Quibusdam tamen placet, Eusebium Arrianum quondam fuisse, postea verò ab Arriana opinione desivisse, & à sanctis Patribus ad communionem receptum. Quod Joann. Zonaras in *Constantino Magno* tradit, existimans, ea scripta, in quibus Eusebius Arrianam sectam probare videtur, ante ejus conversionem edita fuisse. Huic opinioni accedit, quod Arriani quidam prodicionem Eusebio objecerint; nec injuria: auctoribus Theodoro *lib. 1. c. 11.* & Nicephoro *lib. 8. c. 22.* Ex quibus quæ ad hujus loci interpretationem adduximus, lectorem admonemus, Eusebii Casariensis opera cautè legenda fore: nam & ea privatim legi, ad singularem rerum notitiam & eruditionem adquirendam, nondum Ecclesia Catholica prohibuit.

*Opuscula Tertulliani sive Africani, Apocrypha. Opuscula Joviniani & Galli, Apocrypha. Opuscula Montani, & Priscille, & Maximilia, Apocrypha. Omnia opuscula Fausti Manichæi, Apocrypha. Opuscula alterius Clementis Alexandrini, Apocrypha.*

*Opuscula Tertulliani sive Africani, Apocrypha.] 8*  
Eadem lectio est apud Burchardum: at in primo Conciliorum Tomo legitur: *Opuscula Tertulliani Apocrypha. Opuscula Lactantii Apocrypha. Opuscula Posthumiani & Galli Apocrypha.* Hæc Gelasius ex veriore, ni fallor, lectione. Tertulliani opuscula idè Apocrypha censentur in hoc Gelasii decreto, quod auctor novæ prophetiæ meminerit, & in *lib. de Monogamia* vim fecerit verbis Apostolicis, & in Montani hæresim secundas nuptias detestantis prolapsus fuerit, quemadmodum D. Hieron. & alii scripsere, ac præter alios Vincentius Lirinensis in *lib. adversus hæret.* Sunt etiam & apud hunc auctorem opiniones quedam, quæ hodie prorsus ab orthodoxis improbatæ, damnatæque sunt. Atque idè inter Apocrypha hujus auctoris opera censentur, hac quidem significatione, ut legi in Ecclesiis publicè minimè permittantur, privatim tamen legi possint, cautè, & cum ea censura, quæ omnia dirigat in Catholicæ Ecclesiæ defensionem, ut, quæ definita ab eadem Ecclesia fuerint, & scriptis hujus auctoris refragatur, observanda omnino exactissimè sint à lectoribus, ne quid pium animum offendant. Laudatur sanè hic auctor, à D. Hieronymo, ab Eusebio, Nicephoro, & aliis veteribus de rebus Ecclesiasticis scriptoribus: quorum quidam, maxime D. Hieron. insigne D. Cypriani encomium de Tertulliano referunt, qui magistrum Tertullianum vocabat, nullamque diem absque ejus lectione prætermittebat. Floruit Tertullianus, an. fermè Dom. 200. sub Severo & Antonino Caracalla Principibus.

Idem fermè judicium erit de Lactantio Firmiano, cujus eloquentiam insignemque eruditionem in evertendis Gentilium erroribus D. Hieron.

ron. & veteres Theologi miris efferunt laudib. & mirantur. Multa tamen is auctor scripsit, & apud eum Antonius Raudensis notavit, quæ aliena sunt ab his quæ Catholica Ecclesia definiuit, vel SS. Doctores communi consensu scripsere, aut planè post tot Conciliorum, & SS. Patrum decreta minimè dici aut scribi absque temeritate possunt. Quamobrem & hic auctor cautè legendus erit privatim legiturque propter ejus elegantiam, animi sinceritatem candoremque; quibus adversus Ethnicorum præstigias, & in deorum cultum varia portenta mirè utitur, Christianam religionem professus. Publicè autem in Ecclesiis legi non debet: atque idè, & quia ejus scripta multis erroribus illius temporis referta sunt, inter Apocrypha censentur; minimè verò ab Ecclesia damnatur. Floruit sub Constantino Magno, anno Dom. ferè 320.

*Opuscula Joviniani*] Hic Jovinianus monachus fuit Romæ tempore B. Hieronymi, adversus quem & ipse Hieron. scripsit, ejus errores & hæreses impugnans. Etenim inter hæreticos à D. August. *lib. de hæresib. ad quod vult Deum, c. 82.* & aliis, qui de hæreticis tractavere, connumeratur. Idè ejus scripta jure damnantur, eaque significatione Apocrypha sunt, ut nullam auctoritatem habeant, omninoque legi privatim & publicè sint prohibita.

*Opuscula Montani, Priscilla, & Maximilla, Apocrypha.*] Inter hæreticos à D. Augustino, Philastrio, & aliis, passim referuntur Cataphryges, ex eo dicti, quod ex Phrygia provincia originem duxerint: horum auctores fuere Montanus, qui dixit se Paraclætum fuisse, & duæ ejus prophetiæ Prisca, & Maximilla, quas ipse Montanus tanquam ex ejus inspiratione factas jactabat. Horum meminit August. *de hæ. ad quod vult Deum, c. 26.* ante ipsum longius Euseb. *lib. 4. Eccl. hist. c. 14. & seq.* & Niceph. *lib. 4. c. 11. & 22.* apud quos hæc femina dicuntur Priscilla, & Maximilla: apud Augustinum & Hieronymum in *Epist. ad Marcelianam adversus Montanum*, Prisca & Maximilla. Hi hæretici ab initio dicti fuere Phryges, & quia eorum hæresis dicta est secundùm Phrygas, & Græcè *Ἐφρύγιαι*, postea dicti sunt Cataphryges.

*Omnia Opuscula Faustii Manichæi Apocrypha*] Faustus quidam fuit gente Afer, civitate Milevitanus, secta Manichæus, qui quoddam volumen edidit adversus rectam Christianam fidem, & Catholicam veritatem, auctore Augustino, qui contra hunc hæreticum triginta tres scripsit libros. Dicitur est Manichæus à principe hujus hæresis Manete quodam Persa, cujus idem August. meminit in *d. lib. de hæ. c. 46.* Euseb. *lib. 7. Eccl. hist. c. 13.* Niceph. *lib. 6. c. 31.* Suidas, & alii ejusdem meminere. Hujus ergo auctoris libri, cum hic hæreticus fuerit, nec publicè, nec privatim legi debent.

*Opuscula alterius Clementis Alexandrini Apocrypha.*] Clemens Alexandrinus Panthemi Martyris discipulus, & Origenis præceptor quippe post Panthæmum Alexandriæ scholam Ecclesiasticam tenuit, & institutionum Christianæ religionis magister fuit, insignia volumina, plenaque & eruditionis & eloquentiæ, tam de Scripturis divinis, quàm humanis edidit, atque in publicum emisit, auctore Hieronymo *de script. Eccl. Cui consentire videntur Euseb. lib. 5. Eccl. hist. c. 11. & lib. 6. c. 3.* Nicephor. *lib. 4. c. 33.* Claruit anno ferè Dom. 200. sub Severo & aliis Principibus. Hujus auctoris aliquot libri nuper in publicum prodierunt à Græco in Latinum versi à Gentiano Herveto, eorumque lectio non potest non esse admodum utilis, & divinarum Scripturarum studiosis, &

his qui rerum humanarum & antiquitatum cognitionem adquirere desiderant. Cæterùm Gelasius ejus opera existimat Apocrypha esse, in hunc, ut opinor, sensum, ut cautè legantur privatim: publicè etenim in Ecclesiis legi non debent. Nam & ab hoc auctore non satis fuit cognitum peccatum originale, *lib. 3. Strom. & li. 6.* minimè affectus est veram rationem, qua salutem consequi potuerint, qui ante adventum Domini excelserrunt. Quamvis & ejus sententiam probare videatur Joan. Damascenus in *serm. de defunctis*. Uterque enim probare nititur, eos qui ante adventum Christi è vivis excessissent, qui piè alioqui & sanctè vixerant in hoc mundo, tamen absque ejus cognitione & fidei professione, salvos factos fuisse prædicatione Christi descendentes ad inferos, Scribit siquidem D. Petrus *Epist. 1. c. 3.* de Christo Jesu, *In quo, scilicet spiritu, & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando.* Quibus Petri verbis probari videtur, Christum descendente ad inferos prædicatione legis Evangelicæ eos liberasse, qui in ejus futurum adventum non crediderant, eoque in statu mortem obierant, tunc tamen ejus prædicationi credentes. Quod dubius licet, tentavit asserere Gregorius Nazianzenus *orat. 2. in Pasch.* Id verò quantum conveniat his regulis, quas de fide justificante tradit Ecclesia, post D. Paulum satis constat. Nam & eos, qui ante Christi adventum mortem obierant increduli & in alio inferorum loco, quam in limbo patrum erant, minimè per Christum ad inferos descendente liberatos fuisse, docet D. Thom. *3. part. quest. 52. art. 6.* post veteres Ecclesiæ Catholicæ Patres: D. inquam August. *Epist. 99. & lib. de hæret. 79. & lib. 20. de civit. Dei. & serm. de temp. 137.* Hieron. in *c. 4. ad Eph. & Epiphani. in hæret. Taurini 46.* Quod si locus Divi Petri de Christi descensu ad inferos possit intelligi, sicuti eum videntur intellexisse D. Athanasius in *Ep. ad Epictetum*. Cyrillus *de recta in Deum fide ad Theod. sum.* & rursus *ad Reginas*; Nazianzenus, & Clem. Alexand. in eum sensum accipiendus erit, ut D. N. Jesus Christus, his qui in vita crediderunt, & incredulis prædicaverit apud inferos; incredulis, ad pudorem & improprium; his verò qui crediderant, ad consolationem. Qui quidem sensus, Oecumenio constat ad exemplum, quod tradit Petrus de Noë prædicante, cui innumeri non crediderunt, pauci verò credentes salvi facti sunt. Unde descensus Christi ad locum damnatorum, erit intelligendus per effectum supradictum ad exprobandum; ad locum verò justorum descendit anima Christi per essentiam. Quod explicat D. Thomas in *dict. 9. 52. art. 2.* Quo in loco S. Doctor post D. Augustinum in *dict. epist. 99.* Petri sententiam non de descensu Christi ad inferos, sed de operatione intelligit Jesu Christi, quam ipse exercuit ab initio mundi in eos qui viventes, conclusi erant in carcere animæ, nempe corpori mortali, quibus per internas inspirationes in spiritu divinitatis prædicavit. Cui sensui optimè accedit exemplum de Noë prædicante. Sed etsi de descensu Christi ad inferos Petri locus intelligatur post Athanasium & alios; poterit & alium admittere sensum, ut semper intelligamus, fidem Christi explicitam vel implicitam necessariam fuisse ab initio mundi ad justificationem; explicitam quidem post legem Evangelicam: Divus namque Petrus non asserit prædicatum fuisse omnino incredulis, sed his qui aliquid fuerunt increduli, & ad Dei verbum redierunt: quia nonnulli ex ipsis & obdormierunt in Domino, & cum piis ad inferos delati sunt

usque ad Christi descensum, quo translati sunt in cœlum. Ita enim Petri locum interpretantur. Nicolaus de Lyra. D onys. Carth. Caiet. Joan. Hesselius & Claudius Guilandus illic, Thomas Beauxam, in *lib. de Symbolo* & Claud. de *Saintes de Eucharistia*, reper. 4. c. 11. Atque hæc de loco D. Petri, qui cum difficultis, à D. August. in *dicta epistola* 99. diligentissime tractatur. Fidem autem explicitam, esse ad salutem necessariam omnino post legem Evangelicam, constat ex traditis à D. August. *lib. 19. contra Faust. cap. 14.* S. Thom. 1. 2. q. 113. art. 4. & 2. 2. q. 10. a. 4. ad 3. Et ad *Rom. c. 10. lect. 3. ad Hebr. c. 10. lect. 4. & c. 11. lect. 2.* ad interpretationem D. Marci c. ult. & D. Pauli ad *Galat. c. 3.* Quibus Synodus Tridentina mirè accedit *sess. 6. de justificat. c. 6.* Floruit autem *Damascenus* sub Imperatore Leone Isaurico anno ferè 750. ut constat ex Joanne Patriarcha Hierosolymitano, qui ejus vitam scripsit, ut tandem, si de hoc Damasceno Trithemius sit intelligendus, parum illi fidendum sit, qui eum floruisse tradit tempore Theodosij, qui multis annis imperium obtinuit. Qua ratione mirum non erit, ab eodem Damasceno in eodem sermone D. Gregorium summum Pontificem in testimonium adduci.

In primo Conciliorum Tomo apud Gelasium legitur, *Opuscula Africani, Apocrypha. Opuscula Commodiani, Apocrypha.*

Julius verò *Africanus* claruit eodem tempore, quo Origen. quinque de temporibus scripsit volumina, & alia opuscula, quorum meminere Hieronymus, & Trithemius de *scriptoribus Eccles. Eusebius lib. 1. cap. 6. & 7. lib. 6. cap. 31.* Nicephorus *lib. 1. cap. 9. & 11. item lib. 5. cap. 21.* Hic sub Imperatore M. Antonio Heliogabalo legationem suscepit pro instauratione urbis Emmaus in Palæstina, quæ postea dicta est Nicopolis, auctoribus Eusebio in *Chronicis*, & Hieronymo de *scriptoribus Eccles.* Hujus opera censentur fortassis à Gelasio Apocrypha ex eo, quod Susannæ historiam contenderit à libris Danielis eximere, & à Canone sacrarum Scripturarum abjicere in *epistola quadam ad Origenem* scripta, contra quem hac in re scripsit doctè & eleganter idem Origenes. Vel ex eo quod hic auctor scripserit libros, qui inscribuntur Cesti: quorum meminere Eusebius in *dict. cap. 31.* Nicephorus in *dict. c. 21.* & Suidas in dictione *Africanus* asseverans, Africanum libris 24. Cætos scripsisse, in quibus tradiderit naturalia, veluti quædam remedia ex verbis, incantationibus, & piæ quibusdam characteribus ad medelam ægritudinum, aliâve efficaces operationes atque hæc de Africano de *Commodiano* verò Gennadius scribit, adversus Gentes opus quoddam edidisse: in quo, qui parum nostras attigerat litteras magis illorum dogmata destruere potuit, quàm nostra firmare, & de divinis promissionibus vili satis & crasso sensu dissertit illis stuporem, nobis desperationem incutiens. Hæc ex Gennadio, ut meritò hujus auctoris opera fuerint à Gelasio inter Apocrypha relata.

*Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum, Apocrypha. Opuscula Pictaviensis Victoris, Apocrypha. Opuscula Faustini Rheimensis Galliarum Apocrypha. Opuscula Frumentici, Apocrypha.*

*Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum, Apocrypha.* In primo Conciliorum Tomo apud Gelasium ante opera Cassiani ita legitur: *Opuscula Tatij Cypriani, Apocrypha. Opuscula Arnobii Apocrypha. Opuscula Tyconij, Apocrypha. Opuscula Cassiani presbyteri Galliarum, Apocrypha.* Ipse verò legendum esse censeo, *Opuscula Tatiani Apocrypha*, ut intelligamus de illo Tatiano, qui inflatus eloquentiæ tumore, novam condidit heresim, quæ *Encratitarum* dicitur, quam postea Servetus auxit, à quo ejusdem

partis hæretici Servetiani usque hodie appellantur ex Hieronymo de *Scriptoribus Eccles. Eusebio lib. 9. c. 26. & 27.* Nicephoro *lib. 4. c. 4.* & Augustino de *heret.* Claruit sub M. Antonino Philosopho propè annum domini 170. Eusebius in *Chronicis.*

*Opuscula Arnobij, Apocrypha.* Arnobius suam Diocletiano Principe Siccæ apud Africam florentissimè Rhetoricam docuit, scripsitque adversus Gentes, quæ vulgò extant volumina: teste Hieronymo de *Scriptoribus Eccles. Quin in chronico* post Eusebium idem scribit sub Constantino Magno. Qua verò ratione hujus auctoris opera Apocrypha censeantur à Gelasio, mihi nondum est compertum; hujus etenim auctoris libros, etiam si legerim, nondum mihi per occupationem licuit examinare quid in eis scriptum fuerit, quod ad Apocrypha pertineat. Quamvis de animæ immortalitate, & de Angelorum natura quædam scripserit, quæ cautè legenda fore existimaverim: præterquam quod Gentilium deorum fabulas nimis inculcat, & *lib. 7.* licet de sacris deorum Gentilium agat, novellam rem esse existimat thus in sacrificiis.

*Opuscula Tyconij, Apocrypha.* Tyconius quidam qui contra Donatistas invectissimè scripsit, cum fuerit Donatista, & illic invenitur absurdissimi cordis, ubi eos non omni ex parte relinquere voluit, fecit librum quem Regularum vocavit. Hæc Augustinus *lib. 3. de doctr. Christian. c. 30.* qui hujus suspecti auctoris doctrinam diligenter examinat, ab eoque in pluribus dissentit. Ex quibus lector poterit expendere, & satis percipere, jure optimo ejus scripta Apocrypha censeari, floruit sub Theodosio & liberis ejus, propè annum Dom. 390. auctore Trithemio & Gennadio.

*Cassianus* verò presbyter apud Gallos aliquot edidit Opuscula, quæ Gelasio non satis placuere, atque ideò ea inter Apocrypha connumerat. Fuit natione Scythia, apud Massiliam presbyter, ubi vendi finem fecit Theodosio & Valentiniano regnantibus, auctore Gennadio, qui varia ejus Opuscula connumerat & laudat: Trithemius verò scribit, eum in multis reprehendi à beato Prospero de *libertate arbitrij*: & ideò ejus opera Apocrypha censeari.

*Opuscula Pictaviensis Victoris, Apocrypha.* Apud Gelasium in primo Conciliorum tomo, & Burchardum legitur *Victorini Pictaviensis*, hic teste Hieron. fuit Episcopus Pictaviensis, qui multa scripsit opera, grandia quidem sensibus, viliora tamen compositione verborum, quod magis Græcè sciret, quàm Latine. Tandem martyrio coronatus est, temporibus Valeriani & Galieni, auctore Trithemio. Ejus opera inter Apocrypha censentur ex eo fortassis, quod de rebus gravissimis vili verborum compositione fuerint edita.

*Opuscula Faustini Rheimensis, Apocrypha.* Faustinus presbyter apud Gallos varia scripsit opuscula temporibus Valentiniani, Theodosij, & Arcadij, Luciferianæ tamen hæresi visus est consensisse auctore Gennadio. Et ideò ejus opera jure inter Apocrypha censentur, quod & Trithemius fatetur scribens eum meritò reprehendi.

*Epistola Jesu ad Abgarum, Apocrypha. Passio Gregorij, Apocrypha. Passio Quirici, & Julite, Apocrypha. Scriptura que appellatur Salomonis contradictio, Apocrypha. Phylacteria omnia, quæ non ab Angelo, ut illi consingunt, sed magis à demone conscripta sunt Apocrypha.*

Apud Burchardum, & in primo Conciliorum tomo legitur, † *Epistola Jesu ad Abgarum Regem, Apocrypha.* Extat utraque epistola, Jesu ad Abgarum Edessæ

Edesse civitatis ultra Euphratem Regem, & ipsius Regis ad Jesum, apud Eusebium *lib. 1. Eccl. hist. c. 13.* & Nicephor. *lib. 2. c. 7.* Evagr. *lib. 4. c. 28* quos pius lector legere poterit, & Christiana sinceritate observare, quæ illic ab historicis commemorantur ut existimet verè potuisse contingere, tamen non cogatur illis omnino credere. Etenim ab Evagr. & Nicephoro, atque Constantino Porphyrogenito in peculiari hac de re commentario, traditur, Jesum petiisse textum linteum, in eoque prius loto suam expressisse faciem, & ad Abgatum misisse, Idem tradit Ioan. Damascenus *lib. 4. de fide orthodoxa. cap. 14.* Addit Evagrius, Cotroë obsidente Edessam urbem, & ingenti aggere eam infestante, ut facilius caperetur, dejectum omnino aggerem fuisse subterraneo quodam cuniculo facto, ut ignis subjiceretur, & lignorum materia consumpta agger pessum iret, opusque totum corrueret. Attamen igne primùm immisso, cæptum consilium eives fefellerat, quod flamma exitum non haberet, quam aërem concipere, atque ita materiam comprehendere, sicuti consuevit, oportebat: eo verò consilio destituti ad sacram anchoram confugientes, acceptamque divinitus imaginem ad cuniculum producentes, aqua conspersam contra pyram miserunt: subditaque divina virtute ligna ignem conceperunt, & quàm celesterrimè combusta imminenti statim materiam ignem omnia consumentem immiserunt, donec agger omnis in fossæ cuniculis confidens in cineres est redactus. Hæc Evagrius ex Procopio *de bello Persico*, & post eos, Nicephorus *lib. 17. cap. 16.* Meminit hujus lintei, & imaginis Joan. Zonaras *Annalium Tom. 3.* in Romano Lacopeno scribens, ejusque Imperatoris ætate, ex Edessa imaginem istam Constantinopolim fuisse translata.

*Passio Gregorij Apocrypha. Passio Quirici, & Julia, Apocrypha.* Harum scripturarum meminerat Gelasius in secunda hujus decreti parte, ibique asseveravit, non legi in Romana Ecclesia hosce libros ex ea ratione, quam illic tradidit: atque nunc Apocryphos idè retulit.

*Phylacteria omnia.* Pharisei olim apud Judæos decalogum in membranulis scribere consueverunt, & in fronte ligate, ut religionis intimæ speciem præberent: dicebanturque hæ membranulæ *Phylacteria*, quasi custodientia: in memoriam sanè, quod præcepta illa custodire tenebantur, & veluti in custodiam & munimentum sui haberent: sicuti in *Matthæum c. 23.* explicarunt Hieronymus, Chrysostomus, & alij Justinus item Martyr in dialogo *cum Tryphone adversus Judæos pagina 34.* Idque faciebant Pharisei, pravè intelligentes mandata legis à Domino data per Moysen *Deuteronom. cap. 6.* Hæc igitur dicebantur Phylacteria, id est, conservatoria: ad quorum similitudinem & exemplum arioli & excantatores, ad seducendos simplices animos, quasdam membranulas scriptas potius à dæmone, quàm ab Angelis, exhibebant Christianis, quasi hæc Phylacteria forent illis admodum utilia in tutelam corporis & animæ. Quæ quidem præter Gelasium omnino prohibet Gregorius Tertius *cap. 12.* suorum decretorum, & Concilium Laodicense *c. 30.* apud Gratianum *in c. si quis Ariolos. & c. non oportet, 36. quest. 6.*

Denique Gelasius *in ultima parte hujus tractatus de libris Apocryphis*, damnat & pronunciat damnata esse omnia, & quæcumque hæreticorum scripta, cum suis auctoribus, quorum catalogum subjicit, meminitque multorum, qui in hæresim ante ipsius Pontificatum inciderunt; plures tamen omitti, quos generali quadam damnatione complectitur. Hic verò locus poterit facillimè explicari, quoad hæreticorum nomina, & eorum impia dogmata, ex divo Hieronymo, Augustino, Philastrio, & alijs qui de hæresibus & hæreticis tractaverunt: id etenim non est nostri instituti. Admoneo tamen lectorem, apud Grati-

num falso legi, *Ternidus*, cùm legendum sit, *Cerinthus* ex primo Conciliorum tomo, Burchardo, & alijs *Valentinus*, sive *Manichæus*, ubique legitur, quod Valentinus etiam si alium errorem à Manichæis distinctum excitaverit; Manichæi tamen cognomine dignus est, qui in simillimum illi errorem incidit, ex *Irenæo lib. 3. c. 4.* Dum legitur apud Gratianum *Julianus*, apud Burchardum *Nibianus* apud Gelasium in primo Conciliorum tomo rectius, *Jovinianus*. Item ubi legitur apud Gratianum, *Julianus*, & *Latiensis*. legitur in primo Conciliorum tomo, *Julianus Cælanensis*, apud Burchardum, *Julianus Edanensis*, in Prospero Aquitanico, *Julianus Athelanensis*. Fuit Episcopus Capuanus ex Gennadio & Trithemio, De Novatio ubique extat integra mentio, nisi quod quidam codices primam litteram mutaverunt.

*Priscillianus ab Hispania.* Hic auctore Hieronymo *de scriptoribus Eccles.* fuit Episcopus Abilæ, quæ civitas est in Hispania satis insignis: ut tandem Erasmus insigniter fuerit hallucinatus: quippe qui existimaverit, Priscillianum Episcopum fuisse Abilæ quæ sit civitas Phœnicæ in Syria. Cujus errorem doctè improbat Joannes Valsæus *in priori parte Chronicorum Hispania.* Sed & præter testimonia ab eo citata adversus Erasmus, extat Gelasius *in hoc decreto*, Leo Papa *in epist. 111.* ad Turibium Astoricensis Episcopum. Sic & apud Prosperum Aquitanicum *in Chronico* falsò legitur, *Priscillianus Episcopus de Gallaria* cùm legendum sit, *de Gallicia*, quæ est Hispaniarum provincia ad Occidentem, ad cujus Metropolim Abulensis Ecclesia pertinet. Sed & Priscillianum in Hispania hæreses excitasse, & Abulensem Episcopum fuisse constat ex Severo Sulpicio *li. 2. Sacra Historia* quo in loco vitio Typographorum *Labilensis Episcopus* appellatur

*Lapedius*) In primo Conciliorum tomo, *Lamperius*: in Burchardo, *Lapedius* nos legimus *Lamperius*, à quo Lamperiani hæretici, teste Alphonso à Castro *de hæresibus. in verbo, vorum*

*Sebatius*) Legendum *Sabbatius* ex Burchardo & Gelasio in primo Conciliorum tomo *Socrate lib. 5. Eccl. hist. c. 21.* Cassiodoro *in tripart. lib. 9. c. 37.* & Nicephoro *lib. 12. c. 31.* qui hujus hæretici meminere, & idem Nicephor. *lib. 14. cap. 31.* Alterius Sabbatij apud Gallos meminit Trithemius.

His hæreticis Burchardus ex Gelasio addit Photinum, qui & cum his scriptus est primo Conciliorum tomo in Gelasij decreto, ubi etiam nominatur *Africanus Nestorius Constantinopolitanus, Maximus, & Unicus.* Nestorij, Photini, & Maximiani, aut Maximini mentio frequens est apud divum Augustinum, & alios, qui de hæreticis scripsere. Maximi verò, & Unici non ita frequenter mentio facta est à scriptoribus: Nicephor. etenim *lib. 12. cap. 11.* meminit Maximi cujusdam Cynici philosophi, quem Timotheus Alexandrinus Pastorem & Episcopum Constantinopolitanum consecravit, etiam Apollinaris labe maximè infectum. Qui postea exauctoratus est in Synodo Constantinopolitana, ut Nicephor. scribit *c. 13.* & idem prius actum fuisse commemorat, *c. 11.* post Sozomenum *lib. 7. c. 19.* qui asseverat, hunc Maximum Nicenæ fidei studiosum & sequacem fuisse. Sed quæ prius de Maximo retulimus ex Nicephoro, etiam scribit Theodoretus *l. 5. c. 8.* Ceterum contra Maximinum Arrianorum Episcopum extant Augustini libri tres in sexto ejus auctoris operum tomo.

Postremò de historia tripartita, † quæ de rebus Ecclesiasticis tractat observandum erit, centonem illum ex tribus Græcis auctoribus, Theodoro Cyri Episcopo, Socrate Constantinopolitano, & Hermio Sozomeno, concinnatum fuisse, opera & studio Cassiodori, ex translatione ejusdem Epiphani, utriusque lingue haud satis periti; qui in plerisque suam divinationem, non auctorum illorum sententiam pro-

germana lectione lectori supposuit. Sed & hi auctores adeo minutatim concisi, & truncatim commixti, à Cassiodoro fuerunt in continuum historię compendium, ut in plerisque ob concisionem truncationemque ejusmodi merito dubitari possit, quenam fuerit citati auctoris certa sententia: quæ verè apparuisset ex præcedentibus sequentibusque verbis à Cassiodoro, dum brevitati studet, rescētis. Hæc ferè de hac historia Albert. Pighius *lib. 2. de Eccles. hierar. c. 8.* Nuper verò in publicum prodire tres prænominati auctores integri, & Græca lingua, qua ipsi usi fuere; ex quibus planè percipiet lector vera esse, quæ Pighius de tripartitè centone scripserat, poteritque verum historię ordinem, auctorisque sensum omiſsa concisione Cassiodori, & prava Epiphaniï versione ipsis Græcis scriptoribus diligenter lectis, deprehendere.

Cæterum de auctoribus ipsis Nicephorus in præfatione historiae Eccles. quæ libro 1. cap. 1. scribitur, breviter tractans, dubitat profectò an fuerint quæ scripserint, & præterea Socratem animo fuisse nimis puro tradit: ex eo quid, quod Novatianus fuerit, auctore eodem Nicephoro *lib. 6. cap. 37. & lib. 9. cap. 13. & lib. 14. cap. 43.* idque constare videtur ex ejusdem Historia *lib. 6. cap. 21.* Sed & Sozomenum atque Socratem in quibusdam mentioſis, docet Franciscus Torrenſis in *lib. de sexta Synodo, super canone 13.* Divus Gregorius *lib. 6. epistolarum, epistola 195.* de historia Sozomeni ita scribit: *Ipſam quoque historiam sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur.* Hæc Gregorius, qui & alias rationes adſcribit, quæ sunt omnino examinandæ ex Græcis de rebus Ecclesiasticis scriptoribus. Nempe Theodoretò, Socrate, & Nicephoro. Qui & ipsius Theodoretò fidem rursus demittere contendit, ex eo, quod tertiam Synodum conatus fuerit impugnare, fueritque ea ratione proſcriptus, & excommunicatus: ut idem Nicephorus tradit *lib. 14. c. 34.* qui *cap. 30.* illum maximè laudaverat.

Quem verò librum Gelasius intellexit, asseverans contradictionem Salomonis Apocrypham esse, nondum ipse intellexi, ut quidquam certi possim scribere; nam de eo libro, qui *penitentia Salomonis* inscribitur, & nomine Ambrosii falsò evulgatus est, fortassis quispiam conabitur Gelasium interpretari ex eo, quod Salomon, licet aliquando fuerit in gratia Dei, *1. Reg. cap. 3. & 11. ac 2. Paralip. cap. 7.* tandem reprobus fuerit, à Dei quæ gratia ceciderit, atque ideò damnatione æterna punitus: quemadmodum consentire videntur Augustin. *lib. 22. contra Faustum, cap. 81. & 88.* Cyprianus *lib. 1. epist. 5.* Hieronym. in *epistol. ad Vitalem, 3. epistolarum tomo.* & Ecclesiasticus *cap. 47.* rursus Augustin. in *enarratione Psalmi 126.* Chrysoſtom. in *sermone de penitent.* Beda *Esaia cap. 2.* idem Beda in *li. Regum. qu. 29.* Cyrillus *lib. 7. contra Julianum.* Gregorius *lib. 2. Moral. c. 2.* Lyranus *2. Regum cap. 7.* quo in loco Burgensis à Lyrano discedit, & Hieronymus *Ezech. 42. & in Ecclesiast. cap. 1.* asseverat Salomonem penitentiam egisse. Cui suffragari videtur Ambrosius in *lib. de Cain & Abel. c. 2.* Quamobrem Arboreus *lib. 17. Theosophia c. 10.* probare conjecturis quibusdam conatur, Salomonem æterna damnatione minimè fuisse punitum, licet quamdiu vitiis & criminibus adhæsit, fuerit ad tempus reprobatus. Res est tamen dubia, & in qua nihil certum adhuc ex Theologis asseverare possumus. Nam & alicubi Ambrosius priorem opinionem sensisse videtur.

## NOTÆ

JOANNIS UFFELI I. C.

CAPUT XV. XVI. &amp; XVII.

Qui libri in canonem non ab Hebræis modò, sed & à Patribus recepti sint, a quæ à fidelibus tenendi, Tridentina Synodus *sess. IV.* definiivit.

Dubium maximè apud veteres fuit de libro Tobie, Judith, Esther, & Machabæorum: de quibus videndus Nicolaus Serrarius in *eorundem librorum Prolegomenis*, ubi hanc rem curiosè excutit, nos pauca delibabimus.

## DE LIBRO TOBIÆ.

Liber hic plerisque Patribus Canonicus fuit Irenæo *lib. 1. c. 34.* ubi Tobiam inter Prophetas recenset; Cypriano *ad Quirinum lib. 3. c. 10. & 62. & libro de opere & elemosynis, sub initium, & epist. 52.* ubi contra Novatianos hinc fidei dogma probat; Hilario, qui in *Pſalm. 129.* ex Raphaele ad Tobiam loquente, probat, Angelos esse, & pro hominibus intercedere; Ambrosio, qui librum integrum de Tobia, ex isto scripsit, & *cap. 1.* hunc librum vocat prophetiam, & *cap. 2.* ipsum Tobiam Prophetam; Chrysoſtomò *homil. 15. ad Hebræos.* Clementi Alexand. *lib. 1. Stromatium*, qui libri hujus in Chronologia sacra meminit: D. Augustin. *lib. 2. de doct. Christiana, cap. 8. & serm. 226. lib. de cura pro mortuis, c. 3. & lib. 1. de civit. cap. 13. & tract. 13. in Joannem, & serm. 18. in Matth. Accedunt duo Concilia, Carthaginense circa annum 419. & Trid. sess. 4.*

## DE LIBRO JUDITH.

Canonicum hunc librum esse, satis indicat S. Jacobus *epist. 1. c. 2. V. 23.* & Nicæna Synodus, ut est apud Hieron. *epist. 3.* & Concilium Carthaginense circa annum 419. habitum: Augustinus *de doctrina Christiana, lib. 2. c. 8.* Tertullianus *de Monogamia c. ult.* Origenes in *c. ult. Judicum*: Chrysoſtomus *lib. de variis in Mattheum, hom. 16.* Ambrosius *lib. 3. offic. c. 13. epist. 82. & lib. de viduis*; Prudentius *Psychomachia pudicitia & libidinis*; Fulgentius *epist. 2. de statu viduarum*: Concil. Trid. *sess. 4.*

## DE LIBRO ESTHER.

Inter Canonicos libros hunc referunt Concilium Laodicenum *can. 59.* Carthaginens. *III. c. 47.* Origenes in *Pſal. 1. apud Eusebium, lib. 6. histor. c. 25.* Cyrillus *Catech. 4.* Damascenus *lib. 4. c. 18.* Hilarius in *Pſal. 1.* Innocentius I. *epist. 3.* Rufinus in *Symbolum.* S. Augustinus *lib. 2. de doctrina Christiana, c. 8.* Chrysoſtomus *homil. 3. ad pop. Antiochenum.* Ambrosius *lib. 3. offic. c. 15.* Basilii *lib. 2. contra Eunomium.* Concil. Trid. *sess. 4.*

## DE LIBRIS MACHABÆORUM,

Duos Machabæorum libros Canonicos esse docent Concilium Carthaginense *III. can. 47.* Tridentinum *sess. 4.* Innocentius I. *epist. ad Exuperium cap. ult.* Clemens Alexand. *lib. 1. Strom.* Cyprianus *lib. 1. epist. 3. lib. 4. epist. 1. libro de exhortat. martyrii c. 11.* Augustinus *lib. 18. de Civit. Dei, c. 36.* Chrysoſtomus *orat. de 7. Machabais.* Ambrosius *lib. 1. Offic. c. 40. & 41. & lib. 2. c. penult. & epist. 29.*



Expenditur ratio temporis, & Chronologia, quæ in præfatione partitarum traditur.

## S U M M A R I A.

- 1 Annus solaris ex Romanorum institutione.
- 2 Anni ab initio mundi secundum Hebraicam veritatem, & septuaginta interpretes.
- 3 Anni à diluvio & universali cataclysmo.
- 4 Anni initium quo tempore apud Hebræos.
- 5 Anni à Nabuchodonosor, & Magno Philippo.
- 6 Anni ab Alexandro Magno, & à Cesare.
- 7 Anni Arabum à Mahomete.

**I**n ea præfatione, quæ legibus hujus regni Castellani adscripta est ab invictissimo sapientissimoque Alphonso rege hujus nominis decimo, exacta quædam ratio temporis observata fuit, ut planè omnibus foret perspicuum, quo tempore præstâtissimum illud septem partitum opus editum esset: ea verò vel injuria temporum aut scriptorum errore, aded aliena à vera ratione temporum circumfertur, ut operæ pretium me facturum existimem, si de ipsius emendatione aliqua brevi quadam observatione adnotaverim, illud verò est præmittendum, veluti hujus examinis basis ac cõstitutissimum fundamentum, opus illud editum fuisse à Rege Alfonso decimo filio Ferdinandi Tertij; cœptum autem anno quarto jam integro ipsius principatus, & consummatum aut perfectum anno septimo ab ejus initio, atque ita principatus Regis Alfonsi anno 11. quemadmodum ex ipsa præfatione constat, ex qua & hoc dubio procul deducitur, Regem Alfonso regni regimen post patris mortem accepisse anno ab incarnatione Domini 1251. & post quinque decursis & elapsis mensibus. Nam, ut ex chronicis constat, Ferdinandus Tertius pater Alfonsi mortem obiit die Jovis, Maij 30. anno à nativitate Domini 1252. Vnde fit ut anno Domini ab ejus nativitate 1252. ultimo die Maij, Alphonsus regnare in Castella cœperit. Etenim licet in historia Regis Ferdinandi, & in dicta præfatione anni computari videatur ab incarnatione quæ computatio diversa est ab ea quæ fit à nativitate: quod nos scripsimus *lib. 1. Variar. resolut. c. 12.* tamen utramque computationem & historiam, & præfationis, à nativitate Domini ex multis intelligendam esse arbitramur. Primum ex auctoritate Alfonsi Burgenfis Episcopi in *Anacephaleosi*: deinde ex consuetudine, quæ apud Hispanos obtinuit, ut anni ab eis à nativitate Domini connumerentur: & ex eo, quòd si annus in præfatione ab incarnatione fit accipiendus, post annum quinquagesimum primum, non possunt tot dies ad diem Maij trigesimam anno sequenti adscribi, quot in eadem præfatione adscribuntur: ut ille numerus omnino conveniat computationi à nativitate: siquidem ab initio anni 52. ad diem 30. Maij numerantur dies centum quinquaginta duo. Ex quo & illud constat, in eadem præfatione probari illam consuetudinem, qua annus nativitatis à primo Ianuarij die computari & signari solet. Dies verò, qui ab historicis morti & funeri Regis Ferdinandi Tertij adscripti fuere juxta numerum ex mense Maio, etiam veniunt anno Domini 1252. à nativitate, observata diligenter littera, quæ in illo anno Dominico diei competeat.

Ceterum in eadem præfatione asseverat Rex Alphonsus annum primum sui principatus esse & computari ab anno mundi V. M. XXI. & dieb<sup>9</sup> 137. atque hoc in loco intelligit annos Hebræos: in omnibus ejusdem præfationis computationibus de

Romanis annis loquatur expressim: † Annus vero Romanus dubio procul constat duodecim mensib<sup>9</sup> quibus & modo utimur, & usa est Respubl. Romanorum ab Imperio Iulij Cæsaris, qui imitatus Ægyptios ad certum dierum numerum solis redegit annum, intercalario antiquo mense sublato, ut unus dies quarto quoque anno intercalaretur, qui & hodie quoque intercalatur, propter uniuscujusque anni quadrantem, qui ad perfectum solis cursum post 365. dies deerat, auctoribus Macrobi. *lib. 1. Satur. c. 14.* Plin. *lib. 18. c. 25.* Suetonio & Plutarch. in *Cesare*. Prius etiam Romulus ex decem mensibus constituerat annum solarem; Numa verò ex duodecim: sed ratione quadam aded confusa & imperfecta, ut necesse fuerit, eam à Iulio Cesare immutari: quemadmodum idem Macrobius *c. 12. & 13.* docet. Hoc denique anno solari usa est semper Christi Ecclesia, atque totus ferè ad hanc usque diem terrarum orbis, tametsi varia fuerit apud plerasque gentes olim annorum ratio: quod scripsere Plin. *lib. 7. c. 48.* Macrobius in *diab. lib. 1. c. 8.* Alex. ab Alexandro *lib. dier. genial. c. 24.* Anselmus *l. 2. de imagine mundi, c. 10.* ex nostris Andr. Tiraq. *lib. 1. de retract. §. 1. gloss. 10.* Constat igitur annus Romanus ex 365. diebus, *l. cum hæres. §. Stichus hæredi, ff. de statu liber.* ejusque initium sumitur à Calendis Januarijs. Sed & apud Hebræos annus solaris erat in usu, diversa tamen mensium observatione: siquidem duodecim lunationes apud eos simul additis undecim diebus faciunt annum solarem: qua de causa ipsi moti tertio quoque anno tres menses adjiciunt: quia solaris annus lunarem excedit undecim diebus & quarta parte, ut scribit Africanus apud Eusebium *lib. 8. de demonst. Evangelica c. 2.* (& Damascenus *lib. 2. de fide Orthod. c. 7.*) Nam & Plin. *lib. 8. c. 25.* in unoquoque; biennio vigintiquinq; lunationes adnumerat. Hujus verò anni initium duplex adnotari potest ab æquinoctio inquam vernali, & ab æquinoctio autumnali, licet ordo mensium incipiat ab æquinoctio vernali *Exodi cap. 12.* Unde Nisan prim<sup>9</sup> mensis Hebræorum ab æquinoctio verno convenit quandoque mensi Martio, quandoque Aprili propter rationem lunationum; quam modò adduximus, & qua Hebræi omnino utuntur, primum mensem computantes à prima lunatione, quæ sit proximior æquinoctio verno. Quæ quidem lector poterit observare ex his, quæ hac de re scripsere Paulus Forosempronienfis, Jo. Stofferinus, Joan. Lucidus, Petrus Cirvelus Darocensis. Joan. de Monte Regio, & alij de emendatione Calendarij & de recta Paschæ celebratione tractantes. Ex quibus deducitur, Hebræos fuisse usos anno solari duodecim mensium, non minori, sed ferè pari solari anno quo modò utimur, & quo totus penè orbis usus fuerit. Quod constat ex *cap. 7. & 8. Genes. divo August. lib. 15. de civ. Dei, c. 14.* Josepho. *lib. 1. antiquit. c. 5.* Lactantio Firmiano *lib. 2. c. 13.* Beda in *lib. de temporib.* Joan. Driedonio *lib. 3. c. 4. in ejus 4. part.* Qua de re multa diligentissimè tradit Benedictus Arias Montan. in *apparatu ad Biblia sacra, in volum. de sæculis* quem omnino legito ad annorum numerum ab initio anni constituendum. Fortassis in hac Æra ab Adam, ex hac præfatione tollenda est dictio Hebraicos. Nam ea nõ utitur in his annis adnumerandis Historia hujus Regis: sed in sequenti Æra à diluvio scribitur; *Èlla Æra de los Hebraicos del diluvio en quatro mil y trecientos y cincuenta y tres años Romanos.* Est ex hac temporum ratione observandum, non esse eandem annorum supputationem juxta veritatem Hebraicam, atq; eam quæ vulgò dicitur septuaginta interpretum: sicuti com-

compertum erit lectori ex D. Hieronymo in *Hebraicis traditionibus super Genesim*, D. August. lib. 15. de civ. Dei, c. 10. & c. 13. Driedonio in d. c. 4. aut c. 5. lib. 3. Idem ubique observant Eugubinus, & passim Theologi, qui de questione ista tractaverunt. Sed supputationem septuaginta secuti sunt Eusebius, Origenes, Chrysostomus, Isidorus lib. 5. etymol. cap. 39. At supputationem alteram juxta veritatem Hebraicam sequuntur Hieronymus, Augustinus, de civit. Dei, lib. 15. cap. 13. Beda de temporib. Philon Hebræus, Dried. Joan. Lucidus, & Nicolaus Cælius Lusitanus in diligentissima veteris Testamenti Chronologia. Discrimen autem hoc contigit in annuerandis annis ab Adamo ab Abraham: siquidem in assignanda temporis ratione post Abraham ad Jesum Christum redemptorem nostrum, parum aut nihil distat supputatio Græcorum ab Hebræorum chronologia, quam ubique August. Eugubinus adnotavit, & observandam esse censet, ne in eum errorem incidamus, in quem incidit universa Græcia & Italia, quæ Græcos, aut septuaginta interpretum editionem sequebatur, nondum ad Hebraicam veritatem Hieronymi editione vulgata, & recepta, quæ nos ab hoc errore vindicavit. Igitur ab Adamo ad diluvium anni sunt mille sexcenti & quinquaginta sex juxta veritatem Hebraicam, & codices Latinos, quibus modò utimur, c. 5. & 7. Gen. juxta septuaginta verò interpretes supputantur anni bis mille ducenti quadraginta duo. Hujus numeri rationem poterit expendere lector diligens ex Hieronymo, Driedonio, & alijs, quorum modò meminimus, Ex quibus & illud constat, à diluvio ad ortum Abrahæ secundum Hebræos computari annos nonaginta duos supra ducentos: ex editione verò septuaginta interpretum annos numerari mille septuaginta duos, teste Augustino li. 16. de civit. Dei, c. 10. Qua ratione fit, ut in annorum numero ab Adamo ad ortum Abrahæ excedat septuaginta interpretum computatio veram ex Hebræis codicibus rationem annis ferè mille tercentum sexaginta sex. Hinc sanè suboritur maxima differentia inter Græcos & Latinos, qui vulgarem septuaginta editionem secuti sunt, atque ex alia parte gravissimos doctissimosque Theologos, qui hanc rem ex Hebræis conati fuere deducere ad veram cognitionem, in supputandis annis ab Adamo ad Christi nativitatem. Etenim secundum Hebraicam veritatem, quamvis qui eam sequantur, non convenient omnino in certo annorum numero, imò differant aliquantulum, paucis equidem in annis, ab Adamo ad Christum sunt anni ter mille nongenti sexaginta novem: auctore Driedonio, qui exactissimè ac diligenter annorum numerum observat. Beda verò adscribit Christi nativitatem anno ab Adamo 3952. Joan. Lucidus anno ter millesimo nongentesimo sexagesimo, ultimo anno Olympiados centesimæ nonagesimæ quartæ. Henricus Glareanus, & Haloander anno tertio ejusdem Olympiadis. Græci autem, & qui secuti sunt septuaginta interpretes, nempe Eusebius, Origenes, Isidorus, & alii Christi nativitatem adscribere anno ab Adamo quinquies millesimo centesimo, nonagesimo nono. Unde numerus annorum ex Græcorum supputatione major est ferè mille ducentis ac triginta annis, illo numero qui ex veritate Hebraica deducitur. Ipse verò Eusebius in principio *Chronicorum*, etiam si fuerit secutus septuaginta interpretes, fatetur tamen juxta Hebraicam litteram ab Adamo ad diluvium tantum supputati annos mille sexcentos, quinquaginta sex.

Rex sanè Alfonso decimus, de quo & in hoc capite agimus in chronicis, † ab Adamo ad Christi adventum connumerat annos quinquies mille nonaginta novem. Apud quem opinor ipse codicem corruptum esse, & scribendum fore, annos quinquies mille centum nonaginta novem, eaque suspitione ducor, quòd existimem regem sapientissimum vo-

luisse in chronicis sequi Eusebium & alios, qui ex septuaginta interpretibus hanc temporis rationem observari conati sunt.

Rursus idem Rex, quod mirum est, in tabulis Astronomicis supputat ab Adamo ad Christum annos 6984. & 221. Ab Adamo ad diluvium annos 3882. & dies 167. Qua in re Alfonso ipse parum sibi constat, cum apud eum sit tanta in sacris annis connumerandis varietas & dissensio.

Hæc tandem adduximus longè quidem repetita; ut facilius possimus examinare rationem temporis ab Adamo ad initium principatus ipsius regis Alphonsi, qua in dicta præfatione idem usus est. Nam ex præmissis apparet, eam non convenire veritati Hebraicæ, & illi supputationi quæ ex ea deducitur. Quod facillimè poterit quis deprehendere, eò quòd juxta Hebræorum supputationem principatus Alphonsi initium habuerit anno ab Adamo ferè 5220. ex Beda; vel 5200. ex Beda; vel 5211. juxta Joannis Lucidi opinionem. Multo minus convenit Chronologia dictæ præfationis supputationi Eusebij, & aliorum, qui septuaginta interpretes sequuntur: esset enim primus annus principatus regis Alphonsi ab Adamo 6450. Quòd si præfationem istam velimus intelligere juxta rationem temporis, qua idem Rex Alfonso in tabulis Astronomicis utitur, erit perfectò multò major differentia; nam ex ea computatione annus primus principatus Regis Alphonsi erit 1235. Quibus omnibus observatis, poterit in hac prima supputatione præfationis numerus verus restitui, secundum opinionem illam, quam Regem Alfonso secutum fuisse, sit rationi magis consentaneum. Ego sanè opinor, in hac præfatione Regem veritatem Hebraicam secutum fuisse, atque ideo ex Driedonij supputatione suspicor, scriptorum errore factum esse, ut bis centum anni fuerint propè omissi.

Est in eadem præfatione maximus † error in Chronologia deducta à diluvio, & universali cataclysmo: etenim nec convenit veritati Hebraicæ, nec Græcorum supputationi, quum secundum priorem ab Adamo ad diluvium fuerint anni mille sexcenti quinquaginta sex: secundum posteriorem bis mille ducenti quadraginta duo: & juxta præfationem istam tantum sexcenti sexaginta octo, quòd nullus unquam scripsit. Qua ratione juxta veritatem Hebraicam erit in hac præfatione locus de diluvij tempore emendandus, ita quidem, ut à diluvio ad principatum Alphonsi Regis adnumerentur ter mille quingenti, sexaginta quinque anni: si primam temporis rationem ex traditione Driedonij additis ducentis annis emendaverimus: aut paucis ab hoc numero detractis annis ex Bedæ aut Joan. Lucidi supputationibus. Quòd si quis dixerit, Regem Alfonso secutum fuisse in hac præfatione Eusebium & sequaces (quòd falsum mihi videtur) adhuc error est in annorum numero à diluvio ad principatum Alphonsi, qui tolli tunc poterit si numerentur à diluvio anni quater mille ducenti & octo.

In his verò duabus supputationibus ab Adamo, & diluvio, ex diebus, quos post annos integros addit Rex Alfonso, nisi & hoc in loco subsit scriptorum vitium, deducitur, apud Hebræos annum incipere à die 18. Augusti, quoad rationem temporis ab Adamo considerandam. Nam ab hac die usque ad ultimum diem Maij, qui fuit primus principatus & regni Alphonsi, adnumerantur 287. dies quorum in hac præfatione fit mentio. Eadem propriè ratione constat, apud Hebræos annum quoad diluvij tempus describendum, initium capere à die 16. Februarij: à qua ad diem ultimam Maij sunt dies centum & quinque, quos in loco supputat Rex Alfonso.

Qua in re omnino est adnotandum, apud Hebræos duplex observari anni initium, † quòd paulò antè obiter

obiter adnotavimus: nam ante exitum Judæorum ex Ægypto annus incipiebat ab æquinoctio Autumnali: postea verò initium annus adsumpsit ab æquinoctio verno; nempe à luna, quæ huic æquinoctio, vel alteri proximior erat. Quemadmodum nullo ad hoc citato auctore scribit Gulielmus Postellus in *lib. de Erruria Regionis institutis*, & ante ipsum adnotarunt Nicolaus Lyranus in *Genesim cap. 7.* idem Lyranus & Burgensis *cap. 12.* Id verò mihi probat Joseph. *lib. 1. antiquit. cap. 5.* ubi de diluvio tractans inquit *Contigit autem hac passio sexcentesimo anno nativitatibus Noë, mense 2. qui à Macedonibus Dium nuncupatur, ab Hebræis autem Marachar, seu Amarfuane. Sic enim in Ægypto annum constituerunt. Moses autem Nisan mensem, qui est Xantichus, primum in festivitatibus definivit, in quo ex Ægypto Hebræos eduxit. Hic autem apud eum in cunctis muneribus divinis valde pollebat; in venditionibus autem, & emptionibus & alia gubernatione, prioris seculi decreta servavit.* Hæc Josephus. Apud quem Dium mensem eum intelligo, qui apud nos est Novembris ex Eusebio *lib. 8. Eccl. histor. ex Græco Codice fol. 92.* Anselmo *lib. 2. de imagine mundi, cap. 6.* & Suida qui scribit, hunc mensem esse primum apud Macedones, & constat Octobrem esse ultimum. Quod & nos observavimus superius *cap. 14. nu. 12.* Quo fit, ut Græcus Plutarchi Codex in *Arato* sit emendandus, ubi *Desus* mensis Macedonum conferatur Novembri Atheniensium: est etenim scribendum, *Dius* mensis, non *Desus* qui Junio respondit, non Novembri, ex eodem Suida, & Euseb. in loco proximè citato. Quamvis idem Plutarchus in *Alex.* mensem, qui à Macedonibus *Lous* dicitur, & Augusto convenit, ex *Evagrio lib. 8. cap. 9.* Suida, & *Demosthene in oratione de corona.* ubi illum contulit *Σονδοποιουσι* Atheniensium, conferat *Ἰανουαριου*, id est Junio. Ut tandem Plutarchus in hac mensium collatione ab aliis dissentiat, vel codicis sit vitium; quod magis applaudet. *Xantichus* verò mensis apud Macedones responderet nostro Aprili, ex eodem Eusebio in *d. lib. 8. fol. 91. & 92. & lib. 3. c. 8.* Socrate *lib. 5. c. 22.* Evagrio *lib. 4. cap. 9.* Anselmo in *d. c. 6.* ex Josepho Græco *lib. 6. cap. 31.* & Latino *lib. 7. de bello Judaico, cap. 12.* Idemque Suidas adnotavit. Secundo equidem mense diluvium contrigisse planè probatur *Genes. cap. 7. & 8.* At Josephus secundum mensem illum fuisse asseverat, quem Macedones Dium appellant, quem nos Novembrem dicimus: erat igitur tunc primus anni mensis Octobris, id est, lunatio illa, quæ proximior eo tempore fuit Æquinoctio Autumnali, quod licet hodie propter anticipationem contingat mense Septembri, olim tamen Octobri nostro respondebat: sicuti Joan. Lucidus, & alij docere conantur: etiam eadem ratione docentes, olim Æquinoctium vernum nostro Aprili convenisse, modò verò Martio convenire. Hinc apertissimè deducitur, Regem Alfonso in hac præfatione minimè observasse initium anni Hebræici ab æquinoctio verno, nec ab æquinoctio autumnali: fortassis ex eo, quod apud Hebræos quamvis quoad res sacras, & conventiones, ac contractus essent certa cujusque anni principia, tamen quoad numerum dierum quidam anni majores, quidam verò minores erant: & præterea propter mutationes lunationum, anticipationem æquinoctiorum, & varia mensium initia, non poterant non esse annorum primi dies incerti. Adhuc tamen potest defendi hujus præfationis dierum supputatio, qua in adnumerandis annis ab Adamo, & à diluvio usus est sapientissimus Rex Alfonso: nisi præmittamus, Regem Alfonso initium anni ab æquinoctio verno quod Astronomis est in usu, observasse, annosque constituisse paulò minores Romanis, ita quidem, ut mille & quingentis annis, dies ferè quindecim supersint ex Julij Cæsaris observatione. For-

Didaci Covarr. Tom. II.

tassis in supputatione, quæ fit ab Adamo in hac præfatione, dictio illa, *Docientos*: fuit mutata à suo loco à scriptore: atque idè erit legendum: *La Era de Adam en cinco mil docientos y veynete y un años Hebraicos, ochenta y siete dias.*

Subsequitur in eadem præfatione † numerus annorum ab imperio Magni Nabuchodonosor ad principatum Regis Alfonso, & connumerantur anni mille nonaginti nonaginta octo; quibusdam additis diebus: & sanè juxta supputationem Driedonij adnumerantur anni mille octingenti sexaginta sex. Unde nec hac chronologia fuit vera temporis ratio in eadem præfatione observata ex Eusebio, Beda, Joanne Lucido, & aliis minor aliquantulum annorum numerus deducitur, quàm fuerit à Joanne Driedonio supputatus. Est igitur error in hac adnumeratione ex centum & triginta annis.

Ex Philippo denique Macedonum Rege ab eodem Alfonso ratio temporis sumitur ad numerum mille quingentorum sexaginta quatuor annorum, in qua error est: nam auctoribus Eusebio, & sequacibus, Philippus regnare cepit anno tertio, 104. Olympiados: aut secundum Diodorum Siculum, & Laetium, in *vita Xenophontis* anno primo 105. Olympiados regnavitque viginti sex annis. At Redemptor noster Jesus Christus natus est anno quarto centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiados, auctore Lucido: aut anno tertio, auctoribus Eusebio, Glareano, & Haloandro. Qua ratione ab initio principatus Philippi ad Christum sunt anni ferè trecentum sexaginta: & ab eodem Philippo ad Regem Alfonso mille sexcenti, & undecim anni. Huic errori accedit & alter, ex quo duo tantum anni adscribuntur imperio Philippi ante ejus filium Alexandrum, quod est ab omnibus historicis alienum. Non me latet, in historia hujus Regis Alfonso, & in historia Ferdinandi quarti, & Sanctij itidem quarti, rationem temporis ita describi, ut anni undecim tantum tribuantur Philippo Alexandri Magni patri, qua ratione foret legendum in hac præfatione: *E la Era de Philippo el gran Rey de Grecia en mil quinientos y setenta y tres años Romanos.*

Sed & in Alexandri Magni principatu † subest error in ratione temporis, quæ in eadem præfatione traditur: siquidem Alexander cepit regnare ante Christi adventum anno trecentesimo trigesimo quinto, & ante principatum Alfonso Regis anno 1585. Unde Æra ab Alexandro Magno hac in præfatione adnumerata, ex annis mille quingentis sexaginta duobus erit juxta præscriptum numerum corrigenda. Annos verò Alexandri Magni idem Alfonso in tabulis ab Octobri ex Græcorum more incipientes adnumerat.

Æra verò Cæsaris ex annis mille bis centum octuaginta novem optimè convenit anno Domini 1251, quod & nos observavimus *lib. 2. Variar. resolut. cap. 12.* atque idè nullus subest error in hac supputatione, quæ ab Æra Cæsaris in eadem præfatione fit. Æra etenim Cæsaris triginta octo annis præcedit Christi nativitatem; secundum omnes; imo ipso Rege Alfonso auctore in tabulis, additur his triginta & octo annis dies unus. Ex quo intelliges, quam ratione in hac præfatione ab Æra Nativitatis adnumerentur centum quinquaginta duo dies ad initium regni Alfonso, & ab Æra Cæsaris centum & quinquaginta tantum.

Cæterum in supputatione, quæ fit in eadem præfatione ab Æra Arabum † & Mahumeti, an subest error aliquis, inquirendum erit, priùs constituto tempore, à quo Arabum anni inceperint. Nam si Arabum initium deducitur ab anno Domini 626. quemadmodum ex Sabellico in eadem præfatione observavit Gregorius; error subest in computatione, quia non conveniunt anni Domini mille ducenti quin-

99

quaginta

quaginta & unus, annis Arabum sexcentum viginti novem, aut ferè triginta. Ego sanè arbitror, nulum subesse errorem hac in parte in dicta præfatione: quod probabitur, si conspicerimus, initium Arabum anno Domini 622, ita ut annus 22. post sexcentissimum sit primus in Arabum chronologia: quod Joannes Lucidus expressim adnotavit in *chronicis*. Et probatur auctoritate Roderici Archiepiscopi Toletani, *lib. 3. cap. 18. & 19.* ubi annus Arabum nonagesimus primus adscribitur anno Cæsaris 750. & annus Arabum 92. anno Cæsaris 751. & rursus annus Arabum 93. anno Cæsaris 752. Ex quibus ad veram adnumerationem deductis constat, Arabum Æram incepisse anno Domini 622. Cui opinioni accedit historia ejusdem Regis Alfonso decimi & Sancti ejus filij quarum *cap. 1.* Anni Arabum juxta eandem rationem adnumerantur: sicuti & in hac præfatione, in qua anni Arabum 629. deniq; triginta, conveniunt anno Domini 1251. ac ferè secundo. Sic sanè apud Roderic. Toletanum in *lib. 3. c. 17.* dum legitur: Arabum verò 91. Æra 749. est omnino legendum, Arabum verò nonagesimo, Æra 749. Alfonso Episcopus Burgenf. *cap. 44.* & Matthæus Palmerius Arabum Æram adnumerant ab anno Domini 623. Isidorus Pacenf. ab anno Domini 617. Florentinus ab anno 640. Anton. Beuter ab anno Domini 593.

Verùm in hujus regni Castellani *chronicis*, in quibus similis ferè huic chronologia traditur, passim diligens lector errores in ratione temporum observanda deprehendet, vel scriptorum vitio, aut ignorantia eorum, qui absque exactissima temporum cognitione easdem historias in publicum emisere. In omnibus etenim, quas ipse legi, hujus regni *chronicis*, memoria teneo, hujuscemodi errata non semel observasse.

## CAPUT XIX.

De festorum dierum apud Christianos celebratione deque eorum origine.

## SUMMARI A.

- 1 Festorum dierum celebritas jure divino veteris testamenti instituta fuit.
- 2 Præceptum decalogi de Sabbatis sanctificandis, partim est morale, partim ceremoniale.
- 3 Præceptum hoc, quia ex parte morale censetur, est & juris naturalis.
- 4 Festorum observatio etiam est jure divino Evangelico instituta.
- 5 Qui verò dies sint à Christianis Religionis causa observandi, ad jus Pontificium humanum pertinet.
- 6 An diei Dominica celebratio sit jure divino, an Pontificio humano instituta.
- 7 Quibus diebus prohibita sit genusflexio in precibus Deo exhibendis.
- 8 De origine aliquarum festivitatum, quæ Christianis solennes sunt, & olim fuere.
- 9 In his festivorum dierum celebrationibus, quæ nunc ratione dies considerentur.
- 10 De pervigilationibus, & nocturnis sacrificiis.
- 11 Hoc sanctificationis dierum præcepto, externus cultus, non internus præcipitur.

Festi dies olim apud Gentiles dicebantur, in quibus sacrificia diis offerre Gentes consuevere, vel Iudi in honorem dierum fiebant, vel feriæ observabantur: ut sanè alicujus publicæ lætitiæ, bonive eventus causa diuturnis epulationibus celebrabantur solemnitates quædam more majorum institutæ. Verùm apud Christianos dies festi dicuntur, in quibus

feriari oportet, quod & Gentilibus solemne iudicium erat, ut veri Dei agnitione, animo interiori cultu instituto, quod mente complexi sumus, exteriorem cultum Deo exhibendo, sanctè & piè præstemus. Est igitur hac in re, ut in plerisque, maximum inter nos & Gentes discrimen: quod illæ animorum insipientia tenebrisque illufæ, festa quædam agere solebant, superstitiosa quadam religione convictæ, in deorum quorundam celebritatem, quos ante veram Christi lucem finxerat sibi quisque, dæmone semper humanum genus, ut ejus officio & impio munere fungeretur, miris præstigiis infestante. Nos verò, qui Christi fidem profiteamur, festa quidem agimus in hoc unum intenti, ut Deo vero, quem unum in Trinitate Patris, Filij à Patre geniti, & Spiritus sancti ab utroque procedentis, pio, ac sanctorum Christianorum consensu tota mente & anima prædicamus, verum cultum, internum, inquam, & externum exhibeamus. Cujus institui antiquitatem & originem libuit ex sacra Scriptura, & Ecclesiasticis traditionibus brevi quadam observatione adnotare, ad veram Juris Pontificij interpretationem, ut rationem ipsam perscrutemur, qua in his festis ac celebritatibus instituendis usi fuere olim, & nunc sanctè & piè utuntur Ecclesiæ Catholice Prælati, Romanum Pontificem, qui primatum obtinet, secuti.

Prima conclusio: † Festorum dierum celebritas religionis causa, jure ac lege veteris testamenti instituta est divina institutione, extertio Decalogi præcepto. Hoc probatur *c. 5. Deuter. Exod. 21. & 30. Ezechiel. 20.* Quibus in locis constat, ex lege veteri præceptum esse, ut Sabbata sanctificarentur. Sabbatum enim apud Hebræos requiem significat: aut ab opere cessationem: atque idè dies septimus hebdomadæ dictus est Sabbatum, quod fuerit in requiem destinatus. *Septimus dies*, inquit Dominus, *erit vobis sanctus, Sabbatum, & requies Domini.* Sed & sabbatum, latius accepta dictione, totam hebdomadam postea significavit. Sic etenim *Luca c. 18.* scriptum est, *Jejuno bis in sabbato*; ut illic interpretes adnotarunt, tametsi propria hebdomada constabat ex Sabbato, & Prima, Secunda, Tertia, Quarta, Quinta, & Sexta sabbati, auctore Hieronymo *qu. 4. ad Hedibiam.* Unde illud *Jo. c. 20. Una autem sabbati*, & *Luc. 24.* atque item *Marci 16. Es valde mane una sabbatorum*, & apud Matthæum *cap. 28. Prima sabbati*, diem quæ nunc Dominica est, & tunc erat prima post sabbatum significat: ut ibidem post alios Cajet. interpretatur. Eadem ratione dicimus & nunc *Secundam feriam, Tertiam feriam, Quartam feriam, Quintam feriam, Sextam feriam*: à prima, quæ dies Dominicus est, numerum deducentes: sabbatum verò, quod est septima feria, nomine veteri appellamus, ex institutione beati Sylvestri, auctore Bedæ *lib. de temporib. cap. 18.* Thomæ Waldensii *de sacramentalib. cap. 104.* Et constat ex vita ejusdem Sylvestri à Græco in Latinum traducta, & typis tradita, operâ & curâ Aloisij Lipomani, *quinto vitarum tomo.* Judæi sanè omne festum sabbatum nuncupabant ex eo, quod *sabbath* requiem sonat, quemadmodum adnotarunt Theophylactus, & alij *Luc. cap. 6.* Idem sensit Chrysostomus *Homilia 40. super Matth.* qui equidem auctores apud *Lucam in d. Et. cap. 6.* sabbatum secundo primum, hoc est, *δευτερόπρωτον*, intellexerunt, quando quies atque otium duplex erat, tam sabbati Domini, quàm solemnitate alterius præcedentis, quia plerumque incidebat festum in parascevem, & tunc parasceve vocabatur sabbatum propter festum: & quod propriè sabbatum erat, nominabatur secundo primum, quod secundum esset ab altero festo, & sabbato, quod præcesserat. Tametsi Cajetanus locum illum aliter, & fortassis rectè inter-

interpretatus fuerit scribens, sabbatum, secundo-primum dici ultimum diem festivitatis ex multis sabbatis, ubi asseverat sabbatum istud fuisse primam diem Azymorum, ex eo quod primus esset ab Azymis. Secunda verò Paschæ, quæ inceperit decimaquinta. Rectius profecto Chrysoft. in d. homilia 40. in *Matth.* scribit sabbatum secundo-primum esse diem in quo quies & otium duplex erat, tam videlicet sabbati proprii, quàm solemnitatis in eo incidentis; nempe quando in sabbatum propriè dictum alia incidebat solemnitas. Tertio igitur decalogi præcepto affirmativo exterior præcipitur Dei cultus, nempe corporalis requies, & cessatio ab operibus servilibus, ad famulandum Deo, & ut liberi ab operibus prophanis, mente Deo intenti, cultum exhibeamus, exteriorem inquam: sub quo nobis, qui sensibiles sumus, proponitur interior cultus, ut meditatio, mentalisque oratio, exterarum rerum similitudinibus. Sic per exteriorem thurificationem institui- mur, quemadmodum orantis mens in Deum sit ele- vanda.

2. Secunda conclusio: † Præceptum decalogi de sab- batis sanctificandis partim est morale, partim cære- moniale. Hanc conclusionem asseverat S. Thom. 1. 2. qu. 100. art. 3. ad 2. & 2. 2. qu. 122. art. 4. quem omnes Theologi secuti sunt. Est enim hoc præceptum morale, ut omnes homines, cum jure teneantur unum Deum colere, tempus aliquod debeant secer- nere, atque ab aliis profanis actibus eximere. Deoque colendo dicere, ut illi cultum exhibeant, illumque venerentur. Nam & Psaltes inquit *Psalms.* 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus.* Ea- dem conclusio probatur ex eo, quod præcepta de- calogi omnia non tantùm moralia sunt, sed & ad illa decem omnia præcepta moralia veteris legis reducuntur, auctore D. Thoma in d. *quæst.* 100. art. 3. cujus rationes expendit diligenter Dominicus So- to li 2. de *justitia & jur.* 9. art. 3. idem probaverat D. Thom. qu. 99. art. 2. & qu. 100. art. 2. Hoc tandem morale præceptum in eo situm est, ut ho- mo, qui corpore constat & anima, aliquo saltem de- stinato tempore, & corpore & animo ferietur at- que requiescat, intentus sanè laudi, contemplationi, ac venerationi Dei omnipotentis, ut corpus labore fatigatum alterna requie non careat, & ipsa mens ab externis laboribus immunis & libera, divinæ leg- is meditatione, rerumque divinarum memoria & re- cordatione refectio, gratias agat Deo optimo maxi- mo, à quo tanta, & tot beneficia gratuito accepit. Est hoc præceptum cæremionale, quantum ad cer- tum tempus, quo feriari nos oporteat, & cultui di- vino vacare atque indulgere: sic sanè quod vel hoc die, vel illo celebretur festum, ad cæremonialem leg- em pertinet; & ea ratione apud Judæos sabbati, quod erat septima dies, requies, & ab omni opere cessatio, præcepta erat ex lege cæremionali variis ex causis, quas Sancti Doctores passim explicant, & nobis tradidere, ut veteris legis rationem mini- mè ignoremus, quamvis ad ejus observationem ne- quaquam teneamur.

3. Tertia conclusio: Præceptum hoc † de festis die- bus celebrandis, qua ex parte morale censetur, est & juris naturalis. Hæc probatur, quia omnia præ- cepta moralia sunt juris & legis naturalis, auctore S. Thom. 1. 2. *quæst.* 100. art. 1. ex Paulo ad *Rom.* ubi inquit, *Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt:* explicat Dominic. Soto lib. 2. de *justitia & jure*, *quæst.* 3. art. 1. Hoc verò præceptum partim est morale: consequitur ergo, ea ex parte juris natura- lis esse, & ad legem naturalem pertinere. Huic rati- oni & alia accedit, quod omnes Gentes solo lumi- ne naturali, solisque viribus naturalibus potuerunt ve- rum Deum cognoscere, ea quidem cognitione, quæ tendit in finem naturalem: non, inquam, to- *Didaci Covarr. Tom. II.*

tam Dei virtutem & essentiam cognoscere, sed per hæc visibilia apprehendere, quod sit Deus, & unus, & prima rerum omnium causa, & supremus omnium finis. Sic D. Paulus ad *Rom.* 1. objugat philosophos, *quia quod notum est Dei, id est, acumine naturali de- Deo est cognoscibile, manifestum est illis.* Id ipsum veteres Theologi probarunt, præsertim Lactantius Firmianus lib. 1. *Divin. instit.* cap. 4. cum sequenti- bus, ex testimonio veterum philosophorum, quo- rum diligenter meminit Augustinus Eugubinus lib. 3. de *perenni philosophia.* Ac rursus idem institutum prosequitur lib. 4. 5. & 6. Sed & D. Thomas hoc ipsum probat 1. part. *quæst.* 12. art. 12. Cum verò, in- quit Lactantius, *ipso decorum cultores sæpe videamus Deum summum, & confiteri, & predicare, quam sibi veniam sperare possint impietatis suæ qui non agnos- cunt cultum ejus, quem profusus ignorari ab homine ne- fas est?* Quod si lumine naturali unus & verus Deus dignosci poterat, eodem jure, qui verum Deum & unum cognovere, tenebantur dubio procul ei- dem cultum aliquem exteriorem exhibere, ut mente & animo illi essent intenti, quem per actus ex- teriores religiosè venerabantur. Docet enim lex naturæ, religionem colendam, & cæremoniales ob- servandas fore. Hac ratione Gentes, quæ damo- num illusionibus deceptæ, pravisque moribus insti- tutæ, & ea ex causa obcæcætæ Dei optimi maximi permissione minimè Deum unum & verum cogno- verunt, ab illo naturali lumine deficientes, quo illum cognoscere poterant, diis que illis, quos falsò finxe- runt, quosque veros esse censebant, cultum exteri- orem exhibentes: dies quosdam sacraverunt, ac festa quædam quolibet anno celebranda instituentes, su- perstitiosè nimis observabant, non alio jure, quàm ut Deos, quos veros esse existimabant, cultu exte- riori, aliquo tempore ab operibus servilibus liberi, colerent ac venerarentur. Qua de re multa ex variis auctorib. diligentissimè Gregorius Gyraldus scripsit in eo libro, quem de *diis Gentium* nuper elaboravit. Sed, & Columella l. 2. c. vi. tradit quæ veteres Gen- tilium Pontifices diebus festis fieri prohiberent, & permetterent,

Quarta conclusio: † Festorum observatio non tan- tùm jure naturali, ac divino veteris testamenti, sed & divino legis Evangelicæ instituta est, & vim obliga- tionis obtinet. Hæc probatur ex præcedentibus. Nam si hoc præceptum est juris naturalis, & morale veteris legis, optimè consequitur, & esse divinum legis Evangelicæ: siquidem lex Evangelicæ continet tan- tùm ea præcepta, quæ naturalia, vel moralia sunt, & quæ ad Sacramenta pertinent: quod deducitur ex his, quæ tradit S. Thomas 1. 2. q. 108. nu. 1. & 2. idem quod lib. 4. art. 13. Etenim licet cæremonialia & legalia veteris legis cessaverint nova lege Evan- gelicæ, ejusque institutione ac promulgatione: mo- ralia tamen, & naturalia minimè cessarunt: imò ea ex parte, qua præcepta veteris legis moralia erant, & juris naturalis, etiam si lex vetus data non fuisset, à Christo sensu confirmata fuere non ex vi veteris legis sed ex vi naturalis ac moralis in- stituti: scriptum est enim *Matth.* 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, idem Marci 10. & Luc. 18.* Hinc deducitur vera interpretatio Concilij Triburien- sis, à quo responsum est, veteris & novi testamenti pagina septimum diem ad humanam quietem speciali lege deputatum fuisse, cap. *licet de feriis.* Nam veteri lege, qua ex parte cæremionalis erat, dies septima præci- pitur observari uti sacra, & cultui divino deputata: qua verò ex parte moralia lex vetus continebat, sub diei septimæ præcepto intelligitur ac significatur tempus aliquod cessatione operum servilium signan- dum esse, quo cultui divino fideles & Christiani ope- ram dare teneantur. Sic sanè lex divina veteris testa- menti quoad cæremonialia diem septimam deputa-

vit quieti, & cultui divino: quoad moralia tempus aliquod arbitrio Pontificum definiendum significabat sub septimæ diei nomine: & licet cæremonialia cessaverint, moralia tamen non cessant, imò lege divina Evangelica comprobantur: atque idè dies septima sacra censetur legè veteris testamenti divina quoad litteram, & cæremonias, lege verò divina novi testamenti quoad moralem significationem: quæ nusquam cessavit, nec cessat: quia naturalis est institutio. Qua de re nos tractavimus lib. 1. variar. resol. c. 18. n. 1. & 2.

Quinta conclusio: Quamvis huic præcepto de diebus aliquot religionis causa Deo sacrandis, cultuique divino constituendis, jure humano, etiam Pontificio, derogari non possit; qui tamen dies, & quod sint huic muneri, & ea ex causa quieti otioque ab operibus servilibus præsignandi, verè ad legem humanam Pontificiam pertinet. Hujus assertionis prior pars ex eo constat, quod hoc præceptum ea ex parte sit morale, juris naturalis, legisque divinæ Evangelicæ, quibus lege humana derogari non potest. *Sed naturalia. Instit. de jur. natur. gent. & civil. adnotavit Gratian. in princ. 5. dist. S. Thom. 1. 2. qu. 54. art. 5. Fortun. in l. ult. ff. de justis. & jur. col. 7. nos idem probavimus in quartum decretal. 2. part. cap. 6. §. 9. n. 2.* Et præterea Decalogi præcepta, qua ex parte moralia, & naturalia sunt, nullam patiuntur dispensationem: quemadmodum docet D. Thomas 1. 2. quæst. 100. art. 8. quem optimè interpretatur Dominicus Sotus lib. 2. de justis. & jur. quæst. 3. art. 8. Ergo cum præceptum juxta sensum hujus conclusionis in priori ejus parte, sit morale, naturale, nullam poterit pati dispensationem, saltem ad hoc, quin homo teneatur tempus aliquod, seu dies seu horas divino impendere cultui & religioni. Unde quoad istum effectum non exigimus necessariò dies integros, quamvis conclusio dierum meminerit, ad servandam legis veteris litteram, quæ sensim tempus aliquod, quo Dei vacemus cultui, significat. Posterior conclusionis pars satis probatur ea ratione, quod in ea parte lex fuerit cæremonialis, & idè cessaverit legis Evangelicæ institutione: lege verò Evangelica, & naturali nulli fuerunt dies otio deputati ad vacandum religioni & cultui divino: quod satis constat ex ipsa Evangeliorum lectione. Quo fit, ut quibusdam visum fuerit, jure humano Pontificio dies festos, quos nunc ex Ecclesiæ institutione celebramus, mutari omninò posse, aut denique tolli, modò tempus aliquod commodè constituatur, quod ab operibus servilibus vacantes feriemur, & Deo cultum exteriorum exhibeamus: quia dies festi quibus Christiani religionis causa feriamur, jure humano pontificio sunt instituti, quod probant S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. Florentinus 2. part. tit. 9. cap. 7. Archidiacon. & Cardin. S. Sixti in cap. 1. de consec. distinct. 3. Joann. Major in 3. sentent. distinct. 37. quæst. 27. Imò ipse D. Thomas expressim asseverat, quod diem Dominicum jure humano & ab Ecclesia institutum esse ad hoc, ut divinis officiis & religioni vacemus: qua in Ancharan. Anton. & Abb. in cap. 3. de feriis, existimant, diem Dominicæ festum jure divino institutum fuisse. Idem probant Angel. in verbo feria, §. 3. & Sylvester verbo, Dominica, qui hanc opinionem communem esse testatur. Cujus probationi illud potissimè suffragatur, quod à sæculo usque Apostolorum dies Dominica fuerit ab Ecclesia Catholica in honorem Dei celebrata: ex Paulo 1. ad Corinth. cap. 16. Nam de collectis, inquit, que fiunt in sanctos, sicut ordinavi Ecclesia Galatiæ ita & vos facite per unam Sabbati. Quo in loco Chryostomus, Ambrosius, Remigius, & alij, unam Sabbati Dominicam diem interpretentur. Imò & illic Primasius commemorat, diem Dominicæ celebritatem ab Apo-

stolis descendisse, ex testimonio D. Ignacij Episcopi, qui ferè tempore Apostolorum fuit sanctitate & doctrina illustris. Idem sentit Augustinus Episc. 119. ad Januarii quæstiones, c. 13. scribens: Dies tamen Dominicus non Judæis, sed Christianis resurrectione Domini declaratus est, & ex illo habere cepit festivitatem suam. Hæc Augustinus, ex quo observari poterit ratio, quare Sabbatum in diem Dominicum mutatum fuerit. Nam ratio illa commemorandi beneficium creationis in festivitate ejus diei, in qua Deus ab illa requievit, mutata est in beneficium recreationis, quæ facta est à Christo per gratiam, & absolutum fuit diè Dominico per ejus resurrectionem: fuitque illa lux in statu gratiæ primæ, multo præstantior illa, de qua tunc dictum est: *Erat lux.* Et præterea olim in lege veteri tradita fuit celebratio Sabbati, quod erat requies mortuorum: resurrectio autem nullius erat usque ad Christum Dominum qui diè Dominico resurgens fecit, ut dies hic olim octavus, nunc in lege Evangelica sit primus, & Sabbato in festivitate succedat. Idem Augustinus in episc. 85. ad Casulanum. Præponitur, inquit, dies Dominicus Sabbato fide resurrectionis. Hæc & Isidorus scribit lib. 1. de offic. c. 24. multa Thomas Waldensis de sacramentalib. tit. 16. cap. 140. qui probare conatur, diem Dominicæ festivitatem ab Apostolis institutam fuisse. Tertullianus adversus Gentes, c. 16. proximè his accedit dicens: *Equè si diem solis lætitiâ indulgemus, alia longè ratione, quam religionis solis, secundo loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi à Judaico more, quem ignorant.* Diem Solis Tertullianus intellexit diem Dominicum: ut & Imperator in leg. omnes judices, C. de fer. Quo in loco & Theodol. Cæsar in leg. omnes dies, id evidentiùs explicat, adnotavit Angel. Politianus libr. miscell. cap. 8. ex Dione lib. 37. Idipsum observari poterit ex Eusebio lib. 4. de vita Constantini Magni, Sozomeno lib. 1. cap. 8. Cassiodoro lib. 1. ripari. cap. 10. Nicephoro lib. 7. cap. 46. Quibus minimè citatis Ludov. Cælius idem tradit lib. 7. cap. 41. & 42. Sic & hoc ipsum traditur in vita B. Sylvestri Græcè quidem scripta, in Latinum verò traducta opera Aloysij Lippomani s. Tomo. Dominicam verò diem hoc nomine, primam Sabbati, primam, inquam, hebdomadis diem significat D. Joann. Apocal. cap. 1. Sed & diem Saturni Sabbatum esse constat ex Dione. Reliqui verò dies adhuc apud nos Planetarum nomina retinent. Idem ferè constat ex Justino Martyre in secunda oratione pro Christianis, ultima pagina, qui diem Solis à Christianis celebrari ex eo tradit, quod illo die Deus mundum effecerit, & eodem Jesus Christus à mortuis resurrexerit, & addit pridie Saturni Christum cruci affixum fuisse, & postridie Saturni, qui dies solis est, surrexisse. Nec quidquam oberit, quod auctoribus Eusebio, Sozomeno, & aliis, Constantinus Magnus lege data definierit diem Dominicæ celebritatem. Etenim legem illam tulit Constantinus generalem, & universo Romano orbi hujus diei festivitatem indixit, Apostolicas traditiones imitatus, non quod tunc apud Christianos cæperit hic dies celebrari, sed ante Constantinum celebrabatur ex institutione Apostolorum à Christianis, non ex lege Cæsarea, quæ tunc utilis ac necessaria fuit, ut subditi Romano Imperio ex Edicto Cæsaris diem illum colerent diligentius & cautiùs, ne Cæsari forent rebelles, sed ex lege Apostolica, cui plures refragari non verebantur. Leo etiam Tribunicius Imperator auctore Theodoro Lectore, multò post Constantinum Magnum eandem legem de novo repetitam, Romanis eorumque provinciis dedit, non equidem novam, sed veteris memoriam renovatam. Huic rationi accedit, quod Origenes contra Celsum festivitatis diei Dominicæ meminit. Terrull. de corona militis, rursus in 2. lib. ad

uxorem. Hieronymus *adversus Vigilantium*, & Justinus Martyr in *questionibus à Christianis positis*, q. 115. ex Irenæo referens, diem hunc Apostolorum temporibus celebrari quodam aliorum dierum discrimine, quod hic dies sit nostræ resurrectionis significatio, quæ Christi benignitate, & à peccatis, & à morte, quæ ab illo interfecta est, liberati sumus, per Christi resurrectionem. Unde sempiterna memoria, inquit Justinus, *recolere debemus, & casum nostrum in peccatum, & Christi in nos charitatem, quæ ex causa surreximus: idcirco genu flexio, quam sex diebus adhibemus, casum nostrum in peccatum significat, non flectere autem genu die Dominico, resurrectionis nostræ est significatio.* Hæc autem consuetudo ab Apostolorum temporibus cepit, quemadmodum ait B. Irenæus Martyr & Lugdunensis Pontifex in libro de Pascha, in quo mentionem Pentecostes facit, in qua genu non flectimus, quod eodem loco habenda sit, quo Dominicus dies, ob eam causam, quam de eo diximus. Hæc Justinus. Obiter tamen admoneo lectorem, me maxime dubitare, an opus illud fuerit à Justino Martyre scriptum. Quæ etenim fieri potest, Justinum citare Irenæum? qui, ut ipse ex Eusebio, Hieronymo, Nicephoro, & aliis conjecto, post mortem ipsius Justiniani floruit, & scripsit, saltem martyrio coronatus est. Atque idem à fide historiarum alienum est, quod Justinus Irenæi jam Martyris & mortui meminerit. Ipse verò Irenæus in quinto *adversus hæreses*, Justinum meminit, & ejus operis, quod contra Marcionem hæreticum scripsit, teste Hieronymo. Sed & Eusebius in *Chronico* multo antè Irenæi martyrium, ipsius Justiniani mortem & agonem pro religione Christiana contigisse tradit. Præter hæc in eodem opere citatur Origenes c. 82. & c. 86. qui dubio procul post Justiniani martyrium claruit, imò & natus est; quod ex Hieronymo, Eusebio, Hermanno Contracto, & Nicephoro constat; nec istius operis meminere Hieronymus, Eusebius, Nicephorus, Photius, & alij qui Justiniani scripta, & libros adnumeraverunt. Idem verò Justinus in *Dialogo cum Tryphone* de die Dominico, in quo Dominus noster Jesus Christus surrexit à mortuis, quem unum Sabbatorum nominat, scribit: *Unus enim Sabbatorum dies, cum primus maneat dierum omnium, omnium rursus dierum, qui in orbem revolvuntur, enumeratione octavus vocatur, idemque primus manet.* Hæc Justinus *adversus Judæos*. His denique veluti per transfennam, digressionem quadam observatis diem Dominicam rursus repetentes, libentissimè adducemus in signum, Justinique apertissimè conveniens D. Basilij testimonium, is inquam, in *lib. de Spiritu sancto*, c. 27. traditiones Ecclesiasticas & Apostolicas mirè commendans inquit; *Et erecti perficimus preces in una Sabbati, id est, die Dominico: rationem autem non omnes novimus. Non enim solum, ut qui surreximus cum Christo, & qui superna querere debeamus, in resurrectionis die data nobis gratia, per hoc quod stamus, in precando nos ipsos commonefaciamus: sed quod etiam venturi seculi is dies quodammodo imago esse videatur. Quapropter etiam cum principium sit dierum, non prima à Moysè, sed una appellata est. Factum est enim, inquit, vespere, & manè dies una velut eadem sæpe revolvatur. Una itaque eadem est octava: unam revera, ac veram octavam, cuius Psalmographus in quibusdam Psalmorum inscriptionibus meminit, per seipsam demonstrans, statum videlicet post hoc tempus, diem non desitutam, vespeream non habentem, & successionem non admittentem, ævum illud nunquam finiendum, ac senij expers. Necessario igitur Ecclesia erudit alumnos suos, ut stantes absolvant, quo per assiduam commonefactionem vitæ non desituta, viaticorum ad illam transmigrationem parandorum non negligentes simus. Sed & totus quinquaginta dierum numerus, Pentecostes appellata, resurrectionis, quam in illo seculo expectamus, monumentum est: una enim illa,*

Didaci Covarr. Tom. II.

& prima dies septies septem sacra Pentecostes hebdomadas efficit. Ex prima enim initium sumens, in principium desinit per similes inter medios quinquages evolvens. Unde & ævum similitudine refert, veluti in circulari motu ab iisdem signis initium sumens, & in eadem desinens. In qua etiam figuram in adoratione præferre Ecclesia leges nos erudierunt, ex manifesta commonefactione velut transferentes mentem nostram à presentibus ad futura. Quia & quoties genua flectimus, & rursus erigimur, re ipsa ostendimus, quod propter peccatum in terram delapsi sumus, & per bonitatem ejus, qui condidit nos; ad calum revocati sumus. Hæc Basilus, & his similia Augustinus ad Januarium *Epist.* 119. cap. 15. D. item Ignatius *Epist.* 3. ad *Magnesos*, diem Dominicam, diem resurrectionis appellat, ac Regalem omniumque supremam, ac de ea Psalmographus cecinisse scribit; in *finem pro octava*. Sed & octavam in Psalmorum inscriptionibus significare statum futuri sæculi docet Nyssenius in *Psalmos*, & in *tractat. de octava*. Ex quibus planè intelligitur definitio Concilij Niceni canon. 20. & c. quoniam de *conseq. dist.* 3. ubi fidelibus Christianis injungitur, ut in diebus Dominicis, & in dieb. Pentecostes stantes ad orationem vota Domino reddant. Idem fieri debere in omnibus festivitatibus, quæ jure præcipua censentur, docet Alexand. Pontif. in *cap. 2. de feriis*, quo in loco Interpretes idem adnotarunt: & Card. sancti Sixti in *dict. c. quoniam*, cui equidem canon, & Divo Basilio convenit Martinus Bracarenf. Episcopus ex Synodis Græcorum c. 57. & c. ult. 30. *dist.* D. Ambrosius in *serm.* 61. c. *scire*, 74. *dist.* Concilium Turonense, c. 37. & Burchardus *lib.* 3. c. 235. apud quem *lib.* 13. cap. 3. ex Synodo Aurelianensi, cap. 14. idem observavimus, quod modò ex Alexandro Pontifice adduximus. Verum & diei Dominicæ solemnitate ac celebrationem mitè commendat Synodus Matisconensis 2. cap. 1. & retulit Martinus Brachar. in *dict. cap. ult.* canonibus Apostolorum institutam esse, quod Dominicis diebus, & à Pascha ad Pentecosten minimè genua flectamus. Sed & diem Dominicam Platonem divinasse in 10. de *Republ.* testes sunt Clemens Alexandrinus in 5. *lib. Stromat.* & Euseb. in 3. de *prepar. Evangel.* cap. 7. Quibus omnibus diligenter observatis non temerè opinabimur, hanc diei Dominicæ festivitatem ab Apostolis divina institutione edoctis, constitutam fuisse: eam etenim legimus traditione Ecclesiastica semper in Ecclesia Catholica sanctificatam fuisse, ut tandem, licet ab humano instituto Apostolorum processerit, & originem duxerit (quod quibusdam placuit) nimis indecorum esset, eam ab Ecclesia mutari, vel tolli: nec id permetteret Spiritus sanctus, cujus inspiratione quæ tot sæculis à tot sanctis Patribus & Pontificibus sunt exactissimè observata circa religionis cultum, decorem & ministerium, instituta ac decreta fuisse, satis apparet, quemadmodum probari poterit ex his quæ D. Basilus in *dict. cap.* 27. & alij veteres Theologi de traditionibus Ecclesiasticis scripsere. Idem erit respondendum de festo Paschæ, Resurrectionis, & Pentecostes, de die Natalis Domini ac Redemptoris nostri Jesu Christi, & de quæ aliis festivitatibus his similibus, quas ab initio legis Evangelicæ, ab ipsaque ætate Apostolorum celebratas fuisse constat ex veterum lectione, qui obiter plurium festivitatum meminere asseverantes, eas ab Apostolis institutas fuisse. Id etenim de festo Paschæ asserunt Hilarius in *prologo Psalmorum*, Clemens in *Epist.* 3. Hieronymus super *Mattheum* cap. 25. & Tertullianus in *lib.* 2. ad uxorem, rursus idem Hieron. *adversus Vigilantium*. Extrat & octavus Apostolorum canon de Pentecoste, D. Pauli extat locus 1. ad *Corinth.* c. 16. & *Act.* cap. 20. ubi Beda, Ambrosius super *Lucam*, & Origen. contra *Cels.* De festo Paschæ, hoc est, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, & missionis Spiritus sancti, D. Augusti-

rus ad *Januarium*: & de Cœna Domini ex 1. ad *Corinth.* c. 11. Illic Remegius, Isidor. *lib. 1. de offic. cap. 28.* De his omnibus Thom. Waldensis *lib. de sacramentalib. cap. 141.* atque etiam de festo Parasceves Origenes paulò antè citatus, & Sozomen. *lib. 2. histor. Eccles. cap. 11.* De Epiphaniæ festo Ammianus Marcellinus sub Constantino Cæsare *lib. 21.* qui ita ejus celebritatis meminit, ut planè sentiat, multò ante id temporis à Christianis celebratam eam diem fuisse. Eiusdem meminit Clemens in *constit. Apost. lib. 5. c. 13.* Theodol. Imperator in *l. omnes, C. de feriis.* Ambros. in *sermonibus* Isidor. & alij post Augustinum. Sed & ejus celebrationis: quæ Purificatio Mariæ virginis dicitur, meminit Siebertus, ejus institutionem tribuens anno Domini 542. Georg. verò Cedrenus anno nono Justiniani Magni, cui Justinianus successit, eandem adscribit, appellatque hoc festum *Hypantem*, aut *Hypopantem*: id est, processionem in obviam: quasi tunc in occursum procedamus Christo in templo sistendo: sicuti quidam interpretantur ex Martini Poloni *Chronicis*, & Nicephoro *li. 17. c. 28.* Convenit autem Georgij Cedreni computatiò anno Domini. 527. Meminit & hujus festi auctor Michrologi, scribens id appellari *Hypantem* ex eo, quòd Simon & Anna eo die obviarunt Domino, dum præsentaretur in templo. Extatque elegans Pœma de hoc festo Cosmæ Græci Pœtæ à Theodoro quibusdam scholiis enarratum, extant & de hoc occursum Domini, de beatissima Virgine Maria, & de justo Simeone, quinque patrum orationes: nempe Gregorij Nysseni, Amphiloehij, Chrysostomi, Cyrilli Hierosolymitani, & Timothei presbyteri, ut fortassis hujus celebritatis origo antiquior sit, quàm Cedrenus & Siebertus existimaverint.

Præter has festorum dierum solemnitates, summi Ecclesiæ Pontifices, & alias constituerunt, quarum mentio fit in *c. 1. de consec. distinct. 3. c. 2. & ult. de feriis*, quibus decisionibus probatur, Episcopum posse religionis causa in memoriam alicujus Martyris, vel viri ab Apostolica sede in Sanctorum numerum relati dierum celebrationem instituere, quod semper ab initio Ecclesiæ Episcopi fecere: eaque festivitates celebrandas à Christianis fore, adversus hæreticos probat Thom. Waldensis in *d. lib. de sacramentalib. c. 142.* probant & omnes qui contra hæreticos hac de re scripsere olim, & nostra ætate, sufficitque ipsius Ecclesiæ universalis auctoritas, quæ dies festos in veneratione Sanctorum quorannis celebrat, & à toto populo Christiano celebrari præcipit. Est & apud Christianos in Ecclesia Catholica, & fuit, vetusta nimis & observata consuetudo, ut in veneratione Sanctorum aliqui fuerint semper dies festi celebrati. Nemo etenim leget Ambrosium, Augustinum, Basilium, & alios Græcos ac Latinos veteres Theologos, qui planè non perspiciat eorum concionibus, eo tempore Sanctorum quorundam celebritates observatas piè, ac religiosè. Sub Anastasio primo Pontifice Maximo vir quidam Festus nomine, Senator Romanus Constantinopolim profectus propter Reipublicæ Romanæ utilitates quasdam: ubi ex animi sententia negotium cum Anastasio Imperatore confecit, etiam ei supplicavit, ut ibi Petri & Pauli Apostolorum memoria majori reverentia & cultu, sicuti Romæ fieri solet, celebraretur: ea enim nulla cura, atque sicuti fors tulisset, culta antè fuerat à Constantinopolitanis; cui petitioni Cæsar Anastasius non gravatè consentiens constitutione promulgata sanxit, ut magnificè ab omnibus conventus Ecclesiasticus in Apostolorum eorum honorem ageretur. Ab eo etenim tempore conventus ejus celebritas apud Græcos magna cœpit incrementa, atque ingenti cum lætitia est frequentata, auctore Theodoro lectore Byzantio; ex

quo idem scribit Nicephorus *Eccl. histori. lib. 16. c. 35.* & hæc prope annum Domini quingentesimum. Quia ratione deducitur, multò ante id tempus Romæ solemniter, apud Græcos non ita, nec tanta cum celebritate, Apostolorum Petri & Pauli festum actum fuisse.

De festo omnium Sanctorum, cujus meminerit Pontificia decreta in *c. 1. de consec. distinct. 3. c. 2. ult. de fer.* scribit Math. Palmerius in *Chronicis*, Gregorium quartum Pontificem Romanum jussisse, atque indixisse Gallis & Germanis, ut omnium Sanctorum commemorationem colerent & observarent, idque contigit ann. Domini. 836. cum & ante id tempus ab Ecclesia Catholica hoc festum celebraretur: sicuti constat ex *serm. D. Aug. 37. tom. 10.* Tamesi Platina originem hujus festivitatis Bonifacio IV. qui multò post Augustini tempora electus est in summum Ecclesiæ Pontificem, anno Domini ferè 608. tribuere videatur, scribens, ab eodem Bonifacio templum, quod Pantheon ab Ethnicis vocabatur, Beatiss. Virgini & Martyrib. consecratum fuisse: nec tamen ex hoc sequitur, tunc primum originem habuisse hunc omnium Sanctorum celebrationi dicatum diem. Fortassis enim id factum est, ut in eo templo ea solennitas perageretur, quæ multò antè alibi celebrabatur. Cæterum, ut paulò ante admonuimus, præter has festorum dierum solemnitates, quarum ex testimonio sanctorum Patrum meminimus, quorumque plures vetustissimam originem habuere, dies celebres frequenter ex Pontificum decreto aguntur pro diversis à Christo & Sanctis nobis præstitis beneficiis, & in memoriam sanctorum Martyrum, qui pro Christi fide sanguinem suum fuderunt: ut eis diebus simus grati Deo & Sanctis ob beneficia in nos collata, & ut Sanctorum exempla ad imitationem nos provocent, eorumque imploremus patrocinia. Nam & Hebræi præter Sabbata, & festum Paschæ à Deo eis constituta, habuerunt & Neomenias per singulos menses, Pentecosten, festum Tabernaculorum, Encænia, festum etiam pro victoria Judith, pro liberatione populi per Hester, & alia his similia, quæ lector ex veteri testamento poterit observare & colligere.

Fiunt verò à Christianis Martyrum & Sanctorum memoriæ eo die, quo mortem obiit: quia illo die nascuntur sancti viri ad gloriam & vitam æternam, quod gl. adnotavit in *c. in quadragesima. 33. qu. 4.* cujus meminerit Paul. in *c. 3. de fer.* & Corsetus in *sing. in verb. festum, gl. in leg. cum quidam, ff. de annu. legat. Rom. in singul. 33. gl. in §. cum autem, in verb. naturalib. Insti. de ungen.* & illic Angel. Hinc dies, quibus sancti viri vel occiduntur martyrium passi, vel moriuntur, natalia frequentissimè appellantur, *c. 3. de fer.* Scribit etenim Eusebius *lib. 4. Eccl. hist. c. 15.* de martyrio Polycarpi Smyrnenis Episcopi epistolam Smyrnenis referens: *ita & nos postmodum ossa preciosissimis gemmis plura estimanda, ut supra omne aurum præstantissima collegimus, & ubi decus erat, condidimus. Quo in loco, etiam nunc præstante Domino solemnes agimus, celebresque conventus, maximo quidem cum gaudio & exultatione diem passionis hujus natalium celebrantes in eorum qui martyrio coronati sunt, memoriam insignem, & ut sequentium animi, ad præcessorum viam exemplis hujusmodi invitentur.* Hæc Eusebius, qui Græcè diem martyrij sanctissimi Polycarpi *γενέθλιον*, id est, *natalitium*, dixit, quòd eo die inlytus ille Martyr ad perpetuam beatitudinem & gloriam natus fuerit.

Dies verò, quoad celebrationem, quæ religionis causa fit, à vespere incipit, & in vespera finitur, *c. 1. de consec. distinct. 3. c. 1. & 2. de feriis. Clem. 1. de relig. & venera. sanctor. gl. in c. arma. §. adjectimus de sent. excommu. in 6. & Levitic. c. 23.* scribitur, à vespere in vesperam celebratis Sabbata vestra. Hebræi



Hebræi etenim, auctore Beda, hunc usum observant in diebus discernendis, atque hic dies dicitur Ecclesiasticus: tamen quoad alios effectus variè dies consideretur ex Jurisconsulto in *l. more Rom. ff. de feri.* ubi latè hoc tractant Paul. Castr. Jalon, & alij & diligenter Andr. Tiraq. *de retract. lib. 1. §. 1. gloss.* II. Panorm. tamen in *d. de feriis*, verba illius decisionis interpretata intelligit, à vespera in vesperam, id est, ab ortu solis usque ad occasum. Cui adnotationi sermonis Latini significatio palam refragatur: nam serum diei dicitur vesper, sicut ejus principium dicitur Mane, & prima diei pars: teste Plinio *lib. 2. c. 8.* qui de Veneris stella, *Præveniens quippe*, inquit, & ante matutinum exoritur Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu resurgens, nuncupatur vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Hæc Plinius, & his similia Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 3.* Quandoque Vespera accipitur pro nocte, *Genes. c. 1.* ubi legimus; *Factum est vesper & mane dies unus.* Quod illic Divus Chrysostomus observavit; & explicat Eugubinus in *Cosmopœia.* Sic *Matth. c. 28.* scriptum est; *Vespere autem Sabbati, quæ successit in prima Sabbati,* & intelligitur his verbis nox ipsa Sabbatum subsequens, quæ tamen jam lucescere cœpisset in una Sabbati, hoc est, in die Dominico, in cujus luce matutina Dominus à mortuis resurrexit. Quibus sanè probatur, non esse Panormitani interpretationem admittendam; imò planè intelligendum responsum Pontificum, ut à vespera diei præcedentis ad vesperam diei sequentis diem festum observemus, quod publicam divinorum officiorum celebrationem: quemadmodum Ecclesia Catholica religiose observat: & notat S. Thom. *quodlibet. 5. art. 28. gloss. in dict. cap. 1.* Felin. *in capit. consulti. de offic. delegat. col. 3.* Calder. *in tract. de Eccles. inter. 6. membr.* Idem erit respondendum quoad privatam cujusque diei observationem, qua uti debet quilibet in sacris Ordinibus constitutus ex Juris Canonici decreto in persolvendis horatis precibus, Psalmisque Deo in ministerium publicum offerendis. Nam publicam celebrationem intelligemus eam, quæ ex officio ac ministerio publico fit. Illud tamen erit observandum, clericum posse, ubi privatim solvit preces ab Ecclesia sibi injunctas, diem à vespera diei præcedentis ad mediam usque noctem diei sequentis observare. Quod asseverant Florentinus *3. part. tit. 13. cap. 4. §. 4.* Angelus *in verbo Hora. §. 21.* Sylvester *in verbo Hora. question. 19.* Cajetan. *in verb. Horarum, §. quoad quartum*, modò ante mediam noctem diei præcedentis matutinum tantum officium dicatur eodem Cajetano auctore, & Florentino *2. part. tit. 9. c. 12. §. 3. colum. 5.* Sed quoad eum carnium dies incipit more Romano à media nocte, gloss. *in cap. 1. de consecr. distinct. 3.* optimè Panorm. *in c. 2. de feriis*, qui doctè interpretatur Leonis Papæ responsum *in c. de esu carniū de consecr. distinct. 3.* Eadem ratio diei moribus recepta est ad observandos dies festos cessatione operum servilium: nam ad eum effectum dies incipit à media nocte, & in media nocte finitur, qua in re plurimum valet consuetudo.

De vigiliis † extat D. Ambrosij locus in sermone 60. de festo Pentecostes, apud Gratianum, 76. *distinct. cap. nosse*, inquit, *credo, vos fratres: non minori letitia celebramus diem Pentecostes, quam diem sanctum Pascha celebrare curavimus.* Tunc enim sicut modo fecimus, jejunavimus, Sabbato vigiliis celebravimus, pernoctantes instituvimus. Hæc Ambros. Et Hieronymus super *Matth. c. 25.* inquit: *Traditio Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptij temporis: quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transiit, & sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt.* Unde reor, & traditionem Apo-

stolicam permansisse, ut in die vigiliarum Pascha ante noctis dimidium populos dimittere non liceat expectantes adventum Christi, & postquam illud tempus transierit, securitate præsumpta, festum cunctis agentibus diem. Unde & Psalmista dicebat; *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justificationis tue.* Psal. 118. hæc Hieron. Lactant. *lib. 7. cap. 19.* inquit: *Hæc est nox, quæ à nobis propter adventum Regis, ac Dei nostri privilegio celebratur, Cujus noctis est ratio, quod in ea vitam tunc recipit, cum passus est.* Hæc ille, qui maximè etrat in aliis rationibus, quas adducit. Meminit & earumdem vigiliarum Tertullian. *lib. 2. ad uxorem.* Quis enim, inquit, *sinat conjugem suam visitandorum fratrum gratia, vicatim aliena, & quidem pauperiora quæque inguria circuire: Qui nocturnis convocationibus, si ita oportuerit, à latere suo eximi libenter ferat? Quis denique solemnibus Pascha ab octidantem securus sustinebit? Quis ad convivium Dominicum illud, quod infamant, sine sua suspitione dimittat?* Hæc & alia Tertullianus, qui & Stationum Christianorum meminit. Tractum enim, ut illic docet Rhenanus, & usurpatum vocabulum istud à Romana militia hæsit in usu Christianorum. Faciebant stationem milites, præsidium certo loco agitantes, unde & stationarij dicti. Christiani nunc in hac basilica, nunc in alia convenientes, nonnunquam apud martyria, hoc est, Martyrum sepulchra, Deum stantes & attenti precabantur. Id præcipuè fiebat die Dominico. Sic Tertull. idem *de corona militis*, de milite Christiano loquens, *Jam, inquit, & stationes, aut alij magis faciet, quam Christo, aut & Dominico die, quando nec Christo.* Stationis vocabulum in hoc sensu non ignotum urbi Romanæ, ex antiquitate relictum, ipsa etiam observatione veteri per manus tradita, ac retenta, Hactenus Rhenanus. De eisdem stationibus D. Ambros. *serm. 25.* inquit: *Denique stationes vocantur, quod stantes, & commorantes in eis, inimicos insidiantes repellamus.* Verùm pernoctationes istas & vigiliis apud Ecclesias, non ita facillè admittunt Episcopi ea ratione, quod experimento cognoverint, frequentissimè vigilantes tempore abuti, atque temerè ac passim multis sceleribus, crapulis & ingurgitationibus polluere, in maximum Christianæ religionis dispendium, & gravem ignominiam: atque ideo vigiliæ, quæ olim apud Christianos erant in usu in solemnitate Paschæ, & ad Martyrum sepulchra, sublatae sunt Episcoporum & Pontificum auctoritate, nomine dumtaxat superstite. Sic Eliberina Synodus *canon. 35.* prohibuit, ne sceminae in cœmeterio pervigilent, eò quòd sæpè sub obtentu orationis scelera latenter committant. Nam & Romulus cum suos cives sæpè convenire vellet religionis causa, & hos conventus virorum ac sceminarum castos esse oporteret, nocturnas virorum & mulierum in templis pervigilationes, & arcanas Bacchi initiationes submovit, teste Dion. Halycarnassæo *lib. 2.* Nec id suis legibus omisit Cicero, qui *lib. 2.* ita statuit; *Nocturna mulierum sacrificia ne sunt præter illa, quæ pro populo ritè fiant & subdit: Quid autem mihi displiceat in nocturnis, Poeta indicant comici. Qua licentia Romæ data, quidam egisset ille, qui in sacrificium cogitatum libidinem intulit, quò ne imprudentiam quidem oculorum adjici fas fuit.* Hæc ille, & alia, quæ ad hanc rem maximè pertinere videntur. Comicos autem Poetas indicare quid illi displiceat, scribit propter supra & libidines, quæ à comicis & tragediis referuntur in nocturnis sacris contigisse, ut à Plauto in *Anulularia.* Euripide in *Bacchis.* Eupolide in *Bapris*: sicuti adnotavit Francisc. Balduin. super *Romuli legem 8.* Notat & Cicero Clodium, qui libidine sua sacra Bonæ Deæ contaminare conatus est, cujus rei præter alios Plurarchus in *Cæsare* & in *Cicero* meminit. Subindie t

Se natufconsultum idem Cicero, quo anno ab Urbe condita 563. Consulib. Sp. Posthumio Albino, & Q. Martio Philippo, sacra nocturna, nefandaque illa bacchanalia, quæ in urbem irrepserant, referente sapientissimo Consule Sp. Posthumio, sublata omnino fuit. Cujus rei extat mentio insignis apud Livium 4. *decad. lib. 9.* Nocturnaque omnia sacra & pervigilationes vetat Aristophanes facetissimus veteris comœdiæ Poëta: eaque in media Græcia Diagondas Thebanus lege perpetua sustulit. Nec mirum erit, easdem pervigilationes, quæ à Christianis olim fieri solebant, sublatas ex eo fuisse, quòd non semper fuerint castæ. A D. Hieronymo, *adversus Vigilantium*, & in *Epistola ad Riparium presbyterum* has pervigilationes, quæ tunc apud Martyrum sepulchra, & in Paschæ solemnitate à Christianis fieri solebant, piè professò, sanctè & eleganter defendit. Quis enim posset absque gravissimæ calumniæ & hæreseos nota, sanctissimos Christianorum religionis causa conventus improbare? Potius etenim summis laudibus extollenda est virorum ac fœminarum in Deum & in Martyres, sacratissimamque Virginem Dei genitricem pietas, ut, si fieri posset, religiosè, & cautè, omni submota libidinis suspicione, pernoctationes istæ permittendæ sint à Pontificibus & Episcopis: error tamen, culpa juvenum, vilissimarum mulierum, qui per noctem sæpissimè in his pervigilationibus deprehensus est, effecit equidem, ut omnino fuerint hæ pernoctationes sublatae, idque sanctè factum esse nemo, qui præsentis sæculi mores noverit, audaciamque delinquendi exactè perspexerit, poterit non fateri, & dubio procul Pontificum & Episcoporum diligentiam in præcavendis sceleribus non laudare. Jure tamen Vigilantius à Hieronymo inculatur, quòd pervigilationes Christianorum ad Martyrum sepulchra improbaverat, non tamen propter crimina, adulteria & scelera vitanda, quàm propter sanctorum Martyrum venerationem & cultum animo hæretico à piorum mentibus submovendum. Eadem ratione à Gentilibus, tempore Tertulliani, sanctissimi Christianorum conventus bacchanalibus conferebantur, quòd Ethnici exultarent, Christianos in his conventibus fœda illa excitare crimina, quæ olim ab ipsis Gentilibus impiè in tenebris religionis prætextu committebantur. Erat & de nocturnis sacris Constantij Imperatoris constitutio *lib. 16. Cod. Theodosiani*, quæ quinta est ad Cerealem P. V. his verbis: *Aboleantur sacrificia nocturna, Magnentio auctore permissa, & nefaria deinceps licentia repellatur. Dat. IX. Calend. Decemb. Constantio A. VI. & Cesare II. Coss.* Quam constitutionem ipse intellexerim non de nocturnis Christianorum sacris & pervigilationibus: nam & illæ tunc, & post permissæ fuerant, & licitè fiebant, teste Hieronymo: sed de nocturnis fœdissimisque Paganorum sacrificiis, quæ permiserat Magnentius ille impius tyrannus: qui tandem victus à Constantij Ducibus, primùm ejus matrem, deinde fratrem, postremò seipsum occiderat eodem anno, quo data est lex prædicta: nempe ipso Constantio VI. & Gallo Cesare II. Consulibus, auctore Socrate *lib. 2. c. 32. Sozom. lib. 4. c. 7. & Niceph. lib. 9. c. 32.* Huic opinioni accedit ipsius tituli Rubrica, quæ de Paganis sacrificiis, & templis inscribitur: & tandem *l. 7. ejus. titu.* quæ Paganorum sacrificia diurna nocturnaque gravissimis prohibet pœnis.

Præter hæc commemorare libet, quæ de pervigilationibus Eusebius *lib. 2. Eccles. hist. c. 17.* scribit post Philonem, qui proximus Apostolorum temporibus, imò qui ad colloquium Petri Romæ divinum verbum concionantis, ut plerique testantur, pervenit, de monachis Christianis in Ægypto li-

brum edidit, cui titulus est, *de vita contemplativa*, aut *de supplicibus*, vel auctore Suida, *vita Christianorum*: inquit enim Euseb. *Quid autem his addere oportet horum in unum conventus? Sed sum quidem mulierum, seorsum etiam virorum frequentatas conversationes, solisque & stala exercitia, quæ etiam nunc nos solt, & maxime una cum inedia, cibique abstinentia cum precibus, & cum divinatorum oraculorum meditatione in pervigiis & orationibus salutifera passionis feriis, & magna solemnitate pernoctationibus celebrare consuevimus.* Idem de aliis feriis, & de his tradit Niceph. *lib. 2. cap. 17.* Rursus de pervigilationibus ad Martyrum sepulchra eas commendans meminit Theodoretus *lib. 2. Eccles. hist. c. 24.* quæ si modò fierent ea pietate, qua tunc fiebant, jure optimo possent à summis Pontificibus & Episcopis permitti, imò essent permittendæ.

Sexta conclusio: Hoc sanctificationis † dierum præcepto exterior tantum Dei cultus, puta corporalis requies, ad famulandum Deo præcipitur, non autem interna dilectio, aut contritio, nec interior operatio. Hanc conclusionem deducimus ex S. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. Cujus sensum diligenter scrutatur & probat Dominicus Soto *lib. 2. de justit. & jur. q. 4. art. 4.* & probatur hæc opinio ex eo, quòd sub præcepto legis divinæ, vel humanæ, quamvis cadat & contineatur actus virtutis, finis verò legislatoris, aut modus virtutis non continetur, nec est sub legis ipsius vinculo & obligatione: quemadmodum docuere idem S. Thom. 1. 2. *quest. 100. art. 9. & qu. 96. art. 3. & 2. 2. qu. 44. art. 1. 4. & 8.* Cajetan, ubique. Palud. in 3. *sentent. distinctio. 37. quest. 1. colum. 3.* & ibi Joann. Major. *quest. 15.* nos item hac de re multa scripsimus in *cap. Alm. mater de sent. excom. in 6. in prioris partis, §. quini.* Igitur internus cultus, qui ad contritionem pertinet & ad dilectionem Dei, quòd velut in finem tendit legislatoris mens, non est sub ipsius legis vinculo. Ad hæc accedit, quòd Ecclesiasticum institutum, quo cultus hoc præcepto jussus per hoc determinatur, quòd est Missarum solemnitas audire cum decenti reverentia & attentione, ut sit actus humanus, *c. missa. c. omnes fideles de consecr. distinct. 1.* ad cultum nos tantum externum obligat & arctat: ergo palam est, præcepto divino non esse alium actum comprehensum, cum alioqui, nisi illum explicaret, non esset Ecclesia fida divini juris interpret. Est & alia hujus assertionis ratio, quòd hujusmodi præcepta, quibus aliquid inungitur, non obligant ad charitatis modum, sed possunt quantum ad substantiam operum extra charitatem impleri, ita ut evitetur peccatum: ergo præceptum hoc quoad substantiam operum servatur & adimpletur, ut & alia præcepta, extra charitatem: nec ex eo tenetur quis in die festo se ad gratiam præparare. Et propterea præceptum dilectionis Dei non est in Decalogo inclusum, sed extrà in fronte præfixum, tanquam omnium præceptorum finis: si modum charitatis consideremus, non ut est singularis objectio, sed ut est universalis conditio omnium virtutum. Hac etenim ratione considerata dilectio Dei, licet sit finis omnium præceptorum, 1. *ad Timoth. 5. finis præcepti charitatis*, non includitur in quolibet præcepto Decalogi, quamvis in omnibus ut finis præmittatur. S. Thom. 1. 2. *qu. 100. art. 4. & 2. 2. q. 44. art. 4. & q. 79. art. 2. & Cajetan. 2. 2. q. 64. art. 8.* nec tenetur quis parentes honorare ex Dei charitate, sed satis illi erit, ut adimpleat præceptum quoad substantiam operum, si parentes honoraverit exteriori reverentia, nec transgreditur præceptum de honorandis parentibus, licet eam reverentiam præstite-

erit in peccato mortali. Verum si consideremus dilectionem Dei, ut est singularis actus peculiatis virtutis amandi, sicut est alius actus sperandi, alius actus credendi, nempe cujus contrarium est formaliter odisse, tunc actus charitatis cadit sub singulari precepto, nempe sub hoc, *Diliges Dominum Deum tuum, & proximum sicut teipsum*: sicuti docet S. Thom. 1. 2. q. 100. art. 10. illumque secutus Dominicus Soto *de justit. & jur. lib. 2. q. 3. art. 10.* Fit igitur, ut hoc preceptum Decalogi minime transgrediatur quis ex eo, quod in diebus festis peccatum aliquod mortale commiserit. Unde illud evidenter consequitur, non teneri quem in confessione sacramentali confiteri tempus dici festi, quo crimen aliquod commisit; sed illi satis erit peccatum ipsum confiteri, quod nos probare conati sumus in d. 5. 5. quo in loco meminimus plurium auctororum, qui hanc sextam conclusionem improbarunt. Qui vero actus possint licite in diebus festis fieri, diligenter explicant Sylvester, Cajet. & alij, in verbo, *festum*. Dominicus Soto in d. 9. art. 4. a quo pluribus rationibus adductis hac fuit tractata controversia, quae agit de interiori cultu festorum. Erit etenim summa hujusce disputationis, hoc preceptum habere duo membra, alterum negativum, quod est cessare a servili opere, alterum affirmativum, quod est cultus ab Ecclesia praescriptus. Primum vero membrum intelligendum est, ut & omnia moralia precepta, juxta planum & litteralem sensum, non secundum translativum: siquidem in moribus instituendis non oportet uti translativum aut metaphorico stylo: & ideo cum peccata in sensu plano & litterali non sint nec dicantur opera servilia, & in festis jubeamur cessare ab operibus servilibus, consequitur necessario, peccata hoc speciali precepto minime prohiberi. Secundum autem membrum tantum obligat ad actum exteriorum, & ad interiorum, qui propter exteriorum est omnino necessarius, nempe audire Missarum solemniam ea attentione, quae illum actum exteriorum humanum efficiat, & religionis opus. Quod in specie adnotarunt Angel. in verb. *feria* §. 4. & Cajetan. in verb. *Festor violatio*. qui hanc sextam conclusionem optime probat 2. 2. q. 122. art. 4. Cui parum obicit quod illic S. Thomas scripsit, asseverans, peccata vere adversari observantiae festorum: quia ea opinio est intelligenda non quoad substantiam precepti, sed quantum ad ejus finem. Vere etenim peccatum adversatur fini hujus precepti & aliorum. Nam, ut de hoc tractemus, preceptum istud institutum est ad vacandum Deo, & rebus divinis; cui equidem fini magis repugnat peccatum, quam opus servile; & tamen substantiae precepti magis repugnat opus servile quam peccatum. Qua ratione quod idem S. Thomas subdit a Christianis Sabbatum servandum esse spiritualiter, est omnino accipiendum quoad intentionem praecipientis, & finem ab eo significatum, non quod ea observatio sit de substantia precepti, ut qui sic non servaverit, transgressor sit illius.

NOTAE

JOANNIS UFFELI I. C.

CAPUT XIX.

Num. 1.

Verfic. Prima Conclusio.

Eadem ratione dicimus & nunc, secundam feriam, tertiam feriam, quartam feriam, quintam feriam, sextam feriam, a prima quae dies Dominicus est; numerum deducentes. Sabbathum vero quod est septima feria nomine veteri appellamus. Altius hanc rem repetit Cujac. *recitat. ad c. 1. & 2.*

tit. de feriis. ubi notanter tradit, non omnibus septimanae diebus ferias esse, sed quia olim Ecclesia annum incipiebat a Pascha, atq; adeo prima anni septimana erat septimana Paschalis, & ejus primae septimanae dies omnes feriati c. ult. d. iii. de feriis; hinc factum esse, ut & aliquarum septimanarum dies, feriae dicerentur quamvis non essent feriae, capto scilicet nomine & auspicio bono, ex prima anni septimana, quae tota feriata erat. Cujac. loc. cit.

Notat Jacob. Durand. in *rationali lib. 7. c. 1. n. 12.* B. Sylvestrum invenisse hoc nomen, *feria*, cum enim nollet imitari Judaeos, qui dicunt prima Sabbathi, secunda Sabbathi, &c. nec Gentiles, qui usurpant diem Solis, Lunae, &c. hebdomadam integram distinxit per ferias. Et dicit idem Durandus, posse diem Dominicam appellari primam feriam: *interpretatur enim*, inquit ille, *feria quasi dies sollemnis a feriando dicta: Unde prima dies septimana sollemnis est.*

Num. 3.

Verfic. Tertia Conclusio.

Sed & Columella *lib. 2. c. ultim.* tradit, quae veteres Gentilium pontifices diebus festis fieri prohiberent, ac permetterent.

Novissime hac de re Joan. Rosinus antiquitat. Romanar. *lib. 4. cap. 3.* Thesaur. *decis. Pedemont. 39.* Brisson. *lib. 1. de formulis. fol. 130.*

Num. 6.

Qui diem Solis a Christianis celebrari ex eo tradit, quod illo die Deus mundum effecerit, & eodem Jesus Christus a mortuis resurrexerit.

Quo die resurrexerit, & in quem diem & annum ipsius aetatis, tum conditi orbis, mors ejus incidit, quota item Luna caenam celebraverit; denique quomodo triduum illud mortis accipiendum sit, plane Joan. Mariana *tract. de die mortis Christi.* praesertim c. 10. 11. 12. 17. 18. 19.

Non flectere autem genu die Dominico, resurrectionis nostrae est significatio.

Prisco more Ecclesiae, ait Cujacius, diebus Dominicis stantes orabant, in signum Resurrectionis, nec genua flectebant; quod etiam hodie servat Aethiopia, ubi ob eam rem scipiones quam plurimi, baculi quam plurimi, in limine templi positi sunt, in summo parvum temonem habentes, ut qui in templum ingreditur, sumat quisque suum, cui in templo stans innitatur, & Tertull. *de corona milit. Die Dominico* (inquit) *jejunare nefas ducimus, vel de geniculis adorare, eadem immunitate*, ut subjicit, *a die Pascha, in Pentecosten usque gaudemus, ut stantes* (inquit) *oremus in publico coetu totius Ecclesiae, non in secreto*, ut ait, in *cap. 3. ev. & 654.* nam in occulto quin quisque orare possit die Dominico flexis genibus, non est dubium, itemque Episcopus, dum consecratur, vel clericus, dum ordinatur (quod fieri debet die Dominico: *can. quod die 75. dist.*) & is simul, qui Episcopum consecrat, vel clericum ordinat, genua flectere non prohibetur. Ita Cujac. *ad c. 1. & 2. decretal. de feriis.*

Consideratione dignum, quod Luc. *cap. 18.* Christus adducens parabolam Pharisei & Publicani. Utrumque stantem in templo orasse introducat. Quo loco clare apparet, inquit Cajetanus, quod olim stantes oraverint; quod Jansenius in *Concordia Evangelica c. 99.* dicit etiam factum pro more orantium tunc receptum, estque eadem sententia Theophylacti. Quinimod *lib. 1. Reg. c. 1.* Anna Samuelis mater etiam stando orasse narratur, eumque morem Judaeorum fuisse Haymo testatur, quamvis probabilitate non careat eisdem etiam flexis genibus orasse; quo casu verbum, *sto*, idem volunt significare, quod

quod confisto sive existo, ut notavit Sebastian. Barad. tom. 3. concord. lib. 4. c. 13.

Num. 9.

Verfic. De festo omnium Sanctorum.

Verfic: Dies verò.

De hac festivitate quædam acutè annotavit Cardinalis Baronius in suo Martyrologio, ubi sic ait: *Ut autem omnium simul Martyrum una eademque die celebritas ageretur, ex Bonifacii Papa 4. institutione Roma est sumptum exordium, cum antea ea die Calendarum Novembrium esset universale jejunium, de quo scribit Isidorus lib. 1. de Ecclesiast. offic. c. 39. Postmodum verò, cum Roma tantum peculiariter agebatur, Gregorius Papa IV. cæteris Occidentalis orbis Ecclesiis faciendum præcipit. De Transalpinis Sigisbertus in Chronico anni 835. docet his verbis: Tunc monente Gregorio Papa, & assentientibus Episcopis Ludovicus Imperator statuit, ut in Gallia & Germania festivitas omnium Sanctorum Kalendis Novembris celebraretur. Quod autem ante Ludovicum hæc solemnitas in Galliis peragi consuevit non fuerit, patet ex Concilio Maguntino celebrato tempore Caroli Magni Imperatoris, ubi cum dies festi in illis Ecclesiis celebrari consuevit recenseantur, nulla sit mentio hujusmodi celebrationis. Hæc Baronius.*

Sicuti constat ex sermone D. Augustini, &c.

Existimat præfatus Baronius *loc. cit.* sermones istos, qui sub nomine B. Augustini circumferuntur, Alcuino, non verò Augustino esse attribuendos. Imò in antiquo codice Manuscripto Ecclesiæ S. Mauritij ad Martyres Romæ, ubi hæc celebritas primùm agi cœpta est, dicit inveniri eundem sermonem sub nomine Odonis Abbatris Cluniacensis. Vide plura apud eundem Baronium *comment. in diem 1. Novembris.*

Scribens, ab eodem Bonifacio templum, quod Pantheon ab Ethnicis vocabatur, B. Virgini & Martyribus consecratum fuisse.

Illud à M. Agrippa tertium Consule, imperantè Augusto, anno ab Urbe condita 727. ante Christi adventum anno 25. extructum, ac Marti & Veneri tanquam populi Romani auctoribus (ut quibusdam placet) dedicatum fuit. Pancirol. *rerum memorab. l. 1. c. de Pyramide, & Labyrinth.* &c. Crebrius tamen obtinuit, Jovi Ultori id sacrum fuisse. Plin. *lib. 3. c. 15.* Joannes Rosin. *antiq. Roman. l. 1. c. 5. vers. super ulter.* Pomponius Latus *Antiq. Roman. cap. 22.* atque ita appellatum quoddam in Martis Venerisque imaginibus sub ipso templo constitutis, omnium Deorum imagines effictæ erant; sive quoddam templum ipsum fastigiatum, convexa & rotunda forma, cæli similitudinem ostenderet, ut sic quoque omnium Deorum habitatio censeretur: quod magis placet Rosino *loco supra cit.* cui subscribit Pancirol. Et hinc à circulari operis ingenti facie Sancta Maria rotunda hodie appellatur, in meditullio sphericum foramen habens, ex quo lumen toti templo sine ulla alia fenestra affatim datur. Stephan. Forcat. *lib. 1. de Gallor. Imper.*

Poterit etiam dici summum deorum, cum *ναύ*, quod omne significat, in similibus sæpè ad summum spectare solet. Ambros. Caleppin. *in dict. Pantheon.* Porro Pantheon Agrippa uti ære, ita æs auro textit, quod ad hæc usque tempora mille ac sexcentos amplius annos, æs quidem à rubigine, templum verò ab injuria cæli & à ruina servavit. Pancirol. *rer. memorab. lib. 1. cap. de Pyramide, & Labyrinth.* Plura de hoc Templo vide apud Baron. in Martyrolog. *loc. sup. allegat.*

Tamet si quoad alios effectus variè dies consideretur ex Jurisconsulto, in lege, More Romano. ff. de feriis.

Quomodo dies more Romano sumi soleat, vide præter auctores à Covarr. citatos Cujacium *Observat. lib. 15. c. 32. & lib. 27. observat. 27. post med. & in tract. de divers. temp. præscript. & termin. c. 2.* Hotman. *in comment. verbor. jur. verbo dies.* Dion. Gothofr. *ad d. l. more Romano, & in l. verbis 2. in fin. ff. de verbor. signif.* Anton. Augustin. *lib. 4. Emendat. c. 13.* Joan. Robert. *lib. receptar. sentent. c. 1.* Jul. Pac. *legum conciliat. centur. 1. q. 84.* qui ibidem etiam recenset, quomodo dies vel annus more Romano in contractibus, testamentis, restitutionibus in integrum, aliisque actibus, pro incepto vel completo habeatur.

Hoc est in die Dominico, in cujus luce matutina Dominus à luce resurrexit.

SS. Ambrosius, Hieronymus, & Beda, putarunt media nocte Christum revixisse, eò quod *Judic. 16.* Samson, qui Christi est symbolum, ad mediam noctem dormivit, atque hinc, juxta horum Patrum sententiam, Christus 33. horis fuit mortuus aliter tamen id S. Augustinus indicat *lib. 4. de Trinit. cap. 6. & ad Osor. quæst. 26. & in Psalm. 56. ad verb. Exurgam diluculo: & in Psalm. 58. ad illa verba: Exaltabo manè misericordiam tuam.* videlicet Christum diluculo surrexisse, hoc est, cum sole orto jam lucet. Censorin. *de die natali. c. 10.* Quod si verum est, inquit Mariana *dicto tract. de d'e morti. Christi, cap. 19.* Christus quadraginta horis fuit mortuus, uti multorum in Ecclesia sentus habet: tribus horis ex die Veneris, eamque insequente tota nocte. Deinde die Sabbati, præterea tota sequenti nocte, ac quadam parte diei Dominicæ, cujus diluculo in vitam rediit, mortis viribus superatis: quemadmodum sentit glossa ordinaria. *1. Machab. 3.* quæ ita transit Mariana *loc. citat.* Et hinc facile intelligitur, quomodo illud triduum mortis Christi synecdochicos accipiendum sit, & ita explicandum locum Matth. 12. ubi comparatio inter Jonam & Christum insinuat: *Sicut Jonas fuit tribus diebus & tribus noctibus in ventre ceti: ita erit filius hominis in corde terra tribus diebus, & tribus noctibus.* Multa circa hanc materiam prolixè & subtiliter tractavit Francisc. Suarez *tom. 2. disp. in 3. part. Divi Thom.*

Num. 12.

Qui verò actus possint licitè in diebus festis fieri, diligenter explicant Sylvester, Cajetan. & alii &c.

Quæ festis diebus Christianorum fieri permittuntur vel prohibentur, tradunt etiam Socin. *in fallent, regul. 92. die feriato.* Cujac. *in decretal. de feriis, ad cap. 1. & 2.* Thesaur. *decis. Pedemont. 39. & 95.* Maranta *in specul. parte 4. dist. 16. & parte 6. tit. de act. editione, n. 36. & multis seq.* Guid. Pap. *decis. Gratianop. 215. & ibid. Rancin. in notat. Gall. lib. 1. observat. 53.* Tolerus *lib. 4. de Instruct. Sacerdot. cap. 24. vers. pro declaratione operis servilis, cum sequentibus.*

## CAPUT XX.

De ieiuniorum, quæ Catholica Ecclesia Christianis indixit, observatione & origine.

## SUMMARIA.

- 1 *Ieiunium Ecclesiasticum maximè differt à communi usu, & exercitio moralis abſtinentiæ.*
- 2 *Ieiunium an ſit iure naturali divinoꝝ inſtitutum?*
- 3 *Ieiunium qua ratione ſit iure humano inditum.*
- 4 *De ieiunio quadrageſima & eius inſtitutione.*
- 5 *Socratis hiſtorici locus expenditur.*
- 6 *Sextæ Synodi canon intelligitur.*
- 7 *Interpretatio cap. quadrageſima de conſec. diſt. 5.*
- 8 *De ieiunio quartæ feriæ, ſextæ, & Sabbati.*
- 9 *De ieiunio Quatuor temporum.*
- 10 *Præceptum de ieiunio obligat eius tranſgreſſores ad mortalem culpam.*
- 11 *Unicum tantum prandium licitum eſt in diebus ieiunii: & an eius quantitas ieiunii, legibus adverteſtur.*
- 12 *Finis legis an includatur, & contineatur ſub præcepto.*
- 13 *An tertium, vel quartum novæ tranſgreſſionis reatum inducat, in eodem die, quo ieiunium præcipitur?*
- 14 *De hora prandij, & de diſtinctione horarum dici.*
- 15 *De cibis quibus ieiunantes interdiciuntur.*
- 16 *De ieiunio Rogationum, & de illo triduo.*

Quamvis ex ſola naturalis rationis cognitione abſque ullo divini vel humani iuri præſcripto, ieiunium, qua ex parte ad abſtinentiam moralem pertinet, fuerit olim, & Ethnicis Philoſophis planè cognitum, ut quilibet juxta rectam prudentiæ rationem, ad tuendam bonam valetudinem, ad ſenſum & intellectum illuſtrandum, ſaltem ne nimia ciborum ingluvie temerè quis in morbum corporis vel animi incidat, teneatur temperantiæ & mediocritate prudenter uti: præſtantius tamen multò Chriſtianiſ, & hiſ veteram Dei cognitionem habent, ieiunium eſt legibus inſtitutum, multis titulis & nominibus maximè commendandum, etiamſi hæretici, qui nunquam Eccleſiam infeſtare ceſſant, hoc ſanctiſſimum opus evertere fuerint conati; quorum impiis conatibus viri ſanctitate & doctrina inſignes reſtiterunt olim, & adverſus Lutheranos nunc reſtere, Deo duce, ſatagunt, omnique ſtudio moluntur. Horum ſcripta tot locis ex ſacra Scriptura ſelectis, tot ſanctorum Patrum teſtimoniis adductis, uberem aded huiuſce rei tractatum continent, ut hoc in loco, ad illorum lectionem Chriſtiane Theologiæ ſtudioſum abegantes, pauca quædam obſervare conſtituerimus in eorum utilitatem, qui Juri Pontificio & Cæſareo tantum operam dederint.

Prima conclusio: Ieiunium † quo Chriſtiani utimur, quoque uſi fuerit ſancti Patres, maximè differt à communi virtutis temperantiæ exercitio, moralique abſtinentia: tamen verè ſit actus abſtinentiæ virtutis. Hanc conclusionem ex multis deducimus: primùm, quòd moralis abſtinentia hoc ipſum continent, quòd propter aliquam rectam rationem, ad valetudinem animi vel corporis, ad morbum aliquem vitandum, ad aliqua opera corporalia expeditius agenda, minus cibi ſumamus, quam nobis fas eſſet ſecundùm communem ſtatutum, ſecluſa ſpeciali ratione, qua prudenter conſiderata, morali abſtinentia utimur. Sicut & moralis temperantiæ dicitur,

non eſſe excedendum ab eo, quòd recta ratio & naturalis præſcribit, debitis circumſtantiis penſatis, ut bonam corporis valetudinem, & animi ſenſum tueamur: quemadmodum S. Thomas docere conatur 2. 2. q. 146. art. 1. ad 2. & q. 147. artic. 1. ad 2. Generaliter etenim temperantiæ, auctore Cicer. lib. 2. veteris Rhetorices, eſt rationis in libidinem, atque alios non rectos impetus animi firma & moderata dominatio. Vel ſecundùm Macrobi. lib. 1. de ſomnio Scipion. c. 8. Eſt nihil appetere penitendum, in nullo moderationis legem excedere, ſubjugum rationis cupiditatem domare, quæ & Ariſtot. tradit 2. & 4. Ethic. docet D. Thom. 2. 2. q. 141. Quo ſit, ut ſatis conſtet, quæ ſit moralis temperantiæ, quæ item moralis abſtinentia, quibus etiam veteres, Ethnicique Philoſophi uſi fuere ad corporis & animi integritatem, valetudinemque tuendam ac conſervandam, vel ad opera corporalia expeditius agenda, aut præter communem uſum ad morbum aliquem vitandum: & quandoque in hoc intenti, ut abſtinentia ciborum animi intellectum promptiorem haberent ad ea faciliùs agenda & percipienda, quæ vel moralem, vel naturalem Philoſophiam mathematicaſque diſciplinæ attinebant.

Secundò, communis uſus temperantiæ virtutis in hoc tendit, quantum ad cibum & potum ut tantum quis ex eis ſumat, quantum ſibi ſit neceſſarium, aut competat juxta illam mediocritatem, quæ prudenter in virtutibus ſervanda eſt: non in puncto, ſed in latitudine quadam ſecundùm communem ſtatum, ita quòd nullus ſit exceſſus.

Tertiò, quia, ſicut laus fortitudinis conſiſtit in quodam exceſſu, & ab eo omnes ejus partes nomen accipiunt: ita & temperantiæ laus in quodam defectu verſatur: atque ideo abſtinentiæ temperantiæ pars à defectu nomen habet, & nihilominus medium tenet in illa latitudine, quæ à recta ratione ducitur.

Quartò, ſicut moralis quædam recta ratio patitur ac dicitur, quòd propter aliquam ſpecielem cauſam temporalem, ſumat quis minus cibi aut potus, quam communi quadam circumſpectione juxta communem ſtatum ſibi competeret, quòd paulò ante adnotavimus: ita & multò magis recta ratio prudensq; id ipſum dicitur, ad ſpiritualia mala vitanda, bona verò conſequenda, ſervata & ſemper & ubique illa rectitudine, quæ ita abſtinentiam iſtam intra virtutis limites continet, ut tantum cibi ſumatur, quòd natura conſervari poſſit, cum alioqui verè dici non poſſit abſtinentia. Hæc ex eodem D. Thom. in locis paulò ante citatis, & in 4. ſent. diſt. 15. q. 3. ad primam & ſecundam.

Quantum planè ex hiſ deducitur, poſſe quem intra temperantiæ virtutis limites, obſervata philoſophica latitudine, certam cibi & potus quantitatem ſumere, abſque aliquo exceſſu ſecundùm rectam rationem: & eundem poſſe minorem cibi ac potus partem ſumere abſque eo, quòd ulla læſio nature fiat, quoad ipſius ſuſtentionem.

Sextò, illud dubio procul aſſertionem primam confirmat, quòd ieiunium Eccleſiaſticum non ſolum in hoc verſatur, ut à ſuperfluis cibis & potibus abſtineamus: hoc enim pertinet ad neceſſitatem virtutis ex communi ejus uſu, ſed & in hoc, ut ab aliis etiam abſtineamus, quæ ſalva virtute nobis licerent, quòd ubique S. Thomas expreſſim docet.

Septimò ex eo, quòd ieiunium Chriſtianum tria potiſſimum inducat & operetur. Primum ad carnis concupiſcentiam reprimendam, ejuſque ſedandos illicitos motus. Paulus Apoſtol. 1. ad Corinth. c. 9. Caſtigo, inquit, corpus meum, & in ſervitium redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Vas igitur ele-

Et onis adversus corpus repugnat, illudque subigere conatur jejuniis & vigiliis: ne violenta quadam tyrannide animæ adverteatur, & in morem servi contumacis lasciviat. Etenim remedium est salutare jejunium, ad domandam corporis lasciviam, & ejus pruritus revincendos: parsimonia siquidem, gulæque continentia corpus hominis castigatur, in ordinemque redigitur, ne lasciviens nimis, & effrene, rationis metam transiliat. Jejunium denique, seu gubernaculo, corporis navicula regitur, exhaustur sentina ventris, petulantia carnis marcescit, crudelissimus hostis pallet ac terretur: atque hæc de primo. Secundum, quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda. Sic Daniel post jejunium trium hebdomadarum vidit visionem, & revelationem à Deo accipit, *Daniel c. 10.* Tertio, jejunium prodest ad satisfactionem pro peccatis *Joel. cap. 1. Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, fletu, & planctu.* Qua ratione D. Aug. in sermone de oratione & jejunio, scribit, *Jejunium purgat animam, mentem sublevari: & propriam carnem spiritui subicit, cor facit contritum & humiliatum, concupiscentie nebulas dispergit, libidinum ardores extinguit, castitatis verè lumen accendit.* Quæ quidem S. Thom. tradit in dict. *quæst. 247. art. 1.* Abstinencia verò, quam Philosophi docuerunt, quaque usi communiter fuerunt hos effectus minimè consequitur, imò potius rectà corporis valetudine existente, quæ per communem temperantiam acquiritur & conservatur, validior redditur natura nostra, sicuti experimento constat. Quod si aliquando Ethnici usi sunt inedia, & morali sobrietate ac temperantia, intra limites ejus majori tamen, quàm ea, quæ communis erat: id fecere in finem omnino temporalem, minimè cogitantes de his, quæ spiritualia sunt, nec in id intenti, in quod Christiani jejunantes intendimus; aut juxta ipsius legis mentem intendere debemus. Igitur satis probatur prior conclusionis pars & ex ea, jejunium Christianum maximè differre à jejunio; quod dicere possumus philosophicum, & ab abstinentia morali, qua veteres Ethnici quandoque usi fuerunt. Posterior conclusionis pars ex eo deducitur, quod cum jejunium ordinetur ad aliquod bonum & honestum, necessariò sequitur virtutem esse, quod S. Thom. in d. *art. 1.* probat. Abstinentia verò virtutis temperantiæ pars subjecta, imò virtus specialis, pertinet ad medium constituendum in cibis & potibus, in quibus & jejunium constituitur: & ideo jejunium est virtus, & abstinentiæ actus, auctore eodem Thom. *art. 2.* qui in utraque quæstione satis docet, abstinentiam esse in cibis & potibus temperantiam, post *Macrobius lib. 1. de sem. Scipion. 8.*

2. Secunda conclusio: Jejunium † ubi est necessarium ad reprimendos carnis illicitos motus, vel ad elevationem mentis ad spiritualia, est juris naturæ præceptum. Probat ex eo, quod sicut tenetur quis abstinere ab illicitis carnis operationibus quæ dubio procul contingunt à violenta quadam corporis tyrannide ita utique tenetur uri mediis necessariis ad carnis illicitos motus sedandos. Deinde quemadmodum tenetur quis aliquo tempore divina & spiritualia contemplari, eadem ratione tenetur, seipsum mediis necessariis ad illam contemplationem præparare. Ergo jejunium, ubi ad hæc fuerit necessarium morali quadam consideratione, erit profectò jure naturali præceptum, quod S. Thom. scribit *2. 2. q. 147. art. 3. idem in 4. sent. dist. 15. quæst. 3. ad 4.* Idem de oratione respondendum erit, eam scilicet esse ex præcepto juris naturalis, ubi est necessaria ad reprimendas carnis tentationes, illicitosque motus, vel ad salutem spiritualem consequendam ex divino auxilio: quemadmodum idem Thom. & alij senserunt, adnotante Mart. ab Azpilcueta in cap. *quando de consecrat. distinct. 1. no-*

*tab. 3. numer. 13. & in Manuali c. 13. numer. 18.*

Tertia conclusio: Jejunium quæ ex parte necessarium est ad sedandos & reprimendos illicitos animi motus, vel ad spiritualia contemplanda: sicut est jure naturali præceptum, ita & lege divina Evangelica. Hæc constat ex his quæ scripsimus in c. *preced. n. 4.* Nam quæ jure naturali præcepta sunt, eadem & lege divina Evangelica præcipiuntur: quod illic probavimus. Et præterea lex nova Evangelica nobis præcipit, ut animi motus componeremus, auctore Chrylostom. *Matthæ. c. 5.* idque S. Thom. explicat *1. 2. quæst. 107. art. 4.* ergo & omne illud præcepisse videtur, quod sit necessarium ad hanc animi interiorum compositionem, ut justè operemur animi promptitudine & alacritate, repressis illicitis animi motibus, qui nos facillimè & obruent ac pessumdabunt, nisi mediis illis utamur, quæ ad hanc extirpandam calamitatem sunt necessaria. Id ipsum sensit D. Thom. *2. 2. q. 147. art. 4. ad primum.*

Quarta conclusio: Potuit Ecclesia jejunium † ex præcepto quibusdam diebus Christianis indicere: idque fuit maximè utile. Hæc est assertio S. Thom. in d. *q. 147. art. 3. ad 1. & in d. q. 3. ad 4.* Etenim quemadmodum ad sæculares Principes, civilemque Rempublicam pertinet, præcepta tradere de his, quæ in rebus temporalibus communi utilitati conveniunt, ea quæ generalia sunt juris naturalis juxta rationem politicam in specie definiendo: ita & apud Ecclesiam, Ecclesiasticos Principes jus est & potestas præcipiendi ea peculiaribus statutis, quæ juxta communem rationem utilia sunt, & quandoque necessaria quoad bona spiritualia, supernaturalemque felicitatem consequendam. Nam & hoc esse munus prudentis legislatoris nemo profectò negabit, qui politicam disciplinam vel mediocriter intellexit. Jejunium autem esse plerumque necessarium, & communiter utile ad spiritualia bona obtinenda, constat ex his quæ paulò antè adnotavimus: & quia in multis omnes offendimus, *Jac. 3.* & caro adversus spiritum concupiscit, teste Paulo *ad Gal. 5.* Ergo in Ecclesiastica Republica oportet Christiana & Catholica institutione aliquot diebus & temporibus constitui ex præcepto jejunium, & hanc à cibis abstinentiam: non quod opus supererogationis præcipiatur, sed potius opus illud, quod maximè est necessarium in communi hominum statu, & dubio procul omnibus qui salutem spiritualem adsequi conantur, admodum utile, præstantissimumque adversus carnis contumacem rebellemque contra spiritualia conatum, quod ex multis constat, quæ passim in veteri & novo testamento in laudem & jejuniij commendationem scripta sunt, & quæ in unum ferè locum confluxerunt D. Hieron. *lib. 2. contra Jovinian.* Ambros. in *lib. de Helia & jejunio.* August. in *epist. ad Casulanum presbyterum.* Ex junioribus Jodocus Clichthovæus in *propugnaculo Eccles. contra Lutheranos: Alfonso à Castro in li. de hæresibus, in verbo Jejunium.* Joan. Arboreus in *Theosophia lib. 9. c. 18. & 19.* diligentissimè Martin. Ayala Episcopus Guadixensis de *traditionibus Eccl. 3. part. in consideratione de traditione jejuniorum.* Hæc igitur quarta conclusione refellitur error & hæres illorum, qui licet jejunia omnino non improbaverint, in eam tamen dementiam inciderunt, ut existimaverint, non esse observanda jejunia solemniter ab Ecclesia instituta: sed jejunandum esse, cum quisque ex ejus libero arbitrio voluerit, nullo pacto admittentes, Ecclesiam posse ad jejunium obligare, quem errorem damnavit Synodus Gangrensis *c. 19.*

Quinta conclusio: Ecclesia Catholica ab initio legis Evangelicæ quibusdam diebus jejunia Christianis præcepit, & lege lata indicit. Hæc etiam ab omnibus Theologis recipitur: præsertim à S. Thom. in d. *q. 147.*

147. art. 4. & in 3. sent. dist. 15. q. 3. Eandemque communem opinionem communi consensu probant omnes Juris Pontificii professores. Sunt etenim Pontificiis constitutionibus jejunia diebus quibusdam instituta, quorum quædam ab Apostolorum temporibus præscripta fuisse adeò constat, ut veteris ac propè divini instituti majestatem referant. Nam de jejunio ¶ quadragesimæ extat canon Apostolorum, c. 68. quo quidem canone admonemur, & ut ipse opinor, præcepto adstringimur, sacrum quadragesimæ jejunium observare, veluti jam prius institutum. Unde plures maximæ auctoritatis viri, quadragesimæ jejunium à Christo fuisse institutum, constanter asseverarunt, ut obligatio ad illud non tantum ex humano præcepto pendeat, sed ex divino, quorum de numero fuit Maxim. Episcopus Taurinensis *Homil. 2. de Pentecoste.* Ambros. in quodam serm. de 14. 23. & rursus serm. 34. August. in epist. 19. c. 15. ad Januar. & in serm. 1. feria quarta post Dominicam secundam quadragesimæ. Telephorus Papa in c. statuimus dist. 4. Leo Pap. in ser. 1. de quadragesimæ. Beda in sermone de Ascensione. Theoph. Alex. li. 3. de Pascha. Hieron. contra Montanum epistola ad Marcellam. Idem & ex Ignatio deduci videtur in epist. 4. atque Epiphanius contra Arrianos. Meminit & hujus jejunii Sozomenus li. 1. *Eccles. histor. ca. 11.* sed & Concilium Brachatense primum adeò hoc quadragesimæ jejunium observari præcipit. ut nullo pacto permittat, id solvi feria quinta hebdomadæ sanctæ, quæ vocatur cœna Domini. Idem statutum est in Concilio Toletan. 8. c. 8. & Laodicens. c. 50. apud Burchardum lib. 13. c. 8. & Gratianum de consecra. dist. 3. c. non oportet. & rursus illic in cap. non liceat. ex Synodis Græcorum c. 50. Ex quibus, licet quandoque hoc fuerit controversum, est observandum, hoc quadragesimæ jejunium ab initio Ecclesiæ sacrosanctum, ab Apostolis institutum fuisse; ad Christi tamen exemplum, qui quadraginta diebus jejunans, ut inquit Augustin. hoc jejunium consecravit. Atque ideo hæc una poterit esse ratio cur vetustissimi quidam Theologi scripserint, hoc jejunium ex divina institutione processisse, id est, ab Apostolis, ad exemplum Dominici jejunii, hoc fuisse institutum: quod Ignatius in præcitata epistola sensit. Est etenim frequentiori opinione receptum, nec hoc jejunium fuisse præcepto divino indictum. Tametsi, ut modò admonebam, fuerit aliquando ex sanctorum Patrum testimonio probatum, quadragesimæ jejunium obligationem inducere à lege divina Evangelica. Poterit sanè & hæc controversia aliter dissolvi, auctore Augustin. ad Casulanum presbyterum, qui scribit, lege Evangelica à Domino & Redemptore nostro Jesu præceptum esse jejunium, generali quodam præcepto, non tamen quibus & quot diebus jejunare teneamur. Vnde D. August. illic planè probat conclusionem tertiam, quàm superius tradidimus: atque juxta illius sensum intelligit, jejunium lege divina Evangelica esse præceptum. Quod est in hoc tractatu omnino mente tenendum, ad multa, & forsan difficilia intelligenda. D. Basilii in concione 2. dogma pietatis appellat quadragesimam, ad cujus jejunium omnes invitat & exhortatur. Sed & hoc quadragesimæ jejunium magnum appellavit Nicephorus lib. 8. *histor. Eccl. c. 42.* qui li. 12. c. 34. post Socratem li. 5. c. 22. de hoc jejunio ita scribit: *Et primum de observatione ¶ Paschalis festi dicendum. Quæ enim eas præcedunt ferias jejunia, variè apud quosque ab initio servata comperimus. Romani namque tres continuas hebdomadas, Sabbatis, & Dominicis diebus exceptis, jejunarunt. Illyrici autem & cuncta Græcia, præter à Alexandria, & Lybia omnis Ægyptus, & Palæstina sex hebdomadibus ante festum Paschæ jejunium continuerunt, quadragesimam tempus id nominantes. Alii rursus ante septem hebdomadas jejunare ceperunt: sicuti Constantinopoli, & circumcirca ad*

Didaci Covarr. Tom. II.

Phaniciam usque tribus tantum hebdomadibus quinos dies ex intervallo, binis septimanis intermissis à cibus se abstinentes, itidem quadragesimam tempus tale vocarunt. Montanis tamen duabus. Quos mihi demirari in mentem venit, quomodo omnes isti in dierum numero sic variantes, quadragesimam tamen jejunii tempus vocarunt. Quamvis alii aliam rationem texentes, nominari ei honestum prætextum obviarent. Hæc Nicephorus post Socratem. cui Epiphanius convenire videtur adversus Massalianos, varios ritus commemorans circa tempora jejuniorum. Cæterum apud Socratem Græcè ita legitur *ἄλλοι πρὸ ἐπτά τῆς ἑορτῆς ἑβδομάδων ἢ νηστείας ἀρχόμενοι, καὶ τρεῖς μόνως πενήτημέρας ἐν διαλημματῶν νηστειῶντες οὐδὲ ἤτιον καὶ αὐτὶ τεσσαράκοντα ἢ χρόνον τῶν καλῶσι.* Ut ipse Latine interpretor: *Alii rursus septima hebdomada ante Paschæ festum jejunare inceperunt, & tribus hebdomadibus tantum ex intervallo quinis diebus jejunantes nihilominus tempus hoc quadragesimam vocarunt.* Quorum verborum, ni fallor, est verus sensus, quosdam esse significans, qui septima hebdomada ante Paschæ festum jejunium hoc ritu & modo incipiunt & prosequuntur: ut prima hebdomada, tertia, & quinta jejunent, quinis tamen diebus, excipiunt enim sabbata, & dies Dominicos: septima verò hebdomada quæ ultima est, & Dominico diei Paschæ proximior, etiam sabbato jejunent, Igitur qui ritum istum observant septem hebdomadas ex intervallo jejunia celebrare conantur, intermissa semper una hebdomada, in qua cessent à jejunio. Prima, tertia, quinta, & septima jejunantes. Nam quod ex Socrate Epiphani. li. 9. tripart. c. 38. & diligentissimus Nicephori interpret, de duabus septimanis intermittendis tradiderunt, præterquam quòd ex Socrate id mihi non constat, Nicephori etenim Græcum codicem nondum legi, non satis congruit: Siquidem ex septem hebdomadibus, si tres tantum jejunio celebratæ fuerint, quatuor, non duæ tantum, erunt intermittendæ. His accidere videtur non admodum inconcinne, quod scribit Amb. in serm. 34. *Hoc enim, inquit, dico, quia audio complures, quod gravius est, fideles: alternis in quadragesima hebdomadis abstinerere, & consecratum illum dierum numerum gula intemperanti violare: hoc est, prandere septem dierum curiculo, & septem dierum spatio jejunare.* Hæc Ambros. Quòd si dixeris, juxta nostram interpretationem quatuor hebdomadibus jejunium observari, non tribus, quod Socrates voluit: respondeo, Socratem tres tantum hebdomadas annumerasse *πενήτημέρας*, id est, quarum quælibet quinque jejunii dies haberet: quartam verò, quæ sancta à nobis dicitur, omisisse, quòd ea dubio procul ab omnibus jejunio sit destinata, non ex quinque, sed ex diebus sex. Nam licet Græci olim sabbata, etiam quadragesimæ, à jejunio exciperent, prohibentes sabbatis jejunare: uno tamen sabbato quadragesimæ, quod est ante Dominicam Paschæ diem, omnino jejunabant: quemadmodum constat ex Umberto & Innocentio, quorum hac de re sententiam diligenter retulit Francisc. Torrensis in libro de canonibus sexta synodi, canone 55. existimat tamen canonem illum, qui ex ea Synodo prohibet in sabbato quolibet jejunium, adulterinum esse, & contra Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, atque ideo respondere conatur canoni 65. Apostolorum, ubi statutum fuit; *Si quis Dominicam diem, aut sabbatum, uno solo dempto, jejunare deprehendatur, deponitur: si laicus, à communione ejicitur.* Convenit verò eum hoc canone ¶ canon ille sextæ Synodi quinquagesimus quintus, conveniunt itidem Socrates, ac Nicephorus, ab omnibus sabbatis unum excipientis, nempe magnum illud, quod diem Dominicam resurrectionis præcedit. Sed & divus Ignatius in Epist. 4. inquit, *Quicumque Dominicam, aut sabbatum jejunaverit, præter unum sabbatum Paschæ, ipse est Christi interse-*

R r

8. r.

flor. Ex quibus, & aliis quæ paulò post tradentur apparet, apud Græcos, & in Orientali Ecclesia olim jejunium sabbati, etiam in quadragesima prohibitum fuisse: à præcepto jejunii exceptum: atque ideo existimo, canonem sextæ Synodi quinquagesimum quintum adulterinum non esse: cui opinioni & D. Ambrosius suffragatur in libro de Helia, cap. 10. scribens: *Quadragesima totis præter sabbatum, & Dominicum jejunatur diebus. Hoc jejunium domini Pascha concludit Hoc ipsum & ex divo Basilio constat, in Hom. 1. & 2. de jeju.* Hæc Ambros. Quamvis Romæ, & ferè in Occidentali Ecclesia jejunium dieb. sabbati licitum erat, & quandoque præceptum, quemadmodum statim probabimus; & Synodus Agathensis probat c. duodecimo, & apud Gratianum de consecrat. distinctione 3. ex eodem scribitur: *Placuit, ut omnes Ecclesie exceptis Dominicis in quadragesima, etiam in die sabbati, sacerdotali oratione, & discretionis communionem jejunent.* Quod verò idem Socrates, & Nicephorus scripsere asseverantes, Romanos tres tantùm hebdomadas, Dominicis diebus & sabbatis exceptis, jejunare; existimat idem Franciscus Torrentis super canon. 13. mendacium esse, asseverans, quadragesimam integram apud Romanos jejunio observatam fuisse. Idem ipse verissimum esse contendam, modò illud observemus, olim, etiam apud Romanos, quadragesimæ jejunium à secunda feria post dominicam quadragesimæ incepisse. Quod insinuat Telephorus septimus à Petro Pontifex, qui decreto proprio definiit ac præcepit, clericos omnes septem hebdomadas plenas ante sanctum Pascha jejunare, & à carnibus abstinere, quia discreta debet esse vita clericorum & laicorum: addidit enim septimam hebdomadam quoad clericos, quæ dicitur quinquagesima, sentiens laicis sex quadragesimæ hebdomadas indictas fuisse, sicuti apud Gratianum constat cap. statimur & sequentibus. distinctione 4. Alibi verò saltem in Orientali Ecclesia, variè jejunium quadragesimæ fuit observatum, si quidem Irenæus scribit apud Eusebium libro 5. Eccles. histor. cap. 26. & Nicephorum libro quarto, capit. 39. non modò de die Paschæ, verùm etiam de jejunii specie quæstionem fuisse. Quidam namque existimabant unum ipsos oportere diem jejunare, quidam duos, alii etiam plures; nonnulli autem quadraginta horis diurnis & nocturnis diem eorum metiuntur, horam pro die jejunantes. Atque hæc Irenæus ex codice Græco, ut obiter lectorem admoneam, in Latinis Eusebii codicibus lib. 6. cap. 24. quod Rhennus in præfatione adnotavit, hunc locum aliter legi, imò & apud Nicephorum non sic planè è Græco in Latinum verùm fuisse. Meminit & Divus Basilius in Homilia contra ebrietatem, jejunii septem hebdomadarum ante diem resurrectionis Dominicæ. Jejunium autem quadragesimæ multis ex causis fuit ab initio institutum, quarum illa est omnium potissima, ut eas hoc tempore utilitates consequamur, quas ex jejunio deduci superius probavimus. Deinde, ut scribit Leo in sermone tertio de quadragesima, Christianam fortitudinem nulli magis, quàm præsentibus exigunt & conferunt dies, quibus dum observantia spiritualis impèditur consuetudo, in qua perseveratur, acquiritur. Notum enim est, hoc esse tempus, quo per totum mundum sæviante diabolo acies debet Christiana configere, ut si quos desidja tepidos, aut sollicitudo habuit occupatos, nunc oporteat armis spiritualibus instrui, & cælesti tuba ad ineundum certamen accendi. Est & alia hujus jejunii ratio, ut passionem Christi, & admirabilem resurrectionem ejus, sanctum hoc jejunium præcederet, ut capiti nostro per carnis afflictionem assimilati, sanctius & purius à reliquiis peccatorum purgati, mysteria redemptionis & resurrectionis nostræ recolamus, quum resurrectio illustrissima sit & antiquissima festivitatum omnium, quas Ecclesia Catholica celebrat. Quam rationem D. Hieronymus tradit in sermone de quadragesima. Nam &

Gentiles religionis causa, ut sanctius sacrificia celebrarent, aut sacris initiarentur, jejunia quædam observasse, constat ex Plutarcho in Demosthene, & his, quæ de diis gentium tradit Gregor. Gyraldus Synagmate 17. pag. 715. ac rursus pag. 740. refert Egyptiorum, qui pridie celebritatis aut festi, præceptis, ut Græci dicunt, jejunabant, idem Synagmate 12. scribit, in Cereris celebritate in ejus deæ honorem jejunia quædam ab Ethnicis instituta fuisse. Quo magis Christianorum mirabimur audaciam, socordiam, & in rebus divinis multis nominibus exprobandam segnitiam, qui jejunia tot justis de causis ab Ecclesia in nostram utilitatè nobis indicta vel omittamus facillimè, vel ex observemus ita licenter, ut nulla in cibo & potu abstinencia verè deprehendi vel minima ex parte possit. Observant & Hebræi olim jejunia quædam, quorum mentio fit Zachariæ c. 8. ubi D. Hieronymus de eis tractat, & traduntur à Gratiano in c. hujus & cap. jejunium. 76. distinctione. à D. Tho. 2. 2. quæstion. 147. art. 5. qui hujus magni jejunii, & aliorum prædictam rationem reddit.

Cæterùm D. Gregor. in Homil. 16. super Evangelia apud Gratianum, † in c. quadrages. de consecratione, distinctione 5. & Burchardum lib. 13. c. 1. numeri dierum quibus in quadragesima jejunamus, duplicem rationem exponit: primam quidem, ut Redemptorem nostrum imitemur qui quadraginta diebus jejunavit: secundam, ut hoc jejunio decimam dierum singulis annis Domino sancta observantia offeramus. Annus etenim constat ex 365. diebus, quorum decima pars deducitur & numeratur ex triginta sex; quadragesima verò incipit à die Dominica, quæ quadragesima vulgò dicitur à ministris Ecclesiasticis, & est sexta hebdomada ante Pascha, & festum resurrectionis, quo tempore intermedio computantur quadraginta duo dies, è quibus sex Dominicæ deducuntur, atque supersunt triginta sex dies, quibus necessariò ad quadragenarium numerum complendum additi fuerunt quatuor ante quadragesimam, nempe quarta feria cinerum quinta, sexta, & sabbatum. Hæc Gregorius. Cui Speculator in rationali divinorum officiorum lib. 6. c. de dominica prima quadragesimæ, addit quadragesimam dici à Dominica prima post cineres usque ad feriam quintam, quæ nominatur à cœna Domini, ex eo, quòd illo die Christus Pascha celebraverit, eaque ratione, ut quadraginta diebus integris jejunemus, adde feriam sextam dici Veneris, & sabbatum sanctum. Sic sanè poteris interpretari D. Gregorii responsum, licet id sit satis intellectu facile, quòd & Dominicus maxime commendat in cons. 37.

Fuit & in dicto canone Apostolorum ab initio Ecclesiæ, & legis Evangelicæ præceptum jejunium † quartæ & sextæ ferie cujlibet hebdomadæ. Quo testimonio & contra Arrianos Epiphanius utitur, excipiens tempus Pentecostes, quo nullum jejunium Christianis dicitur. Sexta feria ea quidem ratione, quòd Christus Jesus in eo pro humani generis salute fuerit mortem passus ignominiosam: quarta verò, quia in ea fuit Christus venditus, & à sceleratissimo Juda proditus, ut testatur idem Epiphanius, tamen Justinus Martyr in quæstionibus à Gentibus Christianis propositis, q. 65. probare conetur, Christum Jesum à Juda proditum fuisse quinta feria, non quarta, qui verò in canone Apostolorum, ubi Græcè legitur τετραδὴς quatuor temporum jejunium interpretantur, falluntur planè, cum de quarta feria sit locus ille dubio procul intelligendus, auctoribus Epiphanio & Haloandro. Nam et si τετραδὴς potius significet quaternarium numerum, quam quartam diem; significantissimè tamen diem Mercurii, quæ quarta feria vulgò dicitur, in canonibus Apostolorum significare videtur. Hac etenim in re dictio ista utitur non semel juxta eandem significationem Simeon Meraphra-



raphraſtes Græcus auctor, præſertim in *vita ſancti Nicolai*, & in *vita ſancti Auxentii*. Atque diem iſtam hoc nomine appellatam fuiſſe, veteri ſublato, à B. Sylveſtro. in *ejus vita* aſſerit idem auctor cura, & diligentia Aloyſii Lipomani Latine typis traditus. Idem ipſe legi in ejuſdem Sylveſtri vita Græce ſcripta, auctore Eufebio Cæſarienſi nondum typis tradita, quam tamen legere mihi contigit ex bibliotheca illuſtris viri Didaci à Mendoza olim apud Venetos, & ſummum Eccleſiæ Pontificem Caroli Cæſaris legati. Hæc verò nominis mutatio antiquior ſanè mihi videtur Sylveſtro ſaltem apud Eccleſiaſticos canones; licet non me lateat, Suidam *τετραδα* interpretari *τετραρι καιροῖς*: id eſt, de quatuor temporibus. Hoc etenim jejunium quartæ feriæ, & Paraſceves legitimum eſſe in qualibet hebdomada, nec ſolvendum fore, niſi ex gravi cauſa, tradidere Ivo Carnoten. *lib. 2. Apollonio ſancto*, & Gratianus *de conſecratione diſtinct. 3. c. jejun.* à quibus eadem redditur ratio, quam ex Epiphanio paulò antè tradidimus. Idem vetuſtiſſima, & non improbanda traditione apud Romanam Eccleſiam obtinuiſſe, aſſeverat Leo Papa quartus in *c. de eſu carniū, de conſecratione, diſtinctione 3.* Quamobrem pluribus in locis apud Hiſpanos quidam adhuc religionis cauſa quarta feria ab eſu carniū abſtinere ſolent. Sed & Clemens Alexandrinus *lib. 5. ſtrematum* teſtatur, à quibusdam tunc jejunium dierum Mercurii & Venereis obſervatum fuiſſe. Hinc denique quartæ feriæ jejunio, & ſabbati jejunium additum fuiſſe, conſtat ex D. Auguſtino. in *epiſtol. ad Hieronymum*, quæ eſt 19. ſaltem apud Eccleſiam Occidentalem. Idem inſinuat Innocen. in *epiſt. 1. ad Decernium, c. Sabbato. de conſecra. diſtinct. 3.* ſenſit Hieronymus *ad Lucinium* & Gregor. Papa ſeptimus in *c. quia dies ſabbati. de conſec. diſtinct. 5.* quod de Romanis fatetur Nicephorus *li. 12. Eccleſ. hiſt. cap. 34.* ſcribens, *Romanis mos eſt ſabbato quoties jejunare.* Rurſus D. Auguſtinus in *epiſt. ad Caſulanum præbiter. 86.* contendens adverſus Vibicum quemdam non eſſe damnandos cujuſque provinciæ mores ac ritus diverſos, varioſque in diebus jejunandis; nec eſſe improbandam conſuetudinem, ex qua jejunium ſabbati minimè ſit præceptum, ſed ſit cuique voluntarium, ſcribit, Romanam Eccleſiam, & eam quaſdam, paucas tamen, ſecutas ſabbatum jejunare ex ea cauſa quæ ab eodem Auguſtino commemoratur. Denique fatetur, Eccleſiam quarta & ſexta hebdomadæ die jejunare; quarta ex eo, quòd eo die conſilium Judæi fecerint ad occidendum Jeſum; ſexta, quia ea die fuerit cruci affixus, tradit etiam pleroſque ex Romana plebe frequenter quarta & ſexta feria, atque ipſo ſabbato jejunare. Vnde non temere opinabimur, ex hoc veteri inſtituto quamvis jejunii obligatio fuerit ſublata, adhuc vim & prohibitionis vinculum manere quoad eſum carniū, ut ſexta feria & ſabbato prohibeamur ſub ſceleris graviffimi pœna carniū veſci, quòd de ſexta feria planè fatentur gloſſ. Archid. & Card. in *d. c. de eſu carniū*. De ſabbato verò illud eſt obſervandum, obtentum eſſe, quòd cujuſque provinciæ conſuetudo ſervanda ſit, ſicuti ſummus Eccleſiæ Pontifex admonet in *c. conſil. de obſervat. jejun.* Optima D. Auguſtini reſponſio in *epiſt. ad Caſulanum præbiterum in c. de illa 12. diſtinct.* Vnde Galli carniū veſcuntur ſabbatis à Natali Domini ad Purificationem, teſte Paludano in *4. ſent. diſt. 15. q. 4. col. 5.* Hiſpani omnibus ſabbatis veſcuntur, niſi præceptum jejunii imminet, animantium extremitatibus, & inteſtinis, ac viſceribus. Eritque hac in re ſervanda conſuetudo loci, non originis, qui veſcitur, aut abſtinere tenetur à carniū, ſed ubi is commoratur, etiam

abſque domicilio iter faciens; quòd probatur in *d. c. de illa. & ex Imola, Bonifacio, & Card. in Clem. 2. q. 5. de celebrat. miſſ.* adverſus Paludan, quem in *d. diſt. 15. q. 5.* Joan Major. jure optimo reſellit. Senſit hanc conſiſionem Panorm. in *c. conſ. de obſervat. jejun. in fin.* & idem aſſerit Chriſtophorus Porcius in *§. ſed & quod princip. n. 26. Inſtit. de jur. natur. gent. & civil. & licet Præpoſ. in d. c. de illa* idem quòd Palud. probare conetur.

Hinc etiam deducitur interpretatio text. in *c. preſ. byt. 82. diſt. & c. 1. 22. q. 5.* ubi quibuſdam ex cauſis indicitur jejunium legitimis feriis. Nam gloſſ. ubique tres legitimas ferias interpretatur, ſecundam, quartam, & ſextam, quòd ex *d. c. preſbyt. optimè* probatur, & multo meliùs ex Burchard. *c. 9. & 10. lib. 19.* omnino legendus erit ad multa intelligenda, quæ breviter & obſcurè in aliquot eanonibus tractantur.

Idem Burchard. *lib. 13. c. 16.* ex Conſilio Aurelianenſi ſcribit, *Preſbyteri cum ſacras feſtivities populo annunciant, etiam jejunium vigiliarum, eos omnibus modis ſervare moneant.* Ex quo illud ipſe adnotaverim, olim quoties vigiliæ in Eccleſiis ex conventu Chriſtianorum in honorem Martyrum, vel alicujus feſtivities erant celebrandæ, etiam illum diem feſtum præcedentem jejunio ſolemne fuiſſe: & ideo quamvis Chriſtiani à vigiliis ceſſaverint, ut in *c. proximo* ſcripſimus adhuc ipſum diem jejunii quem in honorem feſtivities obſervamus & quo ab eſu carniū abſtinemus, ac jejunamus, vigiliam dicimus; quòd & Spec. *lib. 6. rationalis, rub. de aliis jejniis* adnotavit.

De jejunio, quòd olim ſolemne erat, & abſolvebatur in hebdomada ipſa poſt Pentecoſtem, meminit Athanaſius † in *Apologetico lib. de fuga.* Auctoribus Sorate *lib. 2. c. 28.* Theodoro *lib. 2. c. 14.* & Niceph. *li. 9. c. 29.* Sed ante Athanaſii tempora Calixtus Papa primus in *epiſt. ad Benedictum Episcop.* anno à Nativitate Domini juxta Haloandri chonologiam 223. quatuor temporum jejunium inſtituit, quòd priùs ter in anno celebrari apud Romanos aſſeverat his verbis, *Jejunium, quòd ter in anno apud nos celebrari didiciſti, convenientius nunc per quatuor tempora fieri decernimus, ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora, ſic & nos quaternum ſolemne agamus jejunium per anni quatuor tempora.* Hæc apud Gratianum in *c. 1. 76. diſt.* in ipſa verò epistoſa traditur ab ipſo Calixto ratio ex veteris teſtamenti jejunio. *Zachar. c. 8.* quòd ex Hieronymo ab eodem Gratiano explicatur, *ejuſdem diſtinctionis c. Jejunium.* Quo in loco quatuor jejunia Hebræorum, de quibus Zacharias ſcripſit, quotumque tempora verbo Domini præſinita fuiſſe tradit, menſibus ſcilicet, quarto, quinto, ſeptimo, & decimo; ad menſium quibus modò utimur; rationem ita exponuntur, ut jejunium quarti conveniat Julio menſi, quinti Auguſto, ſeptimi Octobri, decimi Januario. Idem illic Gratianus obſervavit in *c. hujus obſervantia*, adſumiturque ſecundum hanc deductionem anni initium à menſe Aprilis qui primus menſis eſt apud Hebræos, ut idem Gratianus aſſeverat; quòd olim verum erat ex eo, quòd luna proximior æquinoctio verno primum conſtituebat Hebræorum menſem: at poſtea propter mutationem æquinoctii verni eſt omnino obſervandum, menſem Martium frequenter, & ſanè frequentius convenire primo Hebræorum menſi. Quemadmodum explicuimus & nos hujus operis *c. 18. n. 1.* Qua ratione forſan perſpecto, & conſiderato anni initio juxta Hebræorum obſervationem, eandemq. inductam ad initium anni, quò nunc utimur: auctore eodem Gratiano ex Hieronymi adnotatione, primus menſis adhuc quatuor jejunia obſervanda erit Janvatius, quartus erit Aprilis, & ideo in *d. c. jejunium*, Gratianus

scilicet, non posse quarti mensis jejunia celebrari ante diem Pentecostes: quia à resurrectione ad eum diem nullum ab Ecclesia inducitur jejunium: utiturque is auctor hac inductione; quia planè intellexit, non posse aliter convenire quatuor temporum jejunio, quod ex veteri testamento à Calixto Pontifice juxta anagogem tradi videtur. Sed nec hic sensus ullo modo Gratiano aprari poterit; nec secundum eum jejunia, quibus utimur, Hebræorum jejunii vel minima ex parte respondere possint. Idcirco vera interpretatio eorum, quæ Gratianus exponit, inde accipienda erit, quod ipse anni primum mensem Martium intellexerit: vel quia olim apud Romanos is mensis primus omnium erat, & quamvis Janvarius postea principium anno dederit, nihilominus quoad quædam mensium nomina, Martii mensis ut prima adhuc habetur ratio: quod Joann. Fantucius, Archid. & alii ad Gratianum adnotarunt: vel quia, licet olim apud Hebræos Aprili responderit primus eorum mensis, nunc tamen, à Gratiani ætate, & Gelasii Papæ temporibus propter æquinoctii verni mutationem, potius, aut denique frequentius primus Hebræorum mensis conveniret nostro Martio, quam Aprili. Siquidem anno Dom. 330. tempore Nicænæ Synodi æquinoctium vernum contingebat 21. die Martii, nunc verò contingit undecima die ejusdem mensis. Unde quartus mensis erit Junius, 7. Sept. decimus December. omititurque ab Ecclesia quinti mensis jejunium, & mutatur in jejunium primi mensis, id est Martii quod constat ex Concilio Magantiaco, c. 34. quod celebratum fuit ann. Domini 803. Meminere ejusdem Gratianus in *dist. 76. c. 2.* & Barchardus *lib. 13. c. 2.* qui diligentius illius canonis verba sic retulit, ut aliquid à Gratiano fuisse omisum constet, & tamen nec ipse integrum canonem exposuit, qui in Conciliorum libris his verbis extat: *constituimus, ut quatuor tempora anni ab omnibus cum jejunio observentur, id est, mense Martio hebdomada prima, & feria quarta & sexta, & sabbato veniant omnes ad Ecclesiam cum litaniis ad Missarum solemniam. Similiter in mense Junio hebdomada secunda, feria quarta, sexta, & sabbato jejunetur usque ad horam 9. & à carne ab omnibus absterneatur. Similiter in mense Septembri hebdomada tertia, & in mense Decembri hebdomada, quæ fuerit plena ante vigiliam natalis Domini: sicut est in Romana Ecclesia traditum.* Hæc in d. canone. His similia Ivo Carnotensis tradit ex Concilio Saiegultæ *li. 2. de jejunio.* & Gratian. *c. 3. dist. 76.* Quo in loco illud est observandum: quod si quando jejunium mensis Junii in vigiliam Pentecostes incidit, non tunc celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solemnè Pentecostes: & ideo idem Gratianus in *c. jejun.* dixit, non posse celebrari jejunia quarti mensis ante diem Pentecostes: quia inter resurrectionem & Pentecosten jejunia minimè inducuntur ab Ecclesia. Ex quibus, si conjecturis uti licet, Calixti Papæ decretum addidit jejunium quartum nempe mensis Martii, cum prius tria tantum observarentur jejunia tandem, quia prima duo jejunia frequentissimè in quadragesimam, & hebdomadam Pentecostes incidebant; usus obtinuit, & ita constitutum est ab Urbano Papa in *c. statuimus 76. dist.* ut primum jejunium quatuor temporum celebraretur in initio quadragesimæ, secundum in hebdomada Pentecostes, tertium in Septembri, quartum in Decembri. Idem probatur in *c. hujus observantia. 76. dist.* quo jure Ecclesia utitur, & tertium jejunium in Septembri post Festum Exaltationis sanctæ crucis celebratur.

Ex his item adsumitur interpretatio responsi, quo Gelasius utitur in *epist. ad Episcop. per Lucianiam constitutos c. 13.* apud Gratianum in *c. ult. 76. dist. de ordinationum temporibus.* Scribit enim Gelasius, *Ordinationes presbyterorum, & diaconorum nisi certis temporibus & diebus, exerceri non debent, id est, quar-*

*tu mensis jejunio, & septimi, & decimi, sed etiam quadragesimalis initii, ac Mediana hebdomada, & sabbato circa vespertas ipsas ordinationes noverint celebrandas.* Quibus verbis probatur, ordines sacros extra tempora jure definita non esse concedendos, tempora verò esse quatuor anni jejunia, quæ modo tradidimus, & hebdomadam quartam quadragesimæ, quæ præcedit Dominicam in passione & sabbatum ante resurrectionis diem, sicuti summus Pontif. Alexand. III. respondit in *c. de eo. de temp. ord.* Appellat autem Gelasius jejunium quarti mensis, quod observatur post Pentecosten, & ab aliis dicitur mensis Junii jejunium quemadmodum & sub initio quadragesimæ complexus est jejunium mensis Martii, quod licet posset extra quadragesimam contingere, frequentius tamen in eam incidebat. Olim verò ante Gelasium ordinationes solemniter celebrantur Decembri mense, quod ex Damaso & Platina in *Pontificum vitis* apertissimè constat.

Atque hæc de jejunii, quæ videntur ex vetustissimis institutis à Catholicis observata fuisse: quibus & aliis addita fuere, quæ commemorantur in *c. 1. & 2. de observat. jejun.*

Sexta conclusio: Jejunia f. Canonicis legibus instituta, ita ex præcepto servanda sunt, ut mortalis peccati reus sit omnino censendus, qui absque justa causa eadem servare omiserit. Hanc conclusionem ideo his verbis conceptam exponimus, ut ab ejus disputatione fecernamus eum, qui ex contemptu jejunare diebus ab Ecclesia præfinitis omiserit. Hic enim dubio procul mortalis criminis & culpæ reus censetur, secundum omnes, ut Cajetan. fatetur in *2. 2. q. 147. art. 3.* De contemptu verò, ex quo mortalis oritur culpa, nos scripsimus in *c. Alma mater. de sent. excomm. in 6. in prioris relectionis parte, §. 7. n. 6.* Igitur conclusio in hunc sensum adsumenda, ut secluso contemptu, si quis non observaverit jejunium ab Ecclesia indictum, in mortalem incidat culpam regulariter, nisi justa causa ex his, quæ justè in hoc tractatu censentur, eum ab ea culpa excusaverit, secundum Archid. Præpos. & Card. S. Sixti in *c. ult. 76. dist.* Probatur verò ex eo, quod Canones & constitutiones jejunia instituentes, in hoc videntur sensu instituta, ut vel verbis æquipollentibus præceptum inducant. *c. non licet. de consecra. dist. 3. c. non oportet. ead. dist. cap. quadrag. de consecra. dist. 5.* Idem probatur ex *clem. ex vi. de verb. signif.* ubi summus Pontifex asseverat, monachos propter jejunia ex instituto Ordinis sibi injuncta, non esse liberos à jejunii Ecclesiasticis, quæ Christiani observare obligantur. His accedit textus in *clem. ad nostram. de heret.* quæ errorem illum damnat, quò asseveratur, jejunia Ecclesiæ non esse necessariò servanda ab his qui perfecti sunt. Sic D. Th. hanc assertionem apertissimè agnoscit *2. 2. q. 147. ar. 3. & in 4. sent. dist. 15. q. 3 ad 4. q. 9. Palud. q. 4. gl. in ver. in unum horarium. §. alias. 25 dist.* quam sequi videtur Pan. in *rubr. de observat. jejun. col. ult.* Et probat Joan. à Medin. *de pœnitent. tract. 4. c. de necessit. jejun.* Tametsi Cardin. in *c. 2. eod. tit. cam negaverit, ni fiat transgressio ex contemptu, & licet Cajet. in d. art. 3. existimet, nullibi ex Jure Pontificio probati posse præceptum jejunii in eo sensu, ut secluso contemptu obliget ad mortalem culpam; fatetur tamen hanc obligationem ex communi Ecclesiæ interpretatione receptam esse, & id sufficere. Nos verò & ex ipsis Canonicis constitutionibus conclusionem probari, constanter asseveramus, quod & D. Hieronymus in *epistola ad Lucinium* sensisse videtur, & in *e. uinam. 76. distin.* qui præcepti nomine utitur, illud uti venerandum & observandum maximè commendans. Idem ipse colligo ex *canone Apost. 68.* à quo ille pœnæ frangenti jejunia jure instituta inducuntur, quæ non solent, nisi peccati mortalis causa, & ob ejus culpam, delinquentibus infligi.*

Non oberit huic conclusioni, quod Palud. scribit in *4. dist. 25. quaest. 5.* probare conatus, quod ubi jus humanum

manum prohibet id, quod per se malum non est nisi quia eodem jure prohibetur; non potest contingere, nec contingit aliud peccatum, quam inobedientiæ. Et idèdùm Ecclesia temporibus quibusdam prohibeat etiam carniùm, & leges quasdam præscribat in his quæ ad cibos attinent; quibus legibus seclusis, nihil suberat in cibis adsumendis per se malum; videtur adversus leges istas tantùm posse committi peccatum inobedientiæ, ex contemptu si transgressio contingat. Nam hæc opinio Paludani falsa est, nec potest recta ratione defendi. Ecclesia etenim dum abstinentiam quadragesimalem induxit, jejunium illud constituit in virtute abstinentiæ: & idèd non solùm ille contra obedientiam peccaret qui jejunium ex contemptu frangeret, sed & ille contra abstinentiam qui non ex contemptu, sed præ gula id faceret. Quo adversus Paludan. tradit Dominic. Soto. *lib. 6. de justitia & jure. qu. 5. art. ult. idem præmittit Cajet. in dist. art. 3. dum probat, in observatione jejunii Ecclesiastici duplicem contineri virtutem, obedientiam, inquam; & abstinentiam; & idèd ubi peccatur contra hoc Ecclesiæ institutum, posse contingere peccatum inobedientiæ, & gulæ.*

II Septima conclusio: In jejunio † Jure Pontificio indicto, non licet, nisi semel prandere. Probat hæc omnium consensu ex Greg. *in cap. quadrages. de cons. dist. 5. qui dies Dominicos quadragesimæ ab aliis distinguit: nec distinctio contingit in delectu ciborum, quia par est in hoc prohibitio, nec potest in alio discrimen constitui, quàm quòd Dominicis diebus quadragesimæ liceat bis vel ter prandere, ergo in aliis diebus non licet, nisi semel. Quæ quidem inductio non admodum urget. Nec enim sequitur, in die Dominico ad aliorum discrimen licet bis vel ter ciborum refectio, uti, ergo in aliis non licet, nisi semel. Siquidem potest esse in hoc vera differentia, quòd liberè die Dominico liceat, quoties libitum fuerit, prandere; in aliis verò diebus non sit, nisi bis, jure permissum. Et nihilominus ex Gregor. responso conclusio ista frequentissime deducitur, maximè à Panorm. *in rubr. de observat. jejun. & Cajet. 2. 2. q. 147. art. 6. qui eandem aliis rationibus, & communi totius Christiani orbis consensu probare nititur, eamque illic S. Tho. uti ab Ecclesia definitam, & à populo Christiano receptam exponit & interpretatur. De illo verò jentaculo, quod fieri solet serò à jejunantibus, parum hoc in loco tractabitur, cum de ea quæstione Cajet. *in d. art. 6. & idem ac Sylvest. in summa. longè tractaverint, & ante ipsos Innoc. & Panorm. in d. rubric. de observat. jejun. ex quibus summa disputationis in hoc deducitur, liceat vespere juxta provinciæ consuetudinem aliquid, etiam citra sitim comedere; modò id fiat moderatè, neque fraus jejunii legibus irrogetur.***

Cætèrùm, Christiane lector, in hanc conclusionem quæstio incidit insignis, quæ utinam necessaria non esset. An hi servent jejunia jure instituta, & præcepto Ecclesiæ satisfaciunt, qui semel comedendo tantum sibi accipiunt, tot cibariis & condimentis utuntur, ad ingluviem usque, ut nullam carnis afflictionem sentiant: imò gulam impensissimè irritent, libidinem excitent, tantùm cibi sumentes unico prandio, quantum sit tribus hominibus satis ad congruam eorum sustentationem. Etenim multis rationibus non temerè poteris asseverare, hosce homines jejunii præcepto minimè satisfecisse.

Primò, Ecclesia Catholica, quæ jejunia indixit, in hoc verè tendit, atque hunc finem præ oculis habuit, ut Christiani diebus jejunii per abstinentiam certis legibus præscriptam corpora castigent, ad illicitos carnis motus reprimendos, sitque mens aptior ad sublimia & divina contemplanda; quod superius evidenter probavimus, & fatentur passim omnes qui de jejunii tractavere. Hic verò finis nequaquam sequitur, quod non esset jejunanti sobriè ac temperatè imputandum;

Didaci Covarr. Tom. II.

sed & ab ipso jejunante manifestè obicitur hæc fini impedimentum, media illa tollendo, quæ ad abstinentiæ usum fuerunt ad præscriptum finem instituta. Ergo non potest verè dici, hos de quibus quæstio agit, jejunio satisfecisse.

Secundò, materia hujus præcepti non solùm videtur esse semel in die prandere, sed ita semel cibum sumere, ut quantum ad cibos attinet, corpus affligatur & castigetur; saltem ut abstinentia utamur quia solet corpus affligi & castigari juxta prudentis viri arbitrium. Quemadmodum constat ex observatione jejuniorum, qua sancti Patres, & reliqui Christianam religionem professi, ab initio legis Evangelicæ usi fuere. Ergo non servat præceptum, imò eidem refragatur, qui semel in die absque ulla temperantia & abstinentia comedit, tantum non ad ingluviem usque immoderatè nimis in comedendo limites rationis transgreditur.

Tertiò, lex humana hac in re nihil aliud facit, quàm diem certam, aut tempus certum definire, & modum quemdam præscribere, quibus legem naturalem ac divinam exequamur, quòd paulò antè adnotavimus ita quidem quòd tempore ab Ecclesia præscripto, & modo per eam definito, lex de jejunio naturalis & divina servetur. Sed qui sic jejunant, ut in quæstionis titulo exposuimus, palàm legi naturali & divinæ de jejunio adversantur, ergo & humanæ. His accedit quòd Ecclesia in materia temperantiæ certis diebus jejunia præcepit, reliquo autem tempore anni moderatè comedere legis naturalis instituto reliquit.

Quartò, eodem modo unica ex cibo refectio, si ea sit immoderata humanæ legis proximo fini contraria est, sicut plures: sed qui pluribus utitur, dubio procul contra legem humanam de jejunio facit, ergo & qui semel immoderatè tamen comedit.

Quintò, ab absurdo vitando argumentamur: nam si eo modo, quo caput quæstionis exponit, satisficeret jejunii præcepto, sequeretur, quòd virtutis præceptum adimpleretur per contrarium ejus quod præcipitur. Quod nemo doctus affirmabit. Exercet etenim qui se ingurgitat, gulam appetitissimè contrariam abstinentiæ, quæ lege lata de jejunio præcipitur. Qua ratione ad probandum hæc in quæstione opinionem istam; utitur Martinus Ayala Epif. Guadixiensis *lib. 3. de tradition. Eccl. c. de jejun. Eidem sententiæ adtipulari videtur D. Tho. in 2. 2. q. 148. art. 3. ad 2. qui de transgrediente præceptum jejunii, inquit. Cujus austeritatem, si aliquis transgrediendo statutum contemnat, vel hoc modo transgrediatur, quòd impediatur finis quem intendit, peccat mortaliter talis transgressor. scribit & ad hæc Joan. Major. in 4. sem. dist. 15. q. 3. nullo modo ratione quantitatis cibi jejunium frangi nisi quis intemperatè comedat; sed & Innoc. in rub. de observat. jejun. n. 1. refert, quosdam tenere nusquam esse jejunium nisi & ibi sit victus abstinentia.*

Contrariam opinionem veriorè esse probare conantur Cajet. 2. 2. q. 147. art. 3. & Joan. Medin. in 4. sent. in tract. de jejun. c. de num. refectioinum, & c. de his per quæ Ecclesiast. jejunium solvitur. Ex nostris Innoc. in d. rubr. n. 3. qui præmittere videntur hoc ab omnibus frequentiori consensu receptum esse. Ecclesia etenim in his legibus quas de jejunio instituit, licet definierit, semel tantum in die jejunii comedendum esse, cibi tamen & prandii quantitatem nec definivit, nec commodè definire potuit propter varias hominum condiciones, & corporum qualitates, secundum quas, quod uni est immoderatum, alteri fortassis non sufficit, aut sanè ita illi convenit, ut nullus sit in ea re excessus. Hæc verò ratio non est adeo efficax, quòd possit priorè opinionem omnino evertere. Nam licet S. Thom. ea utatur in d. art. 6. ad 1. & verum sit, ab Ecclesia non esse quantitatem cibi definitam jejunantibus; siquidem in legibus de jejunio latis hora prandii, & unici tantum præscribitur quod & idem Thomas tradit ar. 7. non negatur ex hoc ab Ecclesia sensim definitum esse,

ac jejunantibus præceptum esse ut abſtinentia utantur. Atque idèd tenetur qui jejunit, ex præcepto Eccleſiæ abſtinentia uti, ac ſemel tantùm comedere temperatè juxta boni viri arbitrium, ne circumſpecta, quadam ex latitudine, propria conditione, limites temperantiæ aut abſtinentiæ virtutis excedat. Nec id periculofum eſt, imò cuique facillimum, juxta illam latitudinem, quæ cognoſci ac dijudicari abſque ullo gravi examine poterit. At præceptam eſſe ab Eccleſia jejunantibus abſtinentiam, ubique ni fallor, S. Tho. præmittit, & docet. Idem ſuperiùs nos probavimus; ſit igitur rationi conſonum, tunc jejunii præceptum minimè ſervari, imò violari planè, quoties abſtinentiæ limites, etiam ſemel comedendo, univoco prandio qui jejunit egreditur: quippe qui nequaquam abſtinentia utitur, nec ejus virtutis actus qui Jure Pontificio præcipitur; imò abſtinentiæ virtutis actus, eſt jejunii ſubſtantia, quod omnes fermè fatentur; & ideo abſque actu abſtinentiæ virtutis, nec jejunium vere dici poteſt, nec præceptum Eccleſiæ adimpletur, quo actus abſtinentiæ præcipitur.

Secundò opinioni Cajetani accedit, ac ſuffragatur, quo finis præcepti ¶ minimè cadat aut comprehendatur ſub præcepto ad hoc, ut finis ipſe itidem præceptus cenſetur, ſicuti ex D. Tho. & aliis in c. præcedenti obſervavimus. Sed finis præcepti de jejunio inſtituti eſt ipſa caſtigatio corporis, & afflictio carnis ad ejus illicitos conatus reprimendos & ut mens aptior ſit contemplationi divinarum rerum; ergo non tenetur qui jejunit ex præcepto caſtigare aut affligere corpus; ſed illi ſatis erit ſi ſervet media, quæ fuerint à lege præſcripta ad illum finem conſequendum. Verùm & hæc ratio non admodum urget, ſi diſtinguamus finem præcepti cujuſlibet ſpeciale, à fine omnium præceptorum communi, qui charitas eſt. Et quidem finis hic poſterior non continetur ſub præcepto quolibet quamvis omnium ſit finis, & ſub eorum quolibet præmittatur, ut modus omnium virtutum; quia licet earum omnium actus ordinentur ad charitatem, hic tamen finis non comprehenditur in quolibet ſpeciali præcepto nec legis diviniæ, nec humanæ. Etenim nec ab homine, nec à Deo punitur tanquam præcepti tranſgreſſor qui parentibus debitum honorem impendit, licet id fecerit abſque charitate, & ullo pietatis habitu. Quod S. Tho. non ſemel adnotavit, ſed ſignanter in 1. 2. q. 100. art. 9. Finis verò præcepti ſpecialis ſub præcepto continetur, & præceptus intelligitur, quemadmodum de præcepto peculiari & ſpeciali diligenti Deum explicat S. Tho. in d. q. 100. art. 10. ergo finis hujus præcepti de jejunio ſpecialis ſub præcepto comprehenditur, & præſcriptus à lege cenſetur ea ex parte, qua illum Chriſtiani obſervare poſſint. His patrocinator, quod in idem ferè incidit, nempe præceptam continere finem proximum, quamvis finem remotum non contineat, nec ſub præcepti vinculo comprehendit. Sicuti ex rationibus à D. Tho. traditis manifeſtè deducitur. Sed & ipſum probatur ex eodem Tho. in 2. 2. q. 44. art. 4. ad 1. qui ita ſcribit, *Sub præcepto, quod datur de actu alioſujus virtutis, non cadit modus quem habet ille actus ex alia ſuperiori virtute: cadit tamen ſub præcepto modus illo qui pertinet ad rationem propriæ virtutis.* Hæc Thom. quem illic Cajet. ſequitur & interpretatur. Ad hæc conducit plurimum ejuſdem Tho. quædam diſtinctionio in 1. 2. q. 96. art. 3. *Aliquis, inquit, actus poteſt eſſe virtutis dupliciter; uno modo ex eo, quòd homo operatur virtuoſe, ſicuti actus fortitudinis facere fortia, & ſic lex præcepti aliquos actus virtutis. Alio modo dicitur actus virtutis, quia aliquis operatur virtuoſe eo modo, quo virtuoſus operatur. Et talis actus ſemper procedit à virtute, nec cadit ſub præcepto legis, ſed eſt finis ad quem legiſlator ducere intendit.* Hactenus Tho. Quibus ad amouſſim obſervatis erit reſpondendum, hujus præcepti de jejunio finem remotum ex alia ſuperiori virtu-

te, quippe ſit omnium præceptorum finis, non comprehendit hoc ſpeciali præcepto, & ideo non poſſe verè dici tranſgreſſorem hujus præcepti cum qui ſic jejunaverit, ut illud opus jejunii minimè fuerit meritorium, nec ad mentis in Deum elevationem utile, ex defectu charitatis. Nam etſi finis jejunii ſit per corporis extenuationem, animam ad ſuperiorum contemplationem erigere, illa tamen contemplatio non cadit ſub præcepto jejunii. Et ideo non tenetur quis ratione hujus præcepti ita ſe diſponere abſtinendo à peccato mortali, ut poſſit mentem in divinarum rerum contemplationem erigere, quia nec tenetur ex eodem præcepto divina contemplari, & animum in Deum erigere. Finem verò proximum & ſpeciale hujus præcepti, nempe caſtigationem corporis, & per abſtinentiam emundationem ejus atque purgationem, ſub eodem comprehendit conſtat, quatenus atinet ad jejunantis facultatem. Tenemur ergo ex hac lege corpus caſtigare, atque à ciborum ſentina mundare per abſtinentiam, denique ad finem iſtum proximum, & immediatum, ſpeciale hujus legis, quæ de jejunio ab Eccleſia inſtituta eſt; præterim, quòd eadem lege tenemur ad abſtinentiam virtutem, & ad modum, qui pertinet ad rationem propriam ac peculiarem ejuſdem virtutis; non ut hic actus procedat à virtute, ſed qua ex parte actus eſt virtutis; ſiquidem eo modo ſub præcepto includitur, & verè præcipitur: ſaltem tenemur minimè obviam ire mediis ab Eccleſia ad hunc proximum finem inſtitutis.

Poſtremò ad hanc opinionem Cajetani accedere videntur verba S. Thom. in 2. 2. q. 147. art. 6. ad 2. qui de jejunantibus ita ſcribit: *Si autem quis immoderatè potu utatur, poteſt peccare, & meritum jejunii perdere, ſicut etiam ſi immoderatè cibum in una coneſtione abſumat.* Hæc Thom. ſenſit enim hunc exceſſum immoderati cibi meritum jejunii tollere; ſicut & immoderati potus, non tamen jejunii præcepto refragari; ſicut nec eidem refragatur potus, etiam unius prandii immoderatus.

Non me latet, poſtერიorem ſententiam, quæ à Cajetano probatur, pluribus placuiſſe, & fortaiſſis veriore eſſe: mihi tamen dubia eſt, quamvis nolim in re adèd gravi quemdam damnate, facillimè ab hac dubitatione diſceſſurus, niſi vidiffem tot ſanctorum Patrum teſtimonia, tot veterum canonum decreta quibus jejunium ex multis cauſis ac rationibus commendatur, potiſſimam laudem ab abſtinentia ſibi vendicare. Sed & S. Tho. 2. 2. q. 147. art. 1. ad 2. & art. 3. ad 1. poſtèdè ſentit, ſub jejunio contineri abſtinentiam, quæ communi regula ſupererogationis eſt, & diſſert à communi uſu virtutis neceſſario, ut ab illis etiam abſtineamus, quæ ſalva virtute nobis licerent, ſicut in ſexta illatione primæ concluſionis diximus.

Quòd ſi quis bis, ter, vel quater in die jejunii cibum ſumat & comedat, ita quidem ut adhuc verè fuerit uſus abſtinentia, nihilominùs legi de jejunio Eccleſiaſtico late adverſatur, quæ illa lex non tantùm abſtinentiam indixit, ſed & abſtinentiæ modum ac limitem præſcribit: quod omnes fatentur.

Hinc etiam ſubſequitur, eum peccare contra legem & præceptum jejunii, qui jam violato jejunio ¶ ea in die per ſecundum prandium, tertid, aut quater cibum adſumpſerit; denique toties peccare novo peccato, quoties poſt primum à jure permiſſum prandium comederit. Cui opinioni accedit Joan. Med. in C. de pœnitent. tract. 4. c. de num. reſectionum. poſt Joan. de Neapoli in quolibet. Etenim qui bis comederet contra legem jejunii, adhuc obligatur juxta vires proprias eandem legem obſervare, & à cibo

cibo eadem die abstinere; ergo peccabit adversus legem jejunii, qui violata semel eadem lege tertio cibum assumpserit. Nam qualibet die, qua jejunium indictum est, tenetur quis abstinere à cibis, & abstinentiæ virtute uti; à quo præcepto nequaquam eximitur ex eo, quod illa die non possit jejunare semel violata jejunii lege, quia licet jejunare perfecte non possit propter ejus culpam; superest adhuc diei pars, in qua tenetur abstinere, cum verè abstinere possit. Nec quidquam oberit, quòd is abstinencia uti non possit, quæ ad jejunium requiritur; quum jejunium nihil aliud sit quam abstinencia certis ac quibusdam limitibus jure præscripta. Nam quamvis semel violata jejunii lege non possit illo die abstinencia perfecta uti, poterit tamen ea uti nihilominus quoad reliquam diei partem, atque ideo partim legi satisfacere, ac video qua ratione, qui non possit præsertim ejus culpa, totam servare legem, sit exemptus ex hoc ab ejusdem legis vinculo, quoad eam partem, in qua legem adimplere commodè valeat. Ex quo mihi hæc opinio potius placet, quamvis contrariam præter alios constanter asseveraverint Durandus, & Palud, in 4. dist. 15. q. 4. art. 5. Cajetan. in verb. jejunium. Angel. §. 22. & Sylvest. q. 8. vers. 4. rursus idem Cajetan. 1. 2. q. 147. art. 8. qui testatur hanc opinionem communem esse.

De hora prandii est adnotandum; † in diebus jejunii horam prandii definitam esse nonam diei. Quod probatur ex Athanasio in lib. de virginitate. Epiphano contra Messalianos, qui quarta, & pro sabbato jejunium ex traditione Apostolorum statutum esse, usque ad horam nonam, scribit. Idem constat ex Concilio Magantiaco, canone 34. cujus superius mentionem fecimus, quo ad jejunium quatuor temporum. De jejunio quadragesimæ extat apud Gratianum ex Concilio Cabilonensi, canon solent. de consec. distin. 1. ex Ivone Carnotensi lib. 2. de jejunio quem canonem tribuit Concilio Chalcedonensi S. Th. 2. 2. q. 147. art. 7. Burchard. verò ex decretis Sylvestri Papæ eum reculit lib. 13. c. 12. Inter quæ nondum ipse legi canonem istum, nec inter extat inter canones Concilii Cabilonensis, nec Concilii Chalcedonensis. Sed ex eo deducitur; in quadragesima ad horam usque nonam differendum esse prandium illud unicum; quod ab Ecclesia in diebus jejunii præscribitur: & deinde adjicitur, Nullatenus jejunare credendi sunt, qui antè manducaverint quàm vespertinum officium celebretur. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemnibus & vespertinis officiis, & largitis elemosynis ad cibum accedendum est. Hæc ille canon. Ex quo S. Thom. & cæteri Theologi communi omnium consensu existimant, horam prandii unci jejunantibus nonam fuisse præscriptam, tametsi Pan. in rubrica de observatione jejun. existimer, nullibi à jure Canonico statutam esse horam nonam ad prandium jejunantibus, in alio tempore, quam in quadragesima, quo post vespertas permittitur prandium unicum; licet communis consuetudo etiam in aliis jejniis horam nonam præscripserit. Qua in re observandum erat, quam ratione sint dierum horæ connumerandæ, siquidem variè solent ex variis causis discerni. Et sane illud ad hujus tractatus intellectum obtinuit, quod Andr. Alciat. diligenter adnotavit in l. 2. ff. de verb. signifi. cui Antonius Augustin. accedit in lib. 4. emendationum c. 13. Veteres quidem in duodecim horas diem divisisse, totidemque noctem, eaque de causa sextam diei horam meridiem fuisse, sextam vero noctis mediam noctem. Qua ratione æstate diei horæ majores erant: & noctis minores, brumæ autem tempore noctis horæ majores erant, diei verò minores. Crescebant enim & minuebantur, ut dies ipsi & noctes. Quæ ex Jurisconsultis probantur l. 1. de manumissu. l. a qua stat. qui testam. face. poss. l. in

usuptionib. & l. ideoque ff. de annuis legat. ubi & in l. Titius. §. Luc. ff. de liberis & posthumis. l. 3. ff. de oper. lib. & in d. l. 2. de verbor. signifi. apertius quæ præmissimus constant, imò ex his loci Jurisconsultorum prius adducti commodius intelliguntur, Et ex Harmonopulo lib. ult. tit. de verb. signifi. Aulo Gel. lib. 3. c. 2. Macrobio lib. 1. Satur. c. 3. Alciato lib. 1. parerg. cap. 48. Alexand. ab Alexandr. lib. 4. capit. 20. Lupo Cælio lib. 7. lect. antiq. cap. 9. Unde fit, ut horæ bifariam distinguantur; quedam enim dicuntur æquinoctiales, quas Græci ἰσημερινὰς; id est, æquales appellant, & hæc semper æqua spatia continent, sive in noctibus sive in diebus, hisque nunc utimur vulgò, & ideo vulgares modo nuncupare possumus. Dicitur sunt æquinoctiales, quòd ariete & libra, atque ita in utroque æquinoctio, singuli dies noctesque contineantur horis duodecim, eisdemque æqualibus, nec & major noctis hora quàm diei. Sunt & horæ ab his dissimiles, quæ inæquales dicuntur, & temporales, quas Græci διὰ χρόνου, quòd quolibet tempore nox in duodecim, & in totidem horas dies, dividatur. Eritque necessario tunc hora diei major in æstate quàm in bruma; & eadem ratione noctis horæ minores erunt in æstate, majores verò in bruma. Hinc Plinius lib. 2. c. 35. Augusti verba referens de sydere crinito inquit: Id oriebatur circa undecimam horam diei, clarumque & omnibus terris conspicuum fuit. Et apud Matheum c. 20. vineæ dominus his qui undecima hora conducti fuerant, tantam mercedem solvit quantam his qui à tertia sextave horâ opus fecerant, paresque fecit eos, qui unam tantum horam in vinea fuissent, his qui totius diei calorem & pondus sustinuisent, Apud Plutarchum in Crasso, duodecima hora dicitur diei ultima. Etenim M. Crassus jam senex, cum Deiotarum Regem eadem ætatè offendisset urbem ædificantem, quid tu, inquit, Deiotare? duodecima hora ædificare cepisti? cui Rex, nec tu quidem, respondis, Crasse, matutino tempore Parthos oppugnavi. Sic & d. l. non minorem. C. de transact. Secunda hora noctis intelligitur, quæ secunda ex duodecim, in quas nox ipsa dividitur. Eadem ratione Jurisconsultus in l. 2. de verbor. signifi. erit interpretandus, dum scribit, cujusque diei major pars est horarum septem primarum diei, non supremarum; id est, major pars est ab hora duodecima noctis ad octavam diei, non à quarta ad duodecimam. De his etenim horis Jurisconsulti passim, ut probatum est, tractavere & ideo de eisdem & hic locus dubio procul est accipiendus. Duodecimam autem horam noctis intelligo ultimam ipsius noctis, ut matutino crepusculo dies incipiat post 12. noctis horam. Sunt etenim primæ horæ diei à 12. noctis, usque ad octavam incipientem finita septima, septem verò postremæ à quinta incipienti ad 12. jam finitam, atque ita non simpliciter ab horarum numero major pars dicitur, sed à diei parte actiosa, nempe ante meridiem, & paulò post. Siquidem veteres matutinas horas, & antemeridianas feriis negotiis occupabant. Adsumendus verò est numerus septem horarum, ex duodecima, non ratione quinque horarum, quæ supersunt, ut quoad eas sit major pars diei, sed ad significandum primas septem horas diei ex duodecim, in quas dies distinguitur, ut comparentur totidem postremis diei horis ex eodem horarum numero. Ex quibus in hoc tractatu de jejunio hora nona erit ita inquirenda, ut diem in duodecim horas omni tempore distinguamus, sitque in ipsa meridiem hora sexta, & ab ea hora nona deducatur, reliqua diei parte in alias sex horas divisa; qua ratione hora nona incipiet post tertiam diei partem ipso die in quatuor æquales portiones distincto. Unde in æquinoctio hora nona dicitur tertia post meridiem juxta horarum rationem, qua modò utimur ex æquinoctialibus horis. In æstate, & diebus

longissimis hora nona erit prope quartam post meridianam, in brevissimis prope secundam, quod est ad hanc rationem exactè præscriptam diligenter observandum, ut veteres canones, & eorum interpretes intelligamus. Sic D. Thom. in d. 9. 147. art. 7. scribit, communi usu, omnibus diebus ferè prope horam sextam cibum adsumi, id est ut ipse intelligo, prope meridiem; & ideo congruè diebus jejunii horam nonam esse unico prandio præscriptam. Idem ipse Thom. in 4. dist. 15. q. 3. ad 3. Quamobrem non levis adest conjectura; imò profectò maxima, tempore D. Thom. in diebus jejunii veteres canones adhuc servatos, & hora nona à jejunantibus cibum assumptum unico prandio fuisse, non priùs. Hæc tamen jure humano instituta sunt, moribusque utentium & consuetudine tolli possunt; idcirco potuit consuetudo in jejuniis aliam horam unico prandio definire, etiam nonam præveniendò, qua ratione qui modò in his diebus hora sexta, & in meridie, aut prope meridiem prandemus nihilominus jejunii legem servamus, canonibusque ac constitutionibus de jejunio satis absque ullo crimine transgressionis obsequimur, quod Caiet. optimè adnotavit in d. ar. 7. & ante ipsum Florent. 4. part. tit. 4. c. 4. & Sylvest. in verb. jejun. q. 4. Eodem fermè consuetudinis jure obtentum est, quòd in quadragesima vespertinum officium dicatur ante prandium prope meridiem hora undecima ex his quibus modò utimur; ita quidem ut duodecima hora, quæ sexta olim dicebatur, in omnibus Ecclesiis vel vespere sint finitæ, vel paulò post finiantur; ea ex causa, quòd in quadragesima non liceret olim prandere, nisi vespertino finito officio, tametsi in aliis jejuniis licitum esset unicuique prandium hora nona. Atque hæc ratio, quæ à consuetudine juri humano derogante deducitur, mihi potius placet, quàm quod hac in re adnotari & responderi solet ex Palud. in 4. dist. 15. q. 4. art. 4. Florent. 2. p. tit. 6. c. 2. §. 10. & Silv. verb. jejun. §. 4. Scribit Palud. in jejunio quadragesimæ prandium licitum esse post officium vespertinum ante horam vespertinam, jam hora non finita; in aliis verò jejuniis post nonæ horæ officium, finita hora sexta, etiam ante horam ferè nonam addit Sylv. more Ecclesiastico tres primas horas dies in æquales appellari Tertiam, Deinde subsequentes tres, quæ finiuntur in meridie, dici Sextam, ac demum tres sequentes dici nonam; & tres postremas Vesperas, quod maximè conducit ad Paludani opinionem, quam probate videtur Florentio. Sed hæc nisi consuetudine consent, nullo jure, aut nullibi, quod ipse sciam, apud Jus Pontificium probantur, tametsi ad officia Ecclesiastica celebranda, & ad canonicas horas publicè in Ecclesia dicendas, receptum sit tempora distingui per divisionem artificialis diei, ut prima dicatur hora ortu solis 12. dici pars 3. item eadem ratione, sicut & 6. quæ ab eodem solis ortu in meridie observanda est omnino, deinde nona eodem discrimine constituto, qua de re legenda erunt, quæ doctè & diligenter tradit Martin. Azpilcueta in c. quando de consec. dist. 1. notab. 3. num. 33. qui verò nimis prævenit horam à jure vel consuetudine prandio præfinitam, reus erit mortalis culpæ, quippe qui jejunium non servaverit, gl. in c. unum horarium. §. alias. 25. dist. Palud. in 4. dist. 15. q. 4. art. 4. Cajet. 2. 2. q. 147. art. 7. quamvis contrarium teneat Ang. in verb. jejunium. §. 2. sentiat Innoc. in rub. de observat. jejun. n. 3.

15 De Delectu ciborum, † qui non parum conducit ad veram pietatem augendam, quique maximè utilis est ad effrenatam libidinem coercendam, si ab his abstineamus escis quæ ad libidinem inflammant, non est cur hoc in loco longiùs tractemus, siquidem adversus Iovinianum, Waldenses, & Lutherum multa scripta sunt, quæ poterit lector diligentius tradita legere apud Jodocum Clichtovæum in propugnaculo

Ecclesie quod contra Luthetanos scripsit, & rursus apud Alfonso de Cattr. in lib. de hæresibus, didioneibus. Ioa. Bunder. in compendio adversus Luthetanos edito. tit. 35. Martinum ab Ayala Guadixiensem Episcopum. lib. 3. d. traditio. Eccl. 6. de delectu ciborum. Etenim quoad nostrum atinet institutum, illud est adnotandum, in quadragesima, & omnibus diebus, quibus ex institutione Ecclesie jejunare tenemur, ab esu carniùm esse omnino abstinendum, quod de quadragesima constat ex decreto Telesphori Papæ c. statumimus. dist. 14. & canone 56. sextæ Synodi generalis Concilio Tolerano, c. 10. & Concilio Toletano 8. c. 9. qua in re S. Tho. in 2. 2. q. 147. art. 8. & omnes Juris utriusque interpretes planè conveniunt. De aliis jejuniis extra quadragesimam idem probatur ex c. de esu carniùm, de consec. dist. 3. & Concilio Gerundenf. c. 3. Concilio item Maguntiacò, c. 34. apud Gratianum in c. 2. 76. dist. quamvis non integro, ut obiter superiùs adnotavimus, idque ab Ecclesia Catholica receptum extat. De lacte verò, butyro, caseo, & ovis controvertitur, hæc etenim prohibita esse, in quadragesima, fatentur omnes, & planè deducitur ex Gratiano in c. denique 4. dist. 1. Par autem est, inquit, ut nos, qui his diebus à carniùm animalium abstinemus, ab omnibus quoque qua sementinam trahunt originem carnis, jejunemus, à lacte videlicet, caseo, & ovis. Hæc Gratianus ex D. Gregorio, apud quem id nondum potuit reperire. Nihilominus S. Tho. in d. art. 8. Archid. in c. rogationes. de consec. dist. 3. Inno. & Pan. in rub. de obser. jejun. num. 5. & eo teste, omnes alii asseverant, Jure Pontificio in jejunio quadragesimæ prohiberi ova, lac, caseum, & his similia. Quod expressim probat canon sextæ Synodi à nemine hac in quæstione citatus. In aliis autem jejuniis non esse hæc vetita, sed tantum esum carniùm. Vnde nisi aliud fuerit consuetudine obtentum, in aliis jejuniis præter quadragesimam licebit ovis, caseo & lacte vesci, Qua ratione observanda erit cujusque provinciæ consuetudo tametsi Panorm. non satis ex mente S. Thomæ hujus quæstionis resolutionem duxerit. Etenim D. Thomas, & qui eum sequuntur, asseverant; in aliis jejuniis præter quadragesimam, non esse caseum, ova & lac prohibita; & ideo consuetudinem fore observandam: atque ad eò sentiunt, posse jejunantes his cibis uti, nisi consuetudine prohibitio eorum fuerit inducta. Quæ quidem conclusio ab ea differt quam Panor. deduxit, scribens, in aliis jejuniis posse jejunantes his vesci cibis, si id fuerit obtentum consuetudine. Quid etenim si nulla sit hæc de re consuetudo? & in hoc Panor. omisit, quod Thom. egregiè sensit, & qui eum secuti sunt. Ego verò existimo, ova, caseum & lac, atque his similia, vetita esse jure in his diebus, quibus jejunii causa caro fuerit prohibita idque mihi probari videtur ex ea ratione, qua D. Gregor. apud Gratianum in d. c. denique usus est, & quæ à Synodo sexta traditur in d. can. 56. Visum est, ergo, inquit, ut omnis Dei Ecclesia, qua in universo terrarum orbe, unum ordinem sequens jejunium perficiat, & abstineat sicut ab omni maleabili, sic & ab ovis, & caseo, quæ quidem sunt fructus & factus eorum à quibus abstinemus. Hactenus ille Canon. Qua ratione & S. Thom. in art. 8. utitur, atque ideo prohibito esu carniùm jejunii causa, & ova, lac, caseusque, & his similia vetita censentur.

De rogationibus, extat Aurelianensis Synodi primæ canon. 29. apud Gratianum, de consec. dist. 3. c. rogationes quo institutum est litaniarum, id est, supplicationes divinas † aut rogationes, ante Ascensionem Domini triduo celebrari, jejuniumque indictum est illis tribus diebus, cujus celebritatis, quæ ferè in toto Christiano orbe recepta ubique videtur, origo deducitur ab historia, cujus ex Gregorio Turonensi l. 2. c. 34. meminit Andr. Aleiat. lib. 9. parerg. c. 11, Gregor. etenim ex

Aviti homilia refert: quæ extat in tom. 7. *Sacra Bibliotheca.*) à Mamerto Viennensi Episcopo, primum has litanias institutas fuisse, ad expianda prodigia, cum terra movisset; cum lupi, aliaque feræ urbes oberrarent, damnoque & terrori mortalibus essent. Cujus rei dispersa per provincias fama, & cæteros Antistites invitavit, ut exemplum sequerentur, adeo ut in Italia quoque celebrarentur, & religiosè quidem. Idem conitar ex Adonis Archiepiscopi Viennensis *Chronica*, qui hujus instituti originem tribuit anno Dom. 452. Præter hæc Burchard. *lib. 13. c. 7.* ex Concilio Aurelianensi c. 6. ita scribit: *Cum exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, ne hujus flagelli aliquod remedium inveniri posset, congregati traduntur Galliarum Episcopi apud Viennam urbem atque in communem statuerunt, ut triduanum jejunium facerent. Cumque Dominus pestem misericorditer abstulisset, hi dies in consuetudinem annua celebritatis venerunt, ut per Galliarum provincias ante ascensionis Domini diem celebrarentur. Agamus & nos hos dies cum summa reverentia & devotione, cum abstinentia carnis, & humilitate cordis, non ut visibilibus luporum rabiem evadamus, sed ut invisibilibus, id est, spirituum immundorum tentamenta vincere valeamus. Nullus autem his diebus vestimentis pretiosis induatur, quia in sacco, & cinere lugere debemus; prohibeantur ebrietates & comestiones quæ sunt in vulgari plebe, Nemo ibi equitare præsumat, sed discalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam muliercula choros ducant, sed omnes in communi Kyrie Eleyson decantent, & cum contritione cordis Dei misericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peste, pro conservatione frugum, & pro cæteris necessitatibus. Dies enim sunt abstinentiæ, non lætitiæ. Hæc apud Burchardum quæ apud Gratianum, & in libro Conciliorum breviter nimis referuntur, tamen illic Concilii Aurelianensis definitio explicetur: quæ memoria veteris instituti hanc celebritatem renovavit, cujus origo Mamerto Viennensi Præsuli, etiam à Guaguino tribuitur *lib. 1. de gestis Francorum* paulò ante Clodovæi Regis primi obitum, anno Dom. ferè 514. Sed & auctor *Micrologi* asseverat, minores Litanias, eademque triduanas à Mamerto Viennensi Episcopo institutas fuisse: Majorem verò Litaniam à Beato Gregorio Pontifice Maximo pro ipsius temporis pestilentia, utiturque testimonio ipsius Gregorii in epistola ad Joannem *Ravennatem Episcopum*. Idem tradit Rupertus Abbas *lib. 9. de divinis offic. c. 5.* quibus adde eundem divum Gregorium *lib. 11. epist. c. 2. & lib. 4. Epist. 45. & lib. 2. in prin. & Joan Diac. in ejus vita, c. 41. & seq. lib. 1.* Hoc verò jejunium moribus sublatum est, quamvis his diebus ab esu carniæ abstinemus saltem feria secunda & quarta, juxta cujuslibet provincie consuetudinem. De his verò litanis actum est in Concilio Tolerano 4. *c. quando presbyteri. 38. dist. & in Concilio Maguntino 1. c. 33. tit. de constit. & consuet. c. 7.**

De his verò rogationibus legendus erit *Lapus allegat. 99* an tunc judicia exerceri possint, & de alia quæstione *Fel. in c. dilectus. col. ult. de offic. ord.*

Est igitur, ut tractatum illum absolvamus in summa jejunium Ecclesiasticum abstinentia, quibusdam legibus, salutis spiritualis, & religionis causa, Jure Pontificio præscripta.

NOTÆ

JOANNIS UFFELI J. C.

CAPUT XX.

Num. 2. & 3.

Ad subjectum horum numerorum quo videlicet jure jejunium institutum sit atque obliget, vide Leonardum Less. *de justitia & jur. lib. 5. cas. 2. dubitat. 5.*

Num. 6.

Nam & Gentiles religionis causa, ut sanctius sacrificia celebrarent, aut sacris initiarentur jejunia quædam observasse.

Sic Ampharatus summus vates jussit sacerdotes, qui responsa clara accipere, & sincerè reddere velent; integrum diem à cibo, à vino autem triduum abstinere. *Volaterran. lib. 13. c. 4. Anthropol.* Idem Troezenii, qui ut Aridalicam rem divinam facerent, & responsa deorum repeterent, observarunt *Alex. ab Alex. lib. 6. c. 2.* Sed & illis qui sacris Isis initiari volebant, jejunium decem dierum indicebatur, teste *Apul. de Asin. aur. lib. 11.* Quin & iidem Ethnicis promptissimam ad Philosophiam, & liberaliores disciplinas viam docebant abstinentiam, & extat præclara epistola Platonis ad propinquos Dionis, in qua scriptum reperitur. *Nulla modo placuit his in die saturum fieri.* Narrat Plutarchus sacerdotes Heliopolitos numquam in templum sui Dei vinum intulisse: & apud Athenienses sacra quædam sola aqua peracta fuisse, auctor est Plutarchus *lib. de Isid.*

Observarunt & Hebræi olim jejunia quædam.

Hic *Tob. 12. Bona est oratio cum jejunio, & elemosyna, magis quam thesauros auri recondere.* Item *Judith. 4. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces nostras, si manentes permanseritis in jejniis & orationibus in conspectu Domini.* Et *Psalmista 34. Psalm. v. 13. Ego autem cum mihi molesti essent induerbar cilicio; humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo convertetur.* Vnde perspicuum & quanti jejunium fecerint Hebræi. Orandi siquidem causa jejunarunt, severunt, cilicium, & sacco induerunt, sese cinere consperperunt, humi procubuerunt, atque omnino omnes corporis humiliandi rationes exquisiverunt, idque aut publicè aut privatim. Etenim de publico quidem jejunio fit mentio *Judith. d. c. 4. vers. 8. Et clamavit omnis populus ad Dominum instantia magna, & humiliaverunt animas suas jejniis & orationibus ipsi, & mulieres eorum, & induerunt se sacerdotes ciliciis, & infantes prostraverunt contra faciem templi Domini, & altare Domini operuerunt cilicio.* Et admodum notabile perhibetur jejunium Ninivitarum, qui ad prædicationem Jonæ indixerunt jejunium, de quo ita loquitur scriptura, *Jonæ c. 3. Pervenit verbum ad Regem Ninivæ, & surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum, &c. Et clamavit & dixit: Homines & jumenta, & boves, & pecora non gustent quidquam, nec pascantur, & aquam non bibant.* De publico item privatoque jejunio absque corporis afflictionibus sacris litteris fusiùs probat *Carol. Sigon. de republ. Hebræor. lib. 4. c. 18.*

Numer.

Num. 8.

Ericque hac in re servanda consuetudo loci, non originis illius, qui vescitur aut abstinere tenetur à carnibus, sed ubi is commoratur, etiam absque domicilio iter faciens.

Circa hæc notandum est, peregrinum si ad aliquem locum accessit, ut ibidem domicilium constituat, statim contracto domicilio teneri observare jejunia, festa, & alias loci illius consuetudines, quemadmodum alii cives, ut communis Theologorum tradit schola. Idque ampliatur; ut nullo etiam constituto domicilio; nihilominus ad superiora peregrinus obligetur, si alibi per majorem partem anni manere cogitur, sed etiam si per minorem; Less. *de justit. & jur. lib. 4. c. 7. dubio 7.* Sed, quid si quis per locum aliquem, ubi jejunium celebratur, transit? Et non teneti ratione simplicis transitus, nisi illic eo die maneat, tenet Eman. Za *in aphorism. verb. Jejunium, num. 1.* quod plenius discutit Less. *cit. num. 51.* in hæc verba: *Non tamen ita stricte intelligendum puto, ut ratione simplicis transitus obligetur. Non enim consuetudo id tam stricte observat, unde si eodem die quo venit, vel postmodum cogitur discedere, non tenetur; secus si integro die vel pluribus ibi manere statuerit. multoque magis, si aliquot hebdomadis aut mensibus, tunc enim postmodum quam venit debet se conformare: quia talis dicitur ibi manere & habitare pro tempore; quod si ab initio non statuit ibi manere, & singulis diebus capiet occasionem redeundi non puto teneri, etiam si forte non proficiscitur: quia non censetur ibi ullo die manere, sed esse assidue veluti in transitu, quod intelligo, si putet eo die se profecturum. Alioquin si putet se mansurum, videtur teneri ad jejunium illius diei, quia illo die non se habet per modum transeuntis, sed manet ibi toto tempore quo præceptum obligat. Similiter videtur teneri in dubio an sit profecturus, quia certus est se jam esse in loco, ubi præceptum jejunii obligat, & non constat ei de profectioe per quam esset excusandus. Ita Less. loco *cit. num. 52.* Vbi & illud quaerit, an si is, qui jejunium quadragesimæ vel aliud explevit, venerit ad locum ubi illud nondum est peractum, ut sit ratione novi Kalendarii non passim recepti, teneatur ibidem rursus jejunare, & à carnibus abstinere? Et non teneri scribit, etiam si constituerit ibi domicilium, quia præceptum illud jam in sua Ecclesia implevit. Cavendum tamen esse ne alii inde scandalizentur.*

Num. 10.

Jejunia Canonicis legibus instituta, ita ex præcepto servanda sunt, ut mortalis peccati reus sit omnino censendus qui absque justa causa eadem servare omiserit.

Quæ hoc numero tradit Covarr. communi Theologorum sententia recepta esse asseverat Less. *de justit. & jur. lib. 4. c. 2. dub. 5. numer. 32.* quo loco etiam *num. 25.* hæreticorum argumenta refellit, quibus probare conantur fideles nullo jure ad jejunia adstringi. Porro qui teneantur jejunii Ecclesiastico præcepto, & qui excusentur, easque causas tradit & refert idem Less. *loco d. ib. 4. cap. 2. dubitat. 6.* Cardinal. Tolerus *in summa, li. 6. c. 4.* Navarr. *in Manuali, c. 12. num. 16. & seqq.* Lud. Lopezius, *Summa Benedicti. Minorit.*

Num. 12.

Verfic. *Secundò opinioni.*

Nam etsi finis jejunii sit, per corporis extenuationem animam ad supernorum contemplationem erigere.

Triplicem finem jejunii tradit Tolet. *in summa, lib. 6. c. 2.* Ejusque octo commoda recenset Less. *de justitia & jure, li. 4. c. 2. dubit. 10.*

Tenemur enim hac lege corpus castigare.

Non invenistè hic quaeri potest, an judex culpam, qui solvendo non est, eertorum dierum jejunium adscribere possit; cum jejunium non sit pœna civilis, sed Ecclesiastica, & species pœnitentiæ potius quàm pœnæ, quæ nihil habet commune cum luitione æris alieni, vel multæ interrogatæ satisfactione, neque Ecclesiasticæ pœnæ ad leges civiles & prætorias condemnationes, referri possint. Senatus Paris. malè judicatum fuisse pronunciat, ab eo judice, qui jejunium in commutationem pœnæ pecuniariæ indixerat. Refert Ann. Robert. *lib. 2. rerum Judicatar. c. 15.*

Verfic. *Postremò.*

Si autem quis immoderatè potu utatur, potest peccare, & meritum jejunii perdere sicut etiam, si immoderatè cibum in una comestione adsumat.

Distinguit hoc modo Less. *de justit. lib. 4. c. 2. dubitat. 2.* si tantus sit excessus, ut transgressor peccet mortiferè, amitti meritum jejunii, sicut & aliorum bonorum operum: si autem non peccet mortiferè, non amittere absolutè, sed solùm ex parte, quia qua parte voluntariè abstinet à cibis vitatis, & à secunda refectione, propter Ecclesiæ præceptum meretur. Quod meritum non eliditur, etiam si in usu cibi vel potus non servet debitam moderationem qua tamen parte excedit, non meretur. Ita Less. *loco d. loco.* Potus enim quamvis vini sit, jejunium non solvit, sive sumatur ante prandium, sive post prandium: *de justit. & jur. lib. 4. c. 2. dubitat. 2. n. 10.* Tolet *in summa, lib. 6. c. 1.* dummodo potus sit: nam lac sumptum ante prandium sive post, solvit jejunium, quia per modum cibi communiter sumi solet, Tolet. *dicto loco.* Sed nec jejunium solvitur, etiam si quid edatur ne potus noceat. Eman. Sa *in Aphorism. verb. Jejunium, num. 8.* Nec tunc quoque, cum per modum medicinæ vel pharmaci aliquid sumitur, Tolerus, Sa & Less. *loco cit.* licet nutriat. Vnde non solvunt jejunium qui ob stomachi debilitatem, vel ob capitis dolorem, manè aliquid cibi capiunt. Tolet. *ibidem.* Similiter non infringit jejunium cibi prægustatio, ut sit à coquo: aut pincerna, nec jentaculum vespertinum pro more sumptum, vel ex causa sumptum manè, dilato in vesperum prandio; nec si statim factò prandio parum edas rogatus, ut sit, ab amico comedente: illud enim pars prandii censetur; nec si horam prandii ex causa prævenias, ut iter facias, aut propter hospitem. Eman. Sa *supra d. loc.*

Num. 13.

Ex quo mihi hæc opinio potius placet: quamvis contrariam præter alios constanter asseveraverint Durandus & Paludanus.

CON



Contrarium quoque asserunt Navarr. in *Manual. c. 21. num. 14. in fin. Tolet. in summa, lib. 6. c. 3. vers. 4. qui semel. Eman. Sa. in Aphorif. verb. Jejunium, n. 31. Azor. lib. 7. c. 9. quæst. 2.*

Num. 14.

Qui vero nimis prævenit horam à jure vel consuetudine prandio præfinitam, reus erit mortalis culpæ: quippe qui jejunium non servaverit.

Anticipationem hanc tantum peccatum veniale inducere, dummodo id in contemptum jejunii non fiat, scribit Toletus in *summa lib. 6. c. 2. vers. Modus in tempore est. Less. ubi supr. c. 2. dub. 2. num. 12. ubi hanc rationem subdit, quod non violetur substantia jejunii, quæ solum in diebus sita est, in abstinencia ciborum veterum, & abstinencia secundæ refectiois; etsi circumstantia accidentalis, quæ magnam varietatem in Ecclesia habuit, immutetur.*

Plura de jejunio videre est apud Navarr. in *Manual. c. 21. Toletum in summa, lib. 6. c. 1. 2. 3. 4. 5. Azor. lib. 7. permultis cap. Leonardum Less. de justit. & jur. lib. 4. cap. 1. & 2.*

C A P U T XXI.

Jus succedendi ex testamento, & ab intestato, quod plerumque filiis illegitimis à Principe conceditur, an includat jus succedendi contra testamentum.

S U M M A R I U M.

- 1 *Filius naturalis, aut illegitimus, qui habet ex Principis concessione jus succedendi ex testamento, & ab intestato, poterit agere contra patris testamentum, secundum quosdam.*
- 2 *Tria hæc jus succedendi ex testamento, jus succedendi ab intestato, jus agendi contra testamentum, diversa ac distincta esse probatur.*
- 3 *Rursus probatur ex propria verborum significatione, non dari jus agendi contra testamentum patris ex sola concessione succedendi ex testamento, & ab intestato.*

**F**requenter in his rescriptis, quibus filiis & illegitimis à Principe aliquot privilegia conceduntur, hæc clausula scribitur, *tibi que concedimus jus succedendi patri tuo ex testamento, & ab intestato*, soletque controversi, an ex hac concessione, si pater fecerit testamentum, in quo filius legitimatus verbis præscriptis fuerit præteritus, aut legitima bonorum parte privatus; aliquove onere quoad eam gravatus, possit contra testamentum agere. Et fortassis videbitur quibusdam quæstio ista vel inutilis, vel disputatione indigna, ex eo quod filius legitimatus rescripto Principis possit jure ipsius legitimationis agere contra patris testamentum quod equidem verum est regulariter, sicuti & in quartum decretalium, ubi de legitimationibus tractavimus, traditum à nobis est, idque modò concedimus jure probari: & tamen de eo quæritur; an filius legitimatus, qui alioqui agere non potest contra patris testamentum, vel quia legitimatio perfecta non est, vel ex eo, quod ob aliam causam jure ordinario ea actio ei non competat, possit ex interpretatione verborum, quæ sub prædicta clausula continentur, & ex eorum vi ac potestate adversus patris testamentum actionem in judicium deducere. Qua in quæst. fatemur planè, ex

ea clausula hoc jus agendi minimè tolli, si id alioqui competat filio. Sed & ex vi significationis per ea verba hoc jus filio concedi à Principe, & concessum censeferi, existimat fortassis Greg. Lopez vir eruditione ac moribus insignis, in *l. 9. tit. 18. part. 3. Bald. in c. de causis, num. 34. de offic. deleg. gl. Accurs. Bart. & alii ab eo citati minimè quæst. istam explicarunt; sed de jure responderunt generaliter: filio legitimo competere jus agendi contra patris testamentum, ex juris quidem definitione, non ex prædictæ clausulæ significatione: sed ex ea clausula idem esse respondendum aliquot rationibus probari videtur. Et primò Jure etenim Civili nullum aliud successionis genus constitutum est, quàm ex testamento, vel ab intestato. *l. imperialis, §. præsentis. C. de nupt. notatur in l. 1. ff. de inoff. test. in l. cum antiq. C. de jure de lib. & successio adversus testamentum, includitur sub successione ab intestato, sicuti deducitur ex Jurisconsulto in l. 1. ff. de bon. poss. contra tab. rursus eadem comprehenditur ac dicitur esse ex testamento. §. sunt autem, inst. de bon. poss. Igitur cum filius legitimatur ad succedendum patri ex testamento, & ab intestato, ex propria horum verborum significatione, etiamsi aliunde nihil petamus, poterit patri succedere ex testamento, & ab intestato, & contra ejus testamentum, ad omnem etenim successionem legitimus censeferi debet, quæ Jure Civili filiis datur. Secundò eadem sententia plurimum coadjuvatur ex text. *in auth. quib. mod. nat. offic. sui. §. & quoniam variè. & in d. l. imperialis. §. præsentis, l. cum quis. C. de natur. lib. in auth. de nupt. incest. dubitatum, & §. quib. inest. de hered. que ab intest. deser. Quibus in locis, filiis, quibusdam datur jus succedendi ex testamento, & ab intestato, quibus itidem competit jus agendi contra paterna testamenta. Tertio huic opinioni suffragatur Iasonis responsum, is inquam in *conf. 202. lib. 2. col. 4. vers. pro predictorum*, scribit de hujus clausulæ interpretatione, diligenter agens, duplicem esse successionem ex testamento, quarum prior ea dicitur, quæ secundum testatoris voluntatem contingit; quoties scriptus hæres hæreditatem capit; posterior est, ubi adversus testamentum vel querela, vel jus dicendi nullum admittitur, alterque succeditur testatori, quàm ipse voluerit, imò contra ejus voluntatem. Atque dicitur nihilominus successio ex testamento, quia nusquam amittitur, nisi facto testamento, quod sentit gl. in *l. ult. C. unde legit. Subdit idem Iason, itidem esse duplicem successionem ab intestato, una quidem est eo auctore, quæ contingit ex tacita voluntate illius cui succeditur, & qui nullo facto testamento visus est ad ejus hæreditatem vocare illos successores & hæredes, qui jure & legibus ad intestatorum hæreditatem vocantur. *l. conficiuntur. ff. de jure codicil.* Altera vero, cum filius agit adversus voluntatem patris intestati querela inofficiosa donationis ad rescindendas inofficiosas patris donationes, juxta ea quæ de inofficiosis donationibus statuta sunt. Hæc Iason, cujus testimonio illud constat, successionem ex testamento includere etiam successionem illam quæ contra testamentum lege datur;****

Cæterum hac in re miror profectò quorundam ingenia judiciumque ex eo potissimum, quod facillimè propriam dictionum significationem evertere pro nihilo tentant, modò ex quacumque verborum significatione possint, quæ semel in animo conceperunt, ex aliquot Juriscons. locis deducere. Nam si propriam interpretationem sequamur, & successio ex testamento tantum erit, ac dici poterit, quæ contingerit juxta voluntatem testatoris, ab his quæ in testamento scripta sunt, legitimè deductam. Quod si contingat, testamento illo rupto, vel injusto, vel inofficioso alium admitti ad testatoris hæreditatem, vel ali-

ter quam ab ipso scriptum fuerit; non est ita successio dicenda ex testamento, cum detur contra ipsum; siquidem ex testamento non aliter succedendum ut, quam ex voluntate testatoris, argum. deducto à Jurisconsulto in *l. i. ff. de testam.* Successio vero ab intestato tunc obtinet, cum quis nullo facto testamento decessit, aut facto testamento quod jus non admittit. Constat equidem hoc discrimen ex Justiniani institutionibus in *pr. de hered. quo ab intest. de ser. & illis Theophilo*. Deinde tria hæc esse admodum diversa constat succedere ex testamento, succedere ab intestato, & agere contra testamentum. Nam licet filius adoptivus succedendi jus habeat ex testamento, & ab intestato, non tamen habet jus agendi contra patris adoptivi testamentum *l. cum in adoptivis, §. sed nec ad art. C. de adop.* Fratres etiam succedunt fratribus ex testamento, & ab intestato; non tamen agunt contra testamentum. *l. fratres. C. de inoffic. testam.* Eadem argumentatio constat ex *auth. quib. mod. nat. ff. sui. §. si quis vero filius*. Ex quo curiali intestato succedit curia, & filius, non tamen contra ejus testamentum. Tertio hæc tria distinguere debere & diversa esse, asseverant Rom. in *l. ut liberis, 2. & 3. col. c. de collat. & Soc. in rub. ff. de lib. & posth. num. 8*. Quarto hanc posteriorem opinionem, qua constanter asseveramus, sub his verbis, † ex testamento, & ab intestato, minimè contineri successionem contra testamentum, etiam in legitimationum scriptis, expressum probarunt Alex. *conf. 30. lib. 4.* in ratione quam assignat, scribens, aliud esse agere contra testamentum, aliud succedere ex testamento, aliud succedere ab intestato. Soc. *conf. 212. lib. 2. colum. 3. vers. 6.* hoc idem & Lud. Gozad. *conf. 48. num. 2. 21. & 22.* qui primò, hanc interpretationem horum verborum, quam ego probavi, tradit, & postea subdit, legitimum illum de cujus jure in eodem responso tractat, agere posse contra testamentum patris. Non ex hac clausula, nec ex ejus vi ac potestate, sed ex aliis ipsius legitimationis amplissimis verbis, ex quibus & quia legitimatio illa plenè facta fuit, atque ideo multa habet ex jure privilegia, proprium responsum Gozadini confirmat adjiciens, quòd si huic clausulæ ex testamento, & ab intestato, foret adjecta dictio, *tantum*, vel ei similis, non posset legitimo dari successio contra testamentum patris, nec jus adversus illum agendi. Quo fit, ut hæc verba minimè contineant jus agendi contra testamentum: quia si id contingerent, etiam in legitimationibus non admitterent eam significationem per dictionem, *tantum*, & ei similes, quæ dubio procul non tollunt significationem illorum verborum, quibus adjiciuntur, imò illam extendere solent ad similia. *l. ob as alienum tantum. C. de præd. min. & in clem. exivi. §. cumque autem natura, de verb. signific.*

Non oberunt huic sententiæ, quæ in prioris opinionis probationem adduximus. Primùm etenim opinor Greg. Lopez potius respondisse juxta communem illam ab omnibusque receptam asseritionem, quæ dicitur filio legitimo plena legitimatione competere jus succedendi, & agendi contra patris testamentum; quam secundùm rigorem horum verborum, ex quibus clausula ista, de qua disputamus, concipitur. Vnde doctissimi viri auctoritas parum nostram convellit opinionem.

Id verò, quòd probare conabamur, scilicet non esse jure aliam successionem, quam ex testamento, & ab intestato, id verum est, nec negari poterit, nihilominus jus agendi contra testamentum, nec est successio ex testamento, nec ab intestato, & si aliquid istorum esset, non equidem erit eo modo, ut necessariò ita illic contineatur, quòd con-

cessio jure succedendi, vel ab intestato, vel ex testamento ei cui alioqui negatum legibus erat, concessum itidem censetur jus agendi contra testamentum. Etenim postquam quis jure egerit adversus testamentum, & in ea actione obtinuerit; tunc constabit successionem defuncti delatam esse successoribus ab intestato, juxta disputationem illam, quæ traditur in *l. filia dotem & in l. ut liberis C. de collat.* per Albert. Brun. in *tract. de status exclud. serm. num. 10. g. 3. & 4.* quidquid enim sit de illa controversia an bonorum possessio contra tabulas ante aditam hæreditatem, vel post in judicium deducta, deducatur successionem ad causam intestati; illud mihi videor jure asseverare posse, possessionem bonorum contra tabulas idè dicitur à Justiniano in *§. sunt autem Inst. de bon. poss.* esse ex testamento, non quòd ex testamento succedatur, id etenim satis absurdum est, sed quia ad ejus ulum præmittitur testamentum, quod ex ea rumpi debet jure prætorio, quasi dixerit Imperator, hæc bonorum possessionem non aliter dari, quam facto testamento; nec tamen ex ea succeditur, sed testamentum rescinditur, ab eaque ex occasione præstatur & aperitur successionis via, eademque ab intestato *d. l. ut liberis* cum his quæ Bart. notat in *l. ult. ff. de poss. con. tab.* tametsi, quia facto testamento decessit defunctus, etiam illud rescindatur, jure tamen prætorio, pura propriæque intestati successio non dicitur. Siquidem testator testamentum fecit jure civili validum, quamvis quoad effectum intestato illi succedatur, cum testamentum fuerit prætorio jure rescissum. Sic tandem Juriscons. in *l. filium, §. legat. de bon. poss. contra tab.* hanc successionem, quæ datur per contra tab. bon. poss. ab intestato nominat. Cui accedit, quòd qui ita succedit, avocatur hæreditatem ab hærede scripto. *l. emancipati in pr. ff. de bon. poss. contra tab.* Fit igitur, aliud esse jus succedendi ex testamento, vel ab intestato, aliud jus agendi contra testamentum, ex hoc siquidem ultimo jure testamentum rescinditur, ex altero succeditur. Quod satis erat ad primam contrariæ opinionis rationem convellendam. Nam etiam si præmittatur actio contra testamentum plerumque ad aperiendam viam successionis ab intestato, non ex hoc actio ipsa est successionis ab intestato, nec includitur necessariò in ipso jure succedendi ab intestato, cum id possit competere atque jure agendi adversus testamentum.

Secunda ratio, qua urebamur ad priorem opinionem probandam, parum profecto urget. Nam licet filiis per sequens matrimonium legitimatis, & per rescriptum Principis, atque in his similibus detur jus agendi contra patris testamentum, non competit ea actio ex eo, quòd illi jure sint successores ex testamento, & ab intestato sed quia Jus Civile illis filiis plena jura filiorum legitimorum concessit: tunc enim ex Juris Civilis amplissima concessione & indulgentia filii alioqui à natiuitate illegitimi admittuntur contra patris testamentum, non tamen ex vi ac potestate illorum verborum, quibus eis datur successio ex testamento, & ab intestato.

Tertia ratio ex Jasonis responso deducta tollitur quoad ejus priorem partem, ex his quæ paulò antè probavimus, & idem Jason sensit: siquidem ubi agitur contra testamentum, dicitur impropriè successio ex testamento in hunc sensum, quia non aliter potest ea actio deduci quam facto testamento. & eò quòd id præmittitur factum, appellatur ea successio ex testamento, non tamen verè succeditur ex testamento, id est, ex voluntate testatoris, imò tractatur de ejus voluntate rescindenda, & testamento rumpendo, eritque quoad effectum successio tunc ab intestato.

Poste-

Posterior autem pars non satis constat, quia etiam facta testamento potest contingere, & dari querela contra donationes inofficiosas ad earum rescissionem, tametsi tunc filius illa bona jure portionis legitimæ, quæ sibi debetur, rescissis donationibus obtineat, quasi ex causa intestati. Sic sanè, ut & hoc iterum repetam, ego existimo distinguendum esse jus agendi sive contra testamentum, sive contra donationes inofficiosas jure succedendi; priori etenim præparatur via succedendi, posteriori verò succeditur.

Quibus diligenter ex propria dictionum significatione observatis, apparet, verba hæc ex testamento, & ab intestato hanc interpretationem admittere, ut ex testamento succedatur secundum voluntatem testatoris ab ipso scripto testamento, vel ab ejus ultima voluntate deductam; ab intestato verò, quoties defunctus, vel is, de cujus hæreditate agitur, nullum fecit testamentum, vel quod fecit non fuit jure validum. Hinc denique deducitur, quòd si filius naturalis, vel alioqui illegitimus, rescripto Principis dispensationem obtineat, vel jus consequatur succedendi patri ab intestato, non poterit is contra patris testamentum agere, quemadmodum *Jas. adversus Paul. de Cast. eleganter probat in rubr. ff. de lib. & posth. n. 5. & 13.*

## NOTÆ

JOANNIS VFFELI J. C.

## CAPUT XXI.

Præter ea quæ de legitimatione per rescriptum Principis tum hoc capite, tum *tomo 1. de matrim. part. 2. §. 7. c. 8. & seqq.* tradit Auctor, subsequenter annotare visum fuit. In primis legitimationem filij naturalis, vivo etiam & consentiente patre postulata, in præjudicium liberorum naturalium & legitimorum non valere, nisi horum, & uteri etiam prægnantis (Alex. Trentacinque *variar. resolut. lib. 1. resolut. 2. de legitimatione, num. 18.* in libello supplice expressa facta mentio sit. *Ferr. in not. ad Guid. Pap. q. 482. Mynf. cent. 1. observat. cameral. 35. Gail. lib. 2. observ. 142. n. 8. & 9.* & Princeps cum clausula, *non obstante*, vel *de plenitudine potestatis* rescripserit. *Ferr. d. loc. vel alias causæ cognitio* intervenerit. *Gail. Mynf. loc. cit. atque hanc communem esse asserunt Gail. dict. lib. 2. observ. 142. num. 8. & 9. Grass. §. successio ab intestato, q. 19. num. 11. Eman. Soar in Thesaur. recept. sentent. in verb. legitimationis rescriptum num. 113.* Licet ab illa, quatenus mentionem naturalium & legitimorum requirit, recedat Papon *3. notar. lib. 6. tit. de la legitimation des bastards, ver. l. Nous demeurons. fol. mihi 438.* & in contrarium judicatum refert *Imbert. in Enchirid. in verb. legitimationis. eò quòd parentibus libera bonorum dispositio sit, nec videantur naturales & legitimi hujusmodi legitimationem impedire potuisse.* Verùm prior opinio praxi & æquitati magis consona est.

Porro prædictæ legitimationis per rescriptum Principis is effectus est, quòd ita legitimi unà cum naturalibus & legitimis ab intestato parenti suo succedunt.

Sed quid, si post legitimationem rescripto Principis impetratam, demum liberi naturales & legitimi nascantur? Hoc casu quidam legitimationem quoad effectum successionis revocari censent; alij verò legitimatum cum legitimis & naturalibus postea natis nihilominus succedere tradunt, quæ sententia à Doctoribus communis recepta est *Grass. loc. cit. Trentacinq. d. loc. n. 9.* Et tamen jura Hispaniæ refragantur. *l. 11. Taur.*

Et hæc ab intestato. Ex testamento autem, liberis naturalibus & legitimis extantibus, pater filio naturali

per rescriptum legitimo non plus relinquere potest, quàm uni filiorum naturalium & legitimorum, cui minimum relinquit. *Gail. d. observat. 142. nu. 9. Ferrer. ad Guid. Pap. d. q. 482. Alex. Trentacinq. ubi supr. num. 37.*

Quod supra dictum est legitimationem non subsistere si naturales & legitimos in libello supplice legitimationis causa oblato pater celarit, hunc sensum habet: ut ita legitimatus non succedat cum liberis naturalibus & legitimis, de quibus in rescripto non est cogitatum. At si statum personæ legitimatæ consideres, nihilominus ad honores, dignitates & similia admittendus est. Vti tenet *Tiraqu. ad l. si unquam, de revoc. donat. in verb. donatione, n. 310. 316. & seqq.* Sed id in ditione Brabantorum parum proficit, quòd eorum nimirum moribus legitimati per rescriptum Principis nequaquam habiles ad dignitatem & officia redduntur. Prædictis quoque adnotandum est, legitimatos per rescriptum Principis, non esse melioris conditionis quàm sint legitimi & naturales: nec locum in illis habere ea quæ statuto in favorem legitimorum & naturalium introducta sunt, quocirca statuto quo existentibus filijs ipsæ filia excluduntur, legitimati ad filiarum conclusionem non continentur. *Fer. d. loc. Moli, §. 8. ad consuet. Paris. Tiraq. ad l. Si unquam, in verb. Susceperit, n. 97. & 98. dict. l. in verb. conatione, num. 2. 5. & 223.* Sed pariter cum illis admittuntur, quatenus tamen natura bonorum id patitur, nam in feudis, emphyteusi Ecclesiastica, & similibus, legitimati non succedunt, nisi legitimationis rescripto hoc expresse dictum, & cautum sit. *Gail. lib. 2. observat. 140. num. 6. 7. 8. & 9.* Fallit tamen secundum eum prædicta decisio si amplissima legitimationis forma sit, & Princeps legitimatum voluerit esse legitimum etiam quoad statuta cum in legitimatione sola Principis voluntas attendatur. *Gail lib. 2. obser. 140. n. 20. & obser. 142. quem vide.*

Est & is legitimationis per rescriptum Principis effectus, quòd filius naturalis vel spurius rumpat testamentum, si pater eo condito illum legitimaverit, vel etiam jam legitimatum præterierit, vel sine causa exhæredaverit: poterit enim legitimatus, si præteritus sit, nullitatis arguere testamentum, & si exhæredatus, querelam instituere, *Jul. Clar. lib. 3. §. Testamentum, q. 84. Eman. Soar. in Thesaur. recept. sentent. lit. L. n. 101. & 102. Thesaur. dec. Pedemont. 84.*

Ita quidem, si filius vivo & consentiente patre ad illius significationem legitimatus sit, secus si post mortem patris absque prævio ejus consensu & actum a Principe se legitimari curasset. *Thesaur. d. loc. num. 4. Menoch. lib. 4. præp. 80. num. 3. quem vide.* Etenim tunc successione paterna naturalis excluditur *Pap. 3. notar. lib. 6. tit. de in legitim. vers. Nous demeurons. fol. 438.*

Quod autem prius traditum est, non validè naturales per rescriptum Principis legitimari, nisi mentione legitimorum & naturalium in supplicatione facta, non ita in cognatis & agnatis obtinuit: siquidem simpliciter, nulla eorum facta mentione, ijs non modò non citatis, sed & invitis, naturalis legitimari potest. *Gail. lib. 2. observat. 142. num. 1. & 11.* Et non extantibus liberis naturalibus & legitimis, patri ab intestato succedit. *Grass. §. successio ab intestato, q. 29. n. 9.*

Nec impedimento erit, etsi legitimationis libello hæc sit inserta clausula, quòd nimirum illa concedatur si consanguineorum consensus intercesserit

Is enim patris hæreditatem non concernit, ut ad illam adipiscendam nequaquam illorum consensu opus sit at tantum si ad hæreditatem ipsorum consanguineorum, agnatorum vel cognatorum, legitimatus admitti vellet, quemadmodum decidit Papon 3. notar. li. 6. tit. de la legitim. vers. Pour la fin fol. 437. & vers. Nous demeurons, fol. 438. Atque ita in plurimis Curia Paris. arrestis judicatum refert Imbert in Enchirid. verb. legitimatio. Papon lib. 5. arrest. tit. 5. artic. ult. Idque usu fori receptum tradit Choppin l. 3. de privileg. rustic. cap. 9. in fin.

Quid si legitimatæ rescripto adjectum sit naturale legitimatum patri succedere posse ex testamento & ab intestato, sine præjudicio tamen venientium ab intestato; tunc, etsi capere possit quæ ex testamento illo à patre relinquuntur, modò portionem liberorum legitimorum & naturalium non excedat ab intestato, tamen à liberis naturalibus & legitimis (licet in contrariam sententiam non pauci recesserint, vide Menoch. vol. 1. conf. 19. n. 26.) æquius eum est excludi; à transversalibus verò non item. Et ita tenet Grassi §. successio ab intestato, nu. 14. Capyc. dec. Neapol. 21. n. 1. & ultim. Et licet posteriore hoc casu probabilius existimet. Fachin. lib. 6. controvers. cap. 62. ut legitimatus cum clausula citra præjudicium venientium ab intestato, non solum à liberis naturalibus & legitimis ab intestato excludatur: verum etiam, si collaterales vel alij conjuncti usque ad quartum gradum, imò alij in infinitum extent: existimans, legitimatorem id tantum operari, ut filius legitimatus sit successione & aliorum bonorum capax, ex testamento; deinde ut proximioribus nullis extantibus, non fiscus, sed ipse ad successionem vocetur. Prior tamen sententia foro nostro magis congruit. Quamquam limitari posset, si certus gradus, sine cujus præjudicio fieret legitimatio, nominatus sit: utpote tertius, quartus; quia eatenus legitimatus excluditur, Grassi supra dictum locum.

Operæ pretium etiam erit & illud annotare, quòd, quamvis legitimatus per rescriptum Principis, agnatis non succedat; agnatos tamen illi ab intestato mortuo, tanquam legitimos hæredes, excluso fisco succedere Charond. lib. 3. respons. 85.

## CAPUT XXII.

Vnde originem habuerit dictio, Missa, quæ pro summo sacrificio auctores Ecclesiastici utuntur.

**V**Ocem istam, qua significamus passim summum sacrificium, in quo adhibita oblatione verum Christi corpus consecratur, & usus Sacramenti perficitur, Latinam esse, quidam ex eo existimarunt, quòd ea dictione usi fuerint Theologi, qui Latinè & eleganter ejus professionis studia attigerunt. Sed & eadem dictione utitur Alex. Pontif. Max. ejus nominis I. & à Petro VI. in epist. 1. In sacramentorum, inquit, oblationibus, quæ inter missarum solemniam offeruntur passio Domini miscenda est ut ejus, cujus corpus & sanguis conficitur, passio celebretur, ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Hæc Alexander, quæ Gratian. refert de consecr. dist. 2. c. in sacramentorum quod est illius distinctionis primum, multa tamen omittit, quæ nos retulimus ex ipsius Alex. epistola, & tradit diligentius Burchard. lib. 5. c. 5. post Alex. Sixtus I. qui eidem successit, auctore Damaso, instituit, ut sacerdote incipiente actionem missarum, à populo cantaretur, sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Hujus verbi eam quidam

arbitrantur esse rationem, quòd missa accipitur pro missione, quasi peracto sacrificio dimitatur populus, cum Diaconus ait, *Ite missa est*, id est, ite missio est. Cui equidem interpretationi suffragatur, quòd apud Cyprian. lib. 3. epist. in epist. 14. remissa pro remissione accipitur. Qui autem, inquit, blasphemaverit in Spiritum sanctum, non habet remissionem, sed reus est æterni peccati. Idem Cyprian. in li. de ben. patientia. Dominus baptizatur a servo, & remissionem peccatorum daturus, ipse non dedignatur lavacro regenerationis corpus abluere. Hanc hujus verbi rationem adnotavit B. Rhenanus in Terullianum lib. 4. adversus Marcionem & rursus in li. de corona milit. & adsumitur origo ejus rei à Græcis & Ægyptijs, qui cum sacris operati essent, missum populum faciebant, nec abeundi potestas prius cuiquam erat, quàm sacrificulus pronunciasset *λαὸν ἀφείσας*, id est, populi missio. Quemadmodum constat ex Apuleio li. 11. de asino aureo, quo in loco Beroaldus id ipsum observavit. Scribit & ad hæc Plutarch. suo tempore Romanos peractis votis Deos venerari, & in templis sedere ac permanere consuevisse. Re demum divina, & cæremonijs peractis sacerdos, *I, licet*. proclama, quasi eos diceret jam abire licere, qui sacris interfuisent. Quòd Gregorius Gyrardus de diis Gentium tradit syntagmate 17. & idem ex veteribus observaverat Servius in li. 9. *Aneid. super illud; Novissima verba*. Proprius tamen huic observationi in initio legis Evægelicæ, & renascētis Ecclesiæ utebantur. Olim etenim post confessionem, cationem, lectionem Evangelij, & exhortationem, ante ipsius hostiæ consecrationem, imò & ante præfationem Catechumeni dimittebantur, quasi indigni forent, ut essent præsentis tanto sacrificio, cum nondum sacrum baptismum suscepissent, & vocabatur hæc prior sacrificij pars *missa Catechumenorum*, quia ea parte peracta mittebantur alta diaconi voce foras. Postea verò reliqua sacrificij parte expedita post communionem Catholici Christiani dimittebantur, eisdem fermè verbis Diacono dicente: *Ite, missa est*, id est, missio aut dimissio est, vobis ire licet. Sicuti ex veteribus auctoritatibus ide Rhenanus explicat in l. de corona milit. Extat & dictio *Missæ*, promissione apud Papinianum in l. vim passam, §. nupt. ff. de adulter. Extatq; D. Gregorij testimonium de ea dimissione Catechumenorum li. 2. dialogorum c. 23. & multo vetustius Dionysij de Eccles. hierarch. c. 3. à quo ceteri acciperunt, quorum meminit Thom. Waldensis de sacramentalib. c. 33. col. ult. idem S. Thom. scribit in 3. p. q. 83. art. 4. ad 4. ex Conc. Carthaginensi quarto, c. 84. apud Gratianum c. Episcopus nullum. de consecr. dist. 1. Episcopus, inquit, nullum prohib. ingredi Ecclesiã, & audire verbu Dei, sive Gentilem, sive Indæum, sive hereticum usque ad missam Catechumenorum.

Scribit ad hæc D. Augustinus tract. in Ioan. 96. Sacramento fidelium, etsi catechumenis non produntur, non ideo fit, quia ea ferre non possunt, sed ut ab eis tanto ardentius concupiscantur, quanto honorabilius occultantur. Constat enim ex eodem tractat. loquente Catechumenis, nullum ex eis admitti ad Eucharistiam, aut de Eucharistia doceri ante Baptismum. Idem docet de verbis Domini, sermone 46. Nam de quibusdam qui Catechumenorum & nondum renatorum typum gerebant, fuisse ait Ioan. 2. Ipse autem Jesus non credebatur se illis. Item retulit Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 8 & 14. Constat denique Catechumenis minimè licuisse Eucharistiam sumere. Ex eodem Augustino lib. 2. de pecc. merit & remiss. c. 26. Imò neque illam intueri, teste D. Basilio de

de Spiritu sancto cap. 27. tradit Spencæus lib. 1. de Eucharistia, c. 2. Quamvis panis benedictus ac sanctificatus ex hoc differens à communi, Catechumenis daretur ex eodem Augustino d. c. 26. qui quidem panis quandoque ab auctoribus Sacramenti nomine cohonestabatur, eò quod sanctificatus per benedictionem esset: de quo tractavere Waldensis de Sacram. c. 177. & Claud. de Sanctis, lib. de Eucharist. repet. 7. post D. Chrysostr. in opere imperfecto super Martheum, in Missarum solemnitate dari laicis his, qui non communicabant, quemadmodum constat ex decretis Pij Papæ c. 4. & Ivone Carnotensi 2. part. c. 37. Referunt & ex aliis Stephan. Victorienſis lib. de Eucharist. cap. 16. Soto num. 4. dist. 12. q. 1. art. 10. & Genebrardus in præfat. ad ritus Græcorum, in 4. tomo Bibliotheca Sancta. Qui tandem usus & ad nostra tempora duravit, idq; sæpè vidimus nos Toleri factum fuisse: & hic panis benedictus donatus olim à Sanctis Patribus in Ecclesia veteri, appellaturque *ἁγία* à Paulino in epist. ad Alypium & in can. 14. Synodi Laodicensæ. Sicut qui dabatur laicis loco communionis Eucharistiæ dicebatur *ἁγία*. Et quamvis prædicta hujus dictionis Missa interpretatio ardeat Anton. Demochares, multa tamen tradit de Catechumenorum exclusione lib. de Missa 2. part. 23. Nec me later, olim à Romanis Pontificibus diebus Dominicis mirti solere presbyteris urbis Romanæ panem, quod fermentum & sacramentum appellat Innocent. I. in epist. ad Decentium Eugubinum. c. 9. Qui quidem usus de Eucharistia videtur intelligendus ex Eusebio lib. 5. histor. Eccles. cap. 14. idque tradit post alios, idem Spencæus lib. 2. de Eucharist. cap. 4.

Quibusdam verò placuit, Missam dici quasi transmissam, eo quòd per sacerdotem, ejusque ministerium sit hostia oblata & missa in eo sacrificio sanctissimo; in quo preces, vota, oblationesque Deo transmittuntur à populis per ipsum sacerdotem, qui mediatoris vice inter Deum & hominem fungitur, quod Hugo, lib. 11. de sacramentis scribit.

Andr. Alciat. lib. parerg. 7. c. 10. fortassis rectius, hanc dictionem ab Hebræis acceptam fuisse censet, apud quos Missa oblationem spontaneam, quæ Domino offertur, significat ex Deut. c. 16. Et celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo missab. Id est oblationem spontaneam manus tuæ, Mas etenim ab Hebræis dicitur oblatio voluntaria. Sic sanè Concil. Colonienſe in Enchirid. Christiana institutionis de sacramento Eucharistiæ, asseverat vocabulum istud ex lingua Hebræa mutuatum fuisse, ad significandum quod Græci *λειτήργιον* dicunt, id est, ministerium, sacrificiumque altaris. Quod & Dionys. aliique veteres Theologi *Synaxin* appellant, id est, collectam, qua sit oblatio spiritualis, quæ mediante sacerdote, quasi collecta & adunata pro omnibus Deo offertur. Qua ratione D. Ignatius in epist. 6. ad Smyrneses, hujus dictionis meminit, scribens non licet sine Episcopo, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare. Et quamvis ea dictio potius tribuenda sit Latino interpreti, quàm D. Ignatio, qui Græcè scripsit; in Græco etenim codice legitur, *δοχή ἁγία*, *δοχὴ ἁγία*, id est, convivium sacrum celebrare, vel distributionem illam sacratissimæ Eucharistiæ solemnī sacrificio Missæ ministrare *δοχή* etenim convivium significat Lnc. 5. Græcum autem verbum huic nomini adjunctum frequenter ad sacrificia pertinet, etiam apud Ethnicos, qua ratione Latinus interpret sensum D. Ignatij aperitissimè exprimere cupiens hac dictione, Missas, usus est; significans & Missam illam, in qua solus sacerdos communicat, & illam

Didaci Covarr. Tom. II.

in qua fideles adstantes, sacramentali Eucharistiæ perceptione communicabant, de quibus sacrosancta Tridentina Synodus tractat. sess. 22. Eandem fortassis rationem habuerunt & veteres Rom. Ecclesiæ, & totius orbis Pontifices, præsertim Alexand. I. cujus superius meminimus, & idem apud Gratianum de consec. dist. 1. c. sufficit. Quibus in locis primus, quod ipse sciam, eadem dictione usus est, ex his quos Latine scripsisse constat. Nam & Clemens I. ante ipsum ejusdem dictionis meminit in epist. 3. c. cunctis fidelibus. 16. quæ fortassis ex Græca in Latinam linguam olim translata fuit. Sed & ex Latinis utitur eadem dictione præter Alexand. paulò post Telesphorus Papa inc. nocte sancta, de consec. dist. 1. Passimque auctores Ecclesiastici ejusdem verbi meminerunt, præsertim D. Ambros. lib. 5. epist. 33. D. item August. serm. de tempore 251. Damasus in Pontificali, & in Felice, ac Synodus Milevitana canon. 12. sed & inter historicos Paulus Diaconus in Theodosij & D. Ambr. historia, Missarum solemnia hisce verbis commemorat. (Sic & Julianus Antecessor in Latina novell. epitome, c. 58. quæ Græcè Justinianus dixerat in novella, ut in privatis locis aut domibus non liceat *τὸ ἱερὸν τὸ ἑρῶταρον*, editio vulgata authenticorum co. l. 5. tit. 12. Latine, quæ sunt sacratissima agere aut sacra ministeria facere, sacram facere Missam, translulit. Juliani verba retulit Ivo Carnotensis 3. part. c. 424. quod & Ant. August. ad Julianum adnotavit. Sic & idem Julian. novell. 7. §. 10. Græcam dictionem *λειτήργιον* Missam Latine translulit.) Eandem hujus vocabuli interpretationem ex testimoniis viri doctissimi Reuchlini probat Spiegel. in dictionario juris civ. verb. Miss. qui & illud addit, Joan. Cassianum lib. 3. c. 7. & S. Benedictum in sua reg. c. 17. non satis eleganter Missam pro fine aut completionem alicujus rei accepisse. Verùm post hujus operis quartam editionem Matth. Galenus, in tract. de sacrificio Missæ. c. 2. hanc istius dictionis ex Hebræa lingua deductionem omnino refellere conatur: sed hac de re judicium sit penes eos, qui linguæ Hebrææ majorem cognitionem habent. Idem verò Matth. Galen. in Cassiano, & regula D. Benedicti. Missam, dimissionem interpretatur: latè probans deductionis rationem, quam nos ex aliis auctoribus hoc in cap. adduximus ad verum usque in quo Alciati opinionem retulimus, quæ & Capnionis viri doctissimi auctoritati & judicio innititur, à quo & Reuchlinus eam accepisse visus est.)

Cæterùm Albericus, homo alioqui doctus & diligens, falsò asseverat, Missam dictionem esse Græcam, & significare interpellationem; fallitur etenim Græcæ linguæ ignorantia.

De his verò, quæ ad hoc sacrificium ritè peragendum summi Pontifices, & sancti Patres instituerunt, quæque Catholica Ecclesia religiosè observat, lector poterit Thom. Waldensem adire, qui de sacramentalibus lib. 4. tit. hoc munere diligentissimè fungitur. Cui duo ipse libenter addiderim, primum, apud Gratianum vulgò circumferri Bonifacii Martyris Apothegma aliter, quàm ab ipso auctore fuerit scriptum, & absque ullo sensu, in cap. vasa, de consec. dist. 1. De quibus, inquit, Bonifacius Martyr, & Episcopus interrogatus, si liceret in vasculis ligneis sacramenta conficere, respondit, Quondam sacerdotes, non aureis, sed ligneis calicibus utebantur. Est enim hic locus ex ipsius Bonifacii epistola legendus his verbis: Quondam sacerdotes aurei, ligneis calicibus utebantur, nunc lignei sacerdotes aureis calicibus utuntur. Quem locum Ant. Demochares, Andr. Alciat.

lib. 7. *parer. c. 23.* & B. Rhenanus *ad Tertullian. de corona milit.* restituerunt, & restitui potest, ut modò dicebam ex ipsius Bonifacii epistola, & ex Concilio Triburiensi, c. 18. atque item Burchardo *lib. decretorum. 3. c. 223.* Hujus etiam memorabilis sententiæ meminit Stephanus Wintoniensis Episcopus in eo lib. quem *adversus hæreticos, de sacramento Eucharistia* scripsit, *objectione 54.* qui ex Optato, Chrysostomo, & Theophylacto probat veteres etiam aureis calicibus usos fuisse.

\* Alterum ad ea verba pertinet, quæ ex institutione Ecclesiæ, & sanctorum Pontificum Græcè pronunciantur in Missarum celebrationibus, dum dicitur *Kyrie eleison.* Nam & Gentiles his verbis usos fuisse in captandis auguriis constat ex Ariano *lib. 2. de epist. c. 7.* etenim adversus illos, qui acturi iter auguria captant inquit, *Nunc trementes aviculam tenemus, Deumque invocantes precamur: Κύριε ἑλεσον, Domine miserere, permitte mihi exire. O mancipium, cur aliud vis, quam quod sit melius? quid autem melius, quam quod Deo visum fuerit? cur pro tuis viribus corrumpis judicem, perversis consiliatorem?* Hæc Epictetus, quæ commemorare volui ex eo, quòd locus ille insignis morem Gentilium in observandis omnibus explicuerit. De his verò dictionibus Waldensis ex D. Gregorio admonet, à Clericis Latinis Græcè pronuncianda fore, idque satis apparet, quia secundum Græcam conjugationem verbum pronunciat; & idè accentu & pronuntiatione Græca sunt proferenda, accentu quidem posterioris dictionis in antepenultima, non in penultima, cum id manifestè repugnet Græcæ pronuntiationi: eademque posterior vox ita est proferenda, ut in penultima sonus servetur vocalis, i, nam eo modo communi usu pronunciat à Græcis, η, tamen apud Latinos qui latinè loquuntur & pronunciant, ea vocalis mutatur in e, longum; quæ quidem pronuntiatione usi fuere olim & Græci, sed obtinuit usus, etiam Græcæ linguæ doctissimorum virorum, ut ea litera, ac si esset i, longum, pronuncietur. Igitur nullo pacto pronuntiandum erit *Eleison*, sed *Eleison* per sonum i, & accentum in antepenult. Hæc, fateor, levia sunt, sed nihilominus observanda quandoque, quia & in his minutissimis video etiam doctos plerumque errare: nec nimis sunt acriter incusandi, qui ex priori dictione ultimam vocalem euphoniæ causa rejiciunt, utramque vocem in morem unicæ dictionis pronunciantes. Id etenim fit ab his, qui Græcè pronunciant vel scribunt; rejiciunt siquidem alteram vocalem plerumque propter sequentem, signaturque hæc dictionis passio apostropho, quæ est nota rejectæ vocalis propter sequentem vocalem. Quod Græci passim adnotarunt, super consonantem ult. præcedentis dictionis, quandoque super vocalem; idèdque dicitio prior *Kyrie* potest passionem istam non admittere, atque pronuncianda est absque ulla vocalis elisione: potest tandem & cum abjectione ultimæ vocalis proferri *Κύριε ἑλεσον* ut *ἀλγε ἰθύνει μὲν ἀχαλαίς.*

## NOTÆ.

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT XXII.

Re demum divina & cæremoniis peractis, sacerdos, *I licet*, proclamat, quasi eos diceret jam abire licere, qui sacris interfuissent.

*I licet*, vocabulum antiquis frequens ferè semper finem rei significat, ut *Actum est, I licet*, per synecopen, id est, *ire licet*, notat ad illud Terentij in *Phorm.*

*Actu 1. scena 4. Hoc nihil est Phadria, I licet.* Donatus. Atque hoc non tantum in sacrificijs & humatione mortuorum olim utebantur, sed iudices de concilio dimittebantur sententia dicta, cum præco pronuncialset, *I licet.* Sumitur præterea hoc vocabulum pro *statim, confestim* Plautus in *Rudens.* Sed *propera. I licet. D. Jam me fac sis cæna ut curetur. I licet. D. omnia I licet.* Virgil.

*I licet ignis edax summa ad fastigia velli*  
*Volvitur.*

*I licet* etiam adverbium admirantis est. Plaut. in *Epedico: I licet, ut vadimonium mihi hic ulro facit.* Cæterum & in summa rerum desperatione dici solitum, *actum est, i licet, perii.* Donat. in *Andr. Terentij, Act. 2. scena 12.* Sic & apud Plautum. *Cistellaria, Actu 4. scena 7. Halisca ancilla, hic perii opinor. i licet, actum est, me infelicem & scelestam.*

Propius tamèn accedit huic observationi ritus ac mos, quo veteres Christiani in initio legis Evangelicæ & renascentis Ecclesiæ utebantur, &c.

Notandum quod Justinianus scribit *Novell. 7. ne res Ecclesia alienent. c. 11.* cultum Dei in Ecclesiis Christianorum duabus rebus constituisse, recitatione sacrarum litterarum, & communicatione cœnæ Dominicæ: ad quam cum Catechumeni, rejecti sive interdicti, quos excommunicatos appellabant, pœnitentes item, cæterique prophani non admittebantur; postquam jam in populi conventu preces peractæ, & concio habita esset, ante cœnam sive epulationem sacram, diaconus quasi præconis vice fungens, in has formulas pronuntiabat. *Si quis non communicat, det locum: Catechumeni eunto ue, Missa est;* quod idem est, *Exite, qui communicaturi non estis.*

Non absimilem missionis formulam, qua profanos sacris, quæ iis occulta coperent, arcebant Romani, observavit Ovid. *Metamorph.*

*Hinc procul Esonidem, procul hinc jubet ire ministros.*

*Et monet arcanis oculos removere profanos.*

Juvenalis *sat. 11.*

*Solis ara Die maribus patet, ite profani,*  
*Clamatur.*

Hinc & illud Catulli:

*Orgia qua frustra cupiunt audire profani.*

T. Calpurnius *Ecloge 11.*

*Itè procul, sacer est locus, ite profani.*

Virgil. 6. *Aeneid.*

——— *Procul ô procul este profani*

*Conclamat vates, totoque absistite loco.*

Quia nec arcebantur modò, adituque sacrorum prohibebantur profani, id est, nondum sacris initiati: verum etiam arcana & mysteria iis aperire & enunciate nefas habebatur. Horatius *lib. 3. Carminum oda 2.*

*Vetabo, qui Cereris sacrum*

*Vulgarit arcana sub eisdem.*

*Sit trabibus.*

Justin. *lib. 5.* Alcibiades, inquit, absens Athenis insimulatur, initiorum sacra, nullo magis quam silentio solemniter enunciaffe. Plura de his Briffon. *lib. 1. de formul.* Ergo Græci, à quibus Latinorum rituum formulæ manarunt, iis sacris quæ Eleusinia vocabantur, impios arcere solebant, & scribit Sueton. in *Nerone c. 34.* præconis voce impios & sceleratos submoventes solitos fuisse, eaque re territum Neronem interesse iis sacris ausum non esse. *Peregrinatione quidem Græcia, Eleusiniis sacris, quorum imitatione*

imitatione impij & scelerati voce praconis submouentur, inte esse non ausus esset. Ubi interpretes legendi, Beroaldus, Sabellicus, Torrentius & Casaubonus.

Asseverat vocabulum illud (Missa videlicet) ex lingua Hebraea mutuatum fuisse, ad significandum quod Graeci λειτουργίαν dixerunt, id est, ministerium sacrificiumque altaris.

Λειτουργία apud auctores Graecos interdum populum: Plutarch. in Romul. interdum curiam, quam Graeci λειτουργίαν vocant, designat; Herodot. frequenter pro munere publico, quo fungi censentur qui sacris vacant, usurpatur. Costal. in aduersar. ff. de iustit. & iur. §. huius studij autem. Hinc 1. vers. 3. ως ἐπλήθυνον αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτῶν. Et factum est ut impleti sunt dies officij eius Iude isραεληνῆς λειτουργίας Vespertinae preces. Theodoret. 4. lib. histor. Eocl. Sed ne hi quidem soli λειτουργοὶ sed etiam Magistratus λειτουργοὶ δὲ θεῶν ἐπιμενῶν ministro enim Dei sunt, Rom. 13. vers. 6. ἡ μίμα quoque & ignis, Dei λειτουργοὶ dicuntur καὶ τῶν λειτουργῶν αὐτῶν πυρὸς φλόγα, & ministros suos ignis flammam. Hebr. 1. vers. 7. Quin & Dominus ipse Pontifex noster ἀγίων λειτουργῶν Sanctorum minister dicitur Hebr. 8. vers. 2. Ex quibus patet λειτουργίαν non malè cum Covarr. pro ministerio sacrificioque altaris sumi: cum quo congruit definitio Justiniani Novell. 7. cap. 11. λειτουργίαν, lectis sacris litteris, & tradita populo sacra & ineffabili communione. Julianus antecessor & Siring Missam interpretantur. Vetus verbum esse Missam ait Cujac. d. Novell. 7. quo & Ambrosius utitur, & alij quidam, qui tamen omnes dicunt, Missa agere, vel facere, vel tenere, vel complere: non dicere, non canere, non audire, Cornelius in epist. ad Lucinum edictis Imperatorum Christianos ubique tormentis variis affici, & neque publicè in urbe Roma, neque in cryptis notioribus, Missas agere licere. Cujac. d. loco. qui ibidem putat in Laodicena Synodo, his verbis μὴ τῷ ἐξελθεῖν, significari Missam auditorum, & his ἡ τῶν προσελθόντων & ἡ παρακαταμένων missam poenitentium, quas sequebatur fidelium admissio, atque dimissio. Cujac. d. loc. & hæc non parum ad pleniorum eorum intellectum, quæ hic tradit Auctor, conferte poterunt.

C A P U T XXII.

De purgatione Criminis vulgari, quæ fit candenti ferro.

Existat Honorij tertij responsum lib. 5. decretal. rubric. de purgat. vulgari. quo damnatur omnino illa criminis purgatio qua Templarii milites, & alij, qui sæcularem ac civilem jurisdictionem in Livonia obtinentes, erga eos, qui nuper sacrum baptismum suscepissent, utebantur, compellentes homines sibi subditos, si quando criminis alicujus suspicio incidisset, ferri candentis iudicium subire, quibus si qua exinde adustio contingeret, civilem poenam infligebat. Eandem criminis examinationem multò ante Honorium III. Stephanus V. damnaverat, ut constat ex c. consuluisti. 2. q. 5. (Fortassis & de eadem tractavit lex Caldaria: cujus mentio extat in Gothorum legibus lib. 6. tit. 1. l. 3. Fori. Sed & hunc purgationis modum, ad probandam virginalem innocentiam sponte expertam legimus apud Cuspinianum Cunegundem uxorem Henrici Imperatoris huius nominis II. idem tradit Albert. Crantz lib. 4. cap. 5. metropoleos. Verùm quia rara est apud veteres huius purgationis mentio, libuit ad eius cognitionem, quæ quandoque apud Sophoclem legisset, adnotare. Etenim cum Creon publico decreto, nonisque poena indicta, corpus Polyneis sepeliri prohibuisset, & Antigone clam fratrem sepulchro tradidisset, custodes regij gauriter ac iterque incusari à se ipsis, quod culpa unius foret, non omnium, custodia per noctis partes cuilibet distributa; cumque diligenter de ea te inquisitionem fecissent, nuncium Creonti regi miserunt, qui præter alia, & hæc in eorum excusationem dixit.

Κ' εἰς ἀναρχίης, ἀπ' ἐφ' ὄψεσσι μὴ εἰδέναι. ἤμην δὲ ἔτοιμοι καὶ μύδρον ἀρεῖν χερσίν, καὶ πῦρ διέρπειν ἢ θεὸς ὀρκωμοσίην. τὸ μῆτε δρασσῆναι, μῆτε τῶν ζυνομένων τὸ παρῶν βελευθέντι, μῆτ' ἐργασμῶν. Nemoque deprehensus est, nosque latuit. Sumus verò parati & candens ferrum manibus tollere, Et per ignem serpere, Deosque jurare, Nec fecisse, nec fuisse confisos. Ejus, qui de hac re consilium habueris, nec ejus qui eam fecerit.

Cujus equidem loci interpretatio duplex est apud Sophoclis Icholiastas. Prior sanè locum istum ad morem illum, & jurandi ritum refert, quo pacificentes & juraturi tollunt ferrum candens, deosque precantur, fœdera: ac juramenta inviolata manere donec ferrum illud appareat, ideoque aut orbis quosdam vel globos ferri igniti, & candentis, in mare profundum projiciunt. Cujus rei mentio fit à Callimacho, & Plutarcho in Aristide, inquit enim, Aristides Atheniensium nomine juratus, ceteros Graecos sacramento adiegit, iuque verum fœdus firmaret, post execrationes, quas in perfidos firmos erat, ignitos orbis in mare coniecit. ubi interpretes ignitos ferreos orbis Latine dixit, quos μύδρον dixit Callimac. Sophocles & Plutarch. Posterior verò interpretatio, quæ magis convenit Sophocli; & huic Pontificio responso, ex eo deductur, quod qui fidem sibi jurantibus haberi aliqua de re gravi postularent, consueverunt ignitum ferrum manibus tollere, & super ignem ambulare: putabant enim minimè dolorem aliquem sensurum eo experimento qui veritatem dixisset: eratque certæ fidei & innocentiae signum maximum, ab eo periculo illæsum quemquam evadere. Hæc ex Sophocle, Callimach. Plutarch. & ipsius Tragediæ commentariis. Suidas μύδρον interpretatur ferrum ignitum, ejusque massam candentem, refertque Anaxagoram Philosophum dixisse, solem esse ignitum lapidem, & Majorem Peloponneso, Igitur Anaxagoras asseverans solem μύδρον esse, orbem ignitum intellexit, auctore Suida. Idem scribit Plutarch. lib. 51. de placitis Philosophor. c. 20. quo in loco Budæus μύδρον interpretatur globum ferri candentem aut saxum ignitum. Hoc ipsum in Anaxagora & Laërtius scripserat. Joseph. verò libr. 2. contra Appionem de eodem agens Anaxagora, μύλον διάπυρον dixit, nempe malam ignitam. Herodot. πρὸς ταύτησι, καὶ μύδρον σιδήρεον κατεπόντων ἢ ὠμοῦν μὴ πρὶν ἐς Φωκαίην ἤξειν πρὶν ἢ τῶν μύδρον ἀναφθῆναι. Præter hæc, inquit, globum ferri candentem in mare miserunt funditus, & jurarunt non prius in Phocæam ituros, quàm globus is ferreus appareat. Sed & purgationis, quæ ferro candenti fit, ex quibusdam Annalibus meminit Jacob. Cujac. in feud. lib. 1. tit. 1. & ejusdem etiam mentionem fecit Georg. Pachymetes, ut constat ex ejus fragmentis, lib. 1. Meminit & Cicero in Verrem actione, 5. laminarum candentium, & Valerius Max. lib. 3. c. 3. in eodem sensu, inter tormentorum ac carnificum instrumenta: laminarum mentionem fecere Lucret. lib. 3. & Plaut.

Quæ

Quæ tamen, ni fallor, minimè pertinent ad purgationem, cuius in hoc capite originem tradere conamur. Quintilianus *d. c. amat. 18.* quæ infamis mater inferibitur, & alij, quorum meminit Carolus Sigonius *lib. 3. de judiciis, c. 18.* Meminit & purgationis per aquam calidam & ferrum candens Joannes Aventinus *lib. 4. annalium.* quo in loco tradit verborum formam, qua, ut is existimat, ferrum & aqua ad hanc purgationem consecrabantur.

## NOTÆ

IOANNIS VFFELI I. C.

## CAPUT XXIII.

Lubet hic attexere historiolum, quæ ut rara refertur à Suffrido presbytero in Georgij Fabricij rerum Misnicarum volumine, ab Abrahamo Ortelio relata in Theatrum illud suum sub dominio Florentino, his verbis: *Otho III. Imper. cum esset apud Mutinam civitatem cum uxore sua, ipsa Imperatrix se cuidam Comiti prostituere voluit. Sed cum ille consentire nollet, illa indignata prædictum Comitem apud Imperatorem ita infamavit, ut cum Imper. sine audientia decollari præciperet, qui antequam decolleretur, rogavit uxorem suam, ut iudicio candentis ferri post mortem eum comprobaret innocuum. Adest dies, in qua Cæsar se pupillis & viduis exhibebat iudicaturum, adsuit & femina Comitum caput secum habens, quaritque qua morte sit dignus qui injustè aliquem occidisset. Quo respondente, capitis punitione, illa ait: Tu es ille vir qui maritum meum ad suggestionem uxoris tuæ injustè occidi mandasti. Quod dum illa per candens ferrum probasset, Cæsar in manus femina se tradit puniendum. Interventu tamen Pontificis & Procerum, decem dierum inducias, deinde octo, deinde septem, quarto sex à vidua accepit. Tunc Imper. causa examinata & cognita, uxorem suam cremari fecit, & dans vidua quatuor castra vitam redemit. Castra hæc sunt in Episcopatu Luna in Etruria, & vocantur ab induciis dierum, Decimum, Octavum, Septimum, & Sextum. Hæc iste. Solebat autem ferrum candens, de quo hoc capite agitur, ita consecrari; Deus iudex iuste, qui auctor es pacis, & iudicas æquitatem, te suppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad justam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam, benedicere & sanctificare digneris; ita ut si innocens hoc ignitum in manibus acceperit, illæsus appareat, & si culpabilis atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua in eo cum virtute declarandum, quatenus iustitia non dominetur iniquitas, subdatur falsitas æquitati, per Dominum nostrum, &c. ut tradit Aventinus *lib. 4. Annal. Boior. ab auctore citat.* Extat etiam superiori non dissimile purgationis per flammæ iudicium insigne exemplam apud Paul. Emil. *lib. 4. Itum,* inquit, *in Tolosatis castra, rumores falsi deprehensi, arsque cognita. Magis invisus Tolosæ proceribus, militumque vulgo. Is ut se purgaret ad iudicium flamma descendit, & aderat dies passo Domino sanctus Circumfuso exercitu Sanctam lanceam nudato corpore gestans, per coacervator. latè lignorum struem ardentem, mediosque ignes illæsus evasit. Mox ad id miraculum ruente turba oppressus perit. Apud multos mors magis ambiguum fecit, quod igne decretum videbatur. Sic ille. Plura autem exempla purgationis per ferrum candens, flammâ, prunas, aquâ ferventè videre licet in Theatr. vitæ human. *vol. 5. lib. 4. tit. de divinat. c. ignis divinatio fol. 1359* Adde quæ de istiusmodi expurgationibus tradit Glossa Accursij ad *§. 3. de pace tenenda, & ejus violator lib. 2. de feudis tit. 27. & l. 7. Longobard. de malef. & pub. crim. & leg. Longobard. de consilio morit. & passim in legibus Longobardorum Præterea accurate de his scribit Martinus Delrio *disquisit. magicar. lib. 4. sect. 3. & 4.****

## CAPUT XXIV.

## Quæ sint apud Martianum Iuriconsultum Principia.

Martianus Iuriconsult. in *l. officium, §. officium, ff. de re milit.* inquit, *officium tribunorum est principis frequenter interesse* Quo in loco Accurs. dictionis significationem non intellexit, atque idè minimè potuit Martiani sensum ac mentem percipere, à quo plurimum aberrat. Sed Ant. Nebriffensis, qui nostra ferè ætate primus apud Hispanos linguæ Latinæ nitorem candoremque exercuit, in Lexico Iuris Civilis, *principia* interpretatur, tentoria militum, qui à Romanis *Principes* dicebantur, & locum illum castrorum, in quo principes metabantur, & tentoria figebant. Huic interpretationi Andr. Alciatus in *pr. de verb. sign. & in l. urb. præd. eod. tit.* non omnino suffragatur scribens ex Vegetio *principia* dici principis tabernaculum, quemadmodum & *pratorium* dicitur domus imperatoria, locus est apud Vegetium *lib. 2. c. 7.* qui hac dictione alio in sensu utitur. Nos verò etsi fateamur in alio sensu accipienda fore Comici verba: *Hic ego ero post principia,* apud Martianum *principia* interpretamur, non tentoria militum, qui principes dicebantur, nec Principum tentoria: sed publica tabernacula aut tentoria, in quibus militares Magistratus jura militibus reddebant, & ubi de rebus publicis castrorum duces consilio inito tractabant, atque ubi aquilæ signaque militaria custodiebantur. Quod Wolphgangus Lazius *de republica Romana* adnotavit. Idipsum & Gulielmus Budæus observasse videtur in *posterioribus adnotationibus*, qui ex aliquot auctoribus testimonia quædam adducit, quibus & aliis nos veram hujus dictionis significationem probavimus, ut planè Iuriconsulti responsum propriam genuinamque interpretationem obtineat. Tit. Livi *8. 2. belli Punici. Forma,* inquit, *castrorum Romanorum constabat una ea specie, quod milites tribunos ex contagione furoris, haud expertes seditionis defectionisque rari forent, & jura reddere in principis sinebant, & signum ab eis petebant, & in stationes ac vigilias ordine ibant. Idem Livius eod. lib. 8. Circumvenientes enim tentoria, deinde in principis, pratorioque. Rursus idem Livius *li. 7. decad. 4. Ibi in principis sermo primò inter tribunos militum secretus oritur. Cicero ad Brutum epist. 10. Spes libertatis nusquam nisi in vestrorum castrorum principis est, firmos omnino & duces habemus ab occidente, & exercitus. Hoc etenim in loco ipse opinor intelligēdos sub principis duces ipsos non milites illos, qui principes dicebantur. Tranquillus in *Othone c. 6. ibi, omiſsa mora succollatus, & præſente comitatu Imperator conſalutatus, inter ſanctas acclamationes, strictosque gladios ad principia devenit. Idem Suet. in eod. Othone, c. 1. Ausus est etiam in Illyrico milites quosdam punire capite, & quidem ante principia. Iustin. lib. 11. Ordines quoque nemo in exercitu Alexandri, nisi sexagenarius duxit, ut si principia castrorum cerneret. senatum re alicujus Reipublicæ cernere diceret. Quintilianus in declamatione miles Marianus. Sed neque hoc Roma parens, nec signa militaria aquilaque victrices, nec tua, summè Imperator, divina virtus sinat, ut tua quoque sententia quisque vir & Romanus & miles nimium pudicus sit apud quem ante principia agendum est. Verba sunt hæc Tribonij militis, qui C. Lusium tribunum militum, Imperatorisque C. Marij ex sorore nepotem occiderat quod ipse tribunus pudicitiam militi eripere tentasset, auctore Plutarcho in Mario Meminit ejusdem rei & Cicero in oratione pro Milone. sensit idem in epist. ult. ad Qu. Fratrem. Sed de principis Corn. Tacit, *lib. 1. Prima****



*Vari castra lato ambitu, & dimensis principiis trium legionum manus ostentabant.* Rursus Idem, *Tunc contractos in principia, jussosque dicta cum silentio accipere.* Idem Tacit. libro quarto *Colique per theatra & fora effigies ejus, interque principia legionum, sinere.* Idem li. 17. *Legati eorum in squalorem moestitiamque compositi per principia, per contubernia.* Idem Cornelius Tacitus lib. 19. *Nos productionis electa, ut ceteris ignavis soli in principia defectores coirent.* Idem statim, *At Cacina paucos militum in principia vocat, secreta, castrorum affectans.* Rursus paulò post. *Sed ubi totis castris insana proditio, recurrens in principia miles praescriptum Vespasiani nomen aspexit.* Idem auctor lib. 17. de T. Junio: *Prima, inquit, militia infamis, legatum Calvisium Sabinum habuerat, cujus uxor mala cupidine visendi suum castrorum per noctem militari habitu ingressa, cum vigiliis & caetera militia munia eadem lascivia tentasset, in ipsis principiis stuprum ausa, & criminis hujus reus T. Junius arguebatur.* Quod & Plutarchus in *Galba* scribit *Ovinium* appellans, quem T. Junium dixit Tacitus, *Ducis uxorem in castra noctu militari habitu vestitam duxit, & in ipsis aepetolis, quae Romani principia dicunt, corrupti.* Aulus Gell. lib. 15. c. 12. *Sed in convivio liberi vestri modestius erant, quam principia.* Ita enim locum istum legit P. Victorius lib. 3. *Variar. lect. c. 6.* Extat & locus elegans in *l. jubemus, de erogatione milit. annon. lib. 12. Codicis, §. si qua tamen.* Inquit enim Augustinus, *Quatenus causa apud devotissima principia, propositis sacrosanctis scripturis, inter actuarium & militem tractetur.* Ex quibus satis constat, quae sint apud Jurisconsultum principia, & quis sit verus Martiani sensus.

## N O T A E

JOANNIS UFFELI J. C.

## CAPUT. XXIV.

Principia apud Martianum Jurisconsultum, in *l. officium §. officium, ff. de re militar. & in l. ult. C. qua sit longa consuet. cum Nebrissenfi ab auctore cit. D. Gothofr. ibidem dici tradit, loca ubi principes milites stabant.* Gothofr. *ad d. leg. ultim.*

Quod etiam probant M. Anton. Sabell. & Berold. *ad Sueton. in Othone, c. 1. ad verba: Ante principia se coram.* Principum autem militum nomine censebantur, quorum post hastatos pugna erat: à quo ordine principia castrorum dicta ferunt, quemadmodum ad supra dictum Suetonij locum annotavit Lævinus Torrentius V. C. ubi Comici illud in *Eunuchis: Ego mihi cavebo post principia.* hoc modo interpretatur. Non video tamen cur à sententia Covarr. qui principia, publica tabernacula aut tentoria, in quibus militares magistratus jura militibus reddebant, & ubi de rebus publicis castrorum duces consilio inuito tractabant, atque ubi aquilæ, signaque militaria custodiebantur, esse describit; in materia subjecta recedere debeamus; praesertim perspecto Martiani responso, in *d. l. officium.* qui relatis tribuni militaris officii, cujus auctoritas id tempo-

ris propè consularis fuit, tandem subjungit illi incumbere *Principiis frequenter interesse, querelas commilitonum audire.* Quae posterior clausula priorem explicat, ac vocabulum *Principia* de judiciis, eorumque loco, intelligi debere satis ostendit. Ut addata & aliàs in *Iure Principia* frequentius ita sumi. *Justinian. de novo Cod. confirm. ad Mennam praefectum Praetorio. §. si qua vero, 4. Sed & si qua re gesta in tui culminis judicio, vel in aliis civilibus, vel militaribus, vel apud principia numerorum, pro publicis expensis, vel quibuscumque titulis, ad publicum pertinentibus, posita sunt, ea etiam prout communis rei commoditas exiget, firma esse censemus.*

Quo loco principia, judicia, seu locum judiciorum significare dicantur clausulae praecedentes, tum etiam verbum *numerorum.* Numeri enim pro albo, in quo lesi milites conscribantur, quem Graeci *κατάλογον* appellant, & recentiores *Matriculam*, Ulpian. *l. Ex eo. 42. ff. de testament. militar. usurpanur.* Ex eo enim tempore quo in numeros relati erant, milites propriè dicebantur. Hinc fit, ut numeri etiam pro societatibus, ordinibus, turmisque accipiantur, Graecis *τάγματα.* *l. 2. §. exercitium, ff. de iis qui nos. infam. l. 8. §. veterani, ff. de procurat. l. 4. ff. de re militar.* Congruit Sozomenus, Romanorum cohortes, quae nunc numeri nuncupantur; Claudiani item versus à Philippo Rubenio *li. 2. Elector. c. 33. restitutus.*

*Asi ego qui terras numeris, Pontumque subegi.*

In quo antea corruptè *humeris* legebatur, vide latius Cujac. *ad l. veteranis 3. C. de iis qui non impletis stipendiis sacramento soluti sint, li. 10. & Brisson. l. 12. de verbor. significati. verb. Numerus etiam.* Quin & superiorem principiorum interpretationem confirmant tradita à Cujacio *li. 15. observat. c. 37. in verb. vel apud principia numerorum, in quibus judicia exercuisse Tribunos & principales competentissimum est.* Quod in eandem ferè sententiam non malè etiam annotavit Aeg. Per. *in addit. ad glos. in d. l. officium, Principia in castris erant, ubi jus reddebatur, sedentibus ibi ordinum principibus.*

Postremum, superiora convincit text. in *l. tam collatores 18. §. erit autem, 4. C. de re militar. Erit autem arbitrij atque estimationis virorum spectabilium ducum pro qualitate negotiorum, vel quantitate, qua devotissimis militibus ab adversariis eorum ingeritur, vel suam audientiam interponere litigiis, vel eorum discussionem dicatissimis principiis seu arbitris in locis degentibus committere.* Quem textum ita explicat D. Gothofr. *Duces militum per se causas militares discutere debent, vel delegate arbitris aut principiis numerorum, in quibus ex prisca consuetudine jus solebat reddi. Est & simile quid apud Cujac. ad d. l. tam collatores, C. de re militari, li. 12.*

Extat & locus elegans.

Extant & alij loci & nobis supra notati in *l. fin. C. qua sit longa consuet. in l. 1. C. de veteran. li. 1. in l. tam collatores. §. 2. & §. 4. C. de re militar. li. 12. & in constitut. Justinian. de Justiniano Cod. confirmand. §. si qua vero. 4.*

## FINIS LIBRI QUARTI.



A D  
**PHILIPPUM MAGNUM,**  
 E V M D E M Q V E

**CHRISTIANISSIMUM HISPANIARUM,**  
**ANGLIÆ, FRANCIÆ, NEAPOLIS, AC SICILIÆ**  
**REGEM, BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, ET**  
 Mediolani Ducem, Flandriæ Comitem.

*Didaci Covarruvias à Leyva, Archiepiscopi S. Dominici designati, in  
 Practicarum Questionum Librum unum,*

P R Æ F A T I O

**S** V M M A cujusque Reipublicæ foelicitas est, PHILIPPE Rex Christianissime, cum sibi divino munere obrinuisse rectorem ac Principem, qui civilibus ac militaribus magistratibus constituendis eam operam det, quæ communitatis regiminis, ejusque tutelæ ab bene beateque vivendum sit omnino salutaris. Sic sanè rectè & foelicitè Rempublicam administrabit, qui vigilantissimè eam ab injustitiæ tyrannide, atque ab hostibus immanissimis tutissimam constituerit: hoc & ipsum effecerit, ut imperio dignus judicetur, non tantùm Reipublicæ statu, sed virtutis & animi erga subditos excellentia: quippe qui subditorum singulis præstet communi pro omnibus cura, & sollicita pro universa Republica gubernatione. Prima equidem pars, quam optimo Principi necessariam esse censemus, ad justitiam pertinet, & æquitatis disciplinam, in cujus exercitatione quietus ac tranquillus beatæ vitæ status conquiescit. Eandem etenim omnibus magistratibus, quibus totius Reipublicæ salus continetur, imperandi rationem præscribit: quam necesse est, ut omnes Principes sequantur, qui suos stabilire, & confirmare principatus volunt. Hinc denique fit, Princeps Maxime, ut faciliùs domesticis & civilibus, tandem exteris, ac publicis hostibus resistere valeat Respublica, quæ ab optimo rectore, justitiæ cultu, moribus integerrimis, æquitatis ratione, quietè & tranquillè fuerit instituta. Tuta quidem est conditio subjectorum, ubi vivitur sub æquitate regnantium, cum & Principis opinionem longè lateque disseminet subditorum eidem custodita securitas. Quòd si rem istam paulò altiùs examinare velimus ex Christianæ Reipublicæ legibus à Deo Optimo Maximo JESU, proprio sanguine, in humani generis salutem conscriptis; illud planè fateri cogemur, omnes cujusque optimi Principis conatus in hoc esse piè ac religiosè constituendos, ut eam quietem & tranquillitatem Respublica consequatur, quæ spiritualem illi salutem conferat, ad cujusque hominis æternam & cœlestem illam beatitudinem, ad quam supra omnem naturam à Divina providentia creatus est. Hoc nomine, inclyte Rex, multis æquum est gratulari regnis, gentibus & provinciis, quibus hæreditario gentilitiæ familiæ titulo, populorum omnium applausu, post foelicem Caroli Cæsaris principatum, maxima parentis laude, qui talem educaverit, primogenitus ejus filius & hæres, patriæ verus pater & Princeps designatus eras. Nunc verò, eisdem regnis, gentibus & provinciis ab ipso invictissimo Carolo, præ ejus animi magnitudine, tibi traditis, principatus legitimis juribus Rex constitutus censeris. Vicaria namque patris potestate apud Hispanos hucusque ita quidem usus es, ut clementissimi ac vigilantissimi patris zelum justitiæ, pietatem, & religionis Christianæ cultum maximopere

ximopere fueris imitatus. Verùm Angliæ Reipublicæ verè, & ex animo exultantes, qui Evangelicam legem profiteamur, gratulari quidem possumus: quippe cui, ex Christianissimæ Mariæ ejus gentis Reginæ conjugis tibi dilectissimæ, sacrosancto conjugio illud divina sorte obtigerit, quòd te Regem, patronum, & protectorem habuerit, in tanta ejus regni calamitate, in summo rerum periculo dictatorem electum, veluti refugium praesidiumque ad arcendos ab ea Republica communis humano generi immanissimi hostis conatus, Satana duce atrocissimo ita instructos, ut non aliter quàm Deus è machina, (quod aiunt,) assistenti tibi, & in omnibus benignissimè cooperante Optimo Maximoque Deo, qui adjutor est fortis, & in se sperantes non derelinquit, saluti spiritali tantæ Reipublicæ jamdiu à dæmone oppressæ, quàm citissimè prospexeris, quasi votum illud Davidicum una cum desponsatione Serenissimæ conjugis emiseris. *Etenim sicut juravit Domino, votum vorit Deo Jacob, Si introjero in tabernaculum domus mea, Si ascendero in lectum strati mei, Si dederò somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Nimirum in tanto rerum & negotiorum conflictu nihil sanctius esse duxisti, quàm statim, neglectis itidem tot deliciis & voluptatibus, quæ regios animos à justo avocare solent, in tali regno, clarissimæ Reginæ votis consentiens, tabernaculum Deo Jacob constanti animo constituere, Christianam fidem & religionem, maximo totius Christiani orbis dispendio tot annis ab Anglia repudiatam, eidem Reipublicæ augustissimo, & verè divino conatu restituens. Julius Cæsar primus ille Romanorum Imperator, post devictum Pharnacem hæc tria verba ad amicos scripserat: *veni, vidi, & vici.* Hæc eadem Romæ Pontico triumpho inter Pompæ fercula, in titulum postea prætulit, non acta belli significantia, sicut cæteris, sed celeriter confecti notam. Tuæ verò Majestati hujus Catholici triumpho fercula rem foeliciter & celeriter confectam significantia, non alia verba proferant oportet, quàm illa tria Psaltis admirabilis *Dominus illuminatio mea.* Solvisti enim, Magne PHILIPPE, aura S. Spiritus ex Hispania, & Angliam appulsus vidisti publicam illius amplissimi regni, imò Christianæ Reipublicæ calamitatem, vicistiquè ejus auctorem statim, ut jute optimo, si tibi Ethnicorum superbi & arrogantes tituli placuissent, posse justius, quàm Cæsar illo uti titulo: *Veni, vidi, & vici.* Erit tandem, post tot adversus Christiani nominis publicos hostes, ab Hispaniarum Catholicis Regibus, Austriaca & Habsburgensium Principum familia, Belgica domo, parente invictissimo Carolo edita facinora, totque triumphales titulos, novus hic tibi decretus triumphus, cum præclarissimus, tum Ecclesiæ Catholicæ, ejusque summo Præsuli, & Christi vicario quàm gravissimus. Graviter equidem ac molestè ferebat Christiana Respublica, regnum illustrissimum, totque annis, Catholicis ejus institutis, tot Martyrum, tot sanctorum virorum testimoniis impensissimè addictum nuper ab eadem maximo cum dolore & commiseratione segregatum fuisse. Venerat olim in Britanniam, quæ nunc Anglia est, Joseph ille, qui teste Matthæo Evangelista, ab Arimathæa civitate oriundus Christi corpus sepeliverat: atque in eo loco tam ipse, quàm ejus focii cum de Evangelio prædicarent, dogma Christi sedulo docerent, multi per hæc ad veram pietatem traducti, salutiferaque fruge imbuti, baptizati sunt, isti deinde viri divino spiritu afflati, cum à Rege Aruirago parum terræ ad habitandum proximè Welliam oppidum circiter millia passuum quatuor dono accessissent: ibi novæ religionis prima jecerunt fundamenta, ubi hodie est templum magnificum, cœnobiumque monasticæ familiæ Divi Benedicti nobile: nomen est Glascovia. Hæc Christianæ pietatis in Britannia extitere primordia: quam deinde cum Lucius Rex propè extinctam fonte Baptismi ablutus mirabiliter adauxisset, demum Britannici eam pietatem eatenus integram servarunt, quoad furor Diocletiani dira in Christianos persecutione propè ad internecionem erupit. Paulò post in ea Insula Christiana religio multis bellorum tumultibus perturbata, frequenter varia undique consequitur intervalla: donec Angliis eam provinciam occupantibus Divus Gregorius summus Ecclesiæ Pontifex propè annum sexcentimum à Christi Natalibus, sub Rege Ethelberto, & ejus uxore Christianissima Bertha, missis ad id negotium Augustino & Mileto monachis, religionis Christianæ dogmata conatu maximo Anglorum gentem edocendam, hortatu & prædicatione illustrandam curavit. Hanc Illustram Catholicæ fidei Anglorum professionem hoc sæculo aliquot annis interruptam, tu quidem primus hujus nominis apud eam gentem Rex PHILIPPE Magne, in idem regnum nutu dilectissimæ conjugis restituisti, ut denique tuum hoc primum in Anglica Republica nomen insigni edito facinore ita illustrares, sicut & primus ex Romanis Imperatoribus M. Julius Philippus Cæsaream dignitatem sacro baptismatis lavacro olim illustravit. Habuit sanè Anglia eo tempore, quo Britanorum gente Divam Helenam Coylli cujusdam Reguli filiam, Magni Constantini matrem,

matrem, quæ singulari pietate prædita Crucem Domini sub spurcissimo Veneris simulacro Hierosolymis latentem, ab eaque maxima cura & sollicitudine repertam, Christianis adorandam exhibuit, ejusque partem, ut Historici quidam testantur, alterâ Hierosolymis parte relicta, Romam secum attulit, eamque gemmis & auro distinctam in Æde Sanctæ Crucis Sessoriano in theatro constructa collocavit: Habuit & Divam Ursulam cum undecim millium virginum sodalio, filiam equidem Dionoti Cornubiæ Reguli. Habet nunc Mariam conjugem tuam, animi constantia, pio in Christianam religionem affectu, inter tot apud Anglos adversus fidem Catholicam tumultus, acerrimasque communis humani generis insidiatoris incursiones illustrissimam. Cujus & tuæ Majestatis laudes, eloquentissimorum virorum panegyricas orationes dignissimè postulant, me ipsum tantæ rei magnitudine deterritum, hujus conatus ulteriori progressu abstinere pluribus compellunt rationibus: quibus tamen minimè avertar, quin publicæ lætitiæ causa gratulaturus tibi, Rex potentissime, Prædicarum Quæstionum librum unum in hac Granatensi curia, post variarum Resolutionum Libros, post alias in publicum editas relectiones, continuo labore & indefesso elaboratum tuæ Majestati offeram audacter, tuam admirabilem considerans tum erga omnes clementiam, tum verò in ministros hujus publici muneris, cui operam ipse octo fermè annis dederim, singularem humanitatem. Cogor tamen opus istud brevius, quàm ab initio animo conceperam absolvere, quòd Cæsareæ Majestatis jussu, & maximo in me beneficio, te dubio procul auctore, in Hispaniolam insulam Deo auxiliante sum profecturus, quò illic Archiepiscopi munere & officio fungar. Suscipe igitur, Princeps Maxime, hilari vultu, æquoque animo opus istud ea qua potuimus diligentia editum: ut tuis auspiciis tutius inter tot hominum manus versetur. Vale foelicissimè, E tua Granata, Mense Aprilis, Anno à Christo M. D. LVI.



## SUMMA CAPITUM HUIUS OPERIS.

- T**ota civilis Castellana Reipublicæ potestas, & Jurisdictio, qua ratione penes ipsum Regem sit? Caput 1.
- Jurisdictio alicujus Castri à Principe concessa, an in novos incolas, & in ejusdem oppidi augmento exerceri possit? Caput. 2.
- Quantum ratione sit intelligenda Donationis, cessionis, aut Venditionis dispositio ad mensuræ modum concepta. c. 3.
- De summa Regis jurisdictione, quam Majoriam dicimus, quamque Regio nomine suprema exercent auditoria. c. 4.
- De jure ac privilegio Revocandi domum. c. 5.
- De his, qui pro jure exigendo possunt alios ad curiam Regis Vocare quoad primam causarum cognitionem. c. 6.
- De Vidua privilegium habente trahendi, & vocandi reum ad curiam Principis, quando eo uti possit: c. 7.
- Clericus hæres laici, an possit ad saculare tribunal pro hereditatis rebus & juribus vocari. c. 8.
- De causarum avocatione, & earum retentione; qua ad curiam quandoque fit. c. 9.
- De Mandatis Regis ad executionem & observationem litterarum, quæ vulgò Requisite dicuntur. c. 10.
- Rursus agitur de eisdem litteris requisitoriis: potissimum ad criminum punitionem. c. 11.
- De Petitione hereditatis expenditur Pauli Jurisconsulti locus forensi exercitationi maxime commodus. c. 12.
- Quid præcipuè observandum ubi qui nondum litigavit, Litis & causæ examini sese offerat, quem Tertium oppositorem dicimus? c. 13.
- Rursus de eadem re, ac Tertiis oppositoribus, quonam modo sint admittendi? c. 14.
- De illo, qui à sententia inter alios lata appellat, quia ejus interfit. c. 15.
- De Tertio, qui vult executionem sententiæ inter alios lata impedire. c. 16.
- De illo interdicto, quod Practici apud Hispanos, Interim, appellant. c. 17.
- De Testibus traduntur aliquot, quæ præ oculis habere debent judices. c. 18.
- De Instrumentorum fide traduntur multa, quæ tum Practicis, tum Theoricis erunt fortasse conducibilia. c. 19.
- Rursus de auctoritate publici instrumenti, quæ oritur ex his, quæ ut solemnia ei accedere debent. c. 20.
- De publica fide instrumentorum, quæ non originalia, sed exemplaria sunt. c. 21.
- De fide, & auctoritate privata scripturæ. c. 22.
- Appellatione pendente novata, qua ratione per appellationis revocentur? c. 23.
- Rursus

*Rursus de revocatione Attentatorum tractantur multa.* c.24.

*Quando Nullitatis obiectio impediatur sententia executionem praesertim ejus, qua vel tertia est, ac ceteris conformis, vel in instantia revisionis lata.* c.25.

*De recusationibus judicum, eorum praesertim, qui ab ipso Rege in hoc munus eliguntur, ut in ejus summis praetoriis jus unicuique reddant.* c.26.

*De expensis, & earum condemnatione hoc in cap. traduntur multa.* c.27.

*De his rebus, qua in Dotem dantur aestimata.* c.28.

*De Creditore privilegium habente, an possit agere ad pecuniam solutam posteriori creditori, qui eam consumpsit?* c.29.

*Quanam ratione Practici utantur in remittenda colonis pensione Sterilitatis causa.* c.30.

*De Seculari & Laica jurisdictione in eos clericos, qui prima tantum tonsura sunt insigniti.* c.31.

*Rursus agitur de clericis prima tonsura, qui nondum matrimonium contraxerunt.* c.32.

*Agitur item de jurisdictione seculari quoad clericos: praesertim ad brevem interpretationem cap. si iudex laicus, de sentent. excomm. lib. 6.* c.33.

*Inquiritur adhuc, an quandoque possit à laicis declinare Forum saculare in criminibus puniendis?* c.34.

*De rebus & negotiis Ecclesiasticis, qua solent apud hujus regni praetoria frequenter examinari?* c.35.

*De Jure patronatus laicorum ad differentiam juris patronatus Ecclesiastici, & utriusque derogationem.* c.36.

*De pascuis, & jure pascendi, tam lege juris communis quam ratione servitutis constituta.* c.37.

*Quo ordine agnatio, vel familia sit admittenda ad ea bona, qua vel ex fideicommissis, vel primogenio familiae, vel agnationi deferuntur.* c.38.



D I D A C I  
 COVARRUVIAS  
 A LEYVA, TOLETANI,  
 PRACTICARUM QUÆSTIONUM  
 LIBER UNUS.

CAPUT I.

Tota civilis Castellanae Reipublicae potestas, & jurisdictio, qua ratione penes ipsum Regem sit?

SUMMARIUM.

- 1 Gothi qua ratione, & quo tempore Hispaniarum imperium obtinuerint.
- 2 Potestas temporalis, civilisque Jurisdictio penes ipsam Rempublicam est, & apud eos, quibus ipsa id muneris commiserit: in quo ab Ecclesiastica differt.
- 3 Romana Respub. omne imperium in Casarem Augustum, & ejus successores transtulit.
- 4 Regius principatus vel libera electione populorum, vel hereditaria Gentilij primogenij successione moribus, aut lege probata, justus omnino censetur, inibi de jure primogenitura.
- 5 Regnum omnium Rerumpub. est prestantissimum, ibidem multa de Monarchia.
- 6 Regia potestas ex Dei, & natura ordinatione stabilitur.
- 7 Castellana regnum jure Gentilia successione primogenitis defertur.
- 8 Salica lex apud Gallos qua sit.
- 9 Castellana Reipubl. tota jurisdictio penes Regem est.
- 10 Castro à Rege alicui concessio, an censeatur concessa jurisdictio: & quid de mere, ac misto imperio.



ROMANIS olim Hispanias obtinentibus, † Gothisque à Septentrione totam Europam bello, armis & industria vastantibus, cum & Vandali, Alani, & Suevi relictis Galliis Hispanias invasisent, Honorius Imperator, Gothis, eorum Rege Ragadaiso in Fœsulanis montibus occiso, clade insigni à Stilicone Romanorum Duce & Consule afflictis, ejusdem gentis Principi Alarico Gallias Hispaniasque, quas jam penè perdididerat, inito cum Senatu consilio concessit: uti

commemorant Rodericus Toletanus *lib. 2. rerum in Hispania gestarum, c. 4.* & Joannes Lupus *de regno Navarra, 6. part. §. 4.* Quo jure, mortuo post eversionem Romanae urbis Consentia Alarico, Athaulphus Gothorum Rex misertus calamitatis Hispanorum, quam à barbaris patiebantur, auxilium eis impigrè laturus Hispaniam aggreditur; eoque intra breve tempus à suis interfecto anno Domini 416. Segericus, qui eidem successit, mox ut regnare cepit, occisus, vix inter Gothorum Reges propter brevitatem temporis ab Historicis ponitur. Post hunc Wallia Gothorum Rex, pace cum Honorio pacta, Vandalos & Alanos penè extinxit, ob easque res bene gestas ab Imperatore Aquitania, & maxima Narbonensis Provinciae parte donatus est. Quod Prosper Aquitanicus, & Isidorus testantur. Idem scribit Rodericus Toletanus *c. sexto.* Et post eos Paulus Æmilius hoc ipsam asseverat. Ruricus Theodoricus Rex, non satis his provinciis apud Gallias contentus, Hispanias invasit: Turismundus successit, eoque à quodam familiari occiso, Theodoricus permisso Imperatoris Hispanias ingressus, primus in eis Gothorum Rex obtinuit imperium, belloque Suevos domuit, ac paulatim maxima Hispaniarum parte subacta, Gothorum genti eas fedes stabilire ita conatus est, ut qui eidem in regno successerunt, graviter ac molestè tulerint Romanorum nomen adhuc in Hispaniis veteris imperij & principatus jura quaedam obtinuisse, donec Siseburus Rex prope annum Domini DCXV. expulsis Romanis Hispaniarum Monarchiam consecutus est. Huic siquidem Regi hoc tribuit Paul. Æmilius *lib. 1. de gestis Francorum.* Divus tamen Isidorus, Rodericus Toletanus. & Alfonsus Burgenf. id de Suintilla Rege, Richardi primi filio tradidere, qui cepit regnare anno Domini DCXXI. atque idèd apparet id contigisse circa annum Domini DCXXVIII. Nam & S. Isidorus ad annum 5. Suintillæ Regis Gothorum historiam profecutus est. Post hæc Gothorum Principes Hispaniar. imperium Regio Monarcharum nomine pacatissimum habuerunt ad annum usque Domini DCCXIV. Quo ex proditioe Comitum Juliani Arabes ab Africa Calpen, quæ nunc Gibraltar dicitur, transesti, cruentissimo prælio ipsis Gothis, eorumque Rege Roderico profligatis totam ferè Hispaniam occuparunt. Quo in prælio Gothorum omnis no-

nīs nobilitas cecidit: totāque Hispania in ditionem Sarracenorum venit, præter Astures & Cantabros, apud quos Pelagius Basiliæ Cantabriæ Ducis filius, nepos Gothorum Regis Cindasunthi, animum ad opem patriæ ferendam adjiciens, multos Christianos metū hostium latitantes in ordinem coëgit eosque adhortatus alacres admodum ad quodvis tubendum pro religione Christiana & patriæ periculum reddi adeoque sibi subditos & obnoxios effecit, ut ab ipsis Rex electus & nominatus, animo invicto, divinoque auxilio cœperit Arabes bello premere: aliquorque urbibus & oppidis ita cedere coëgerit, ut Reges, qui post eum Hispaniarum sceptrum consecuti sunt, maximis cladibus eos afficientes, ab Hispaniis prorsus expulerint. Cui negotio & Catholici Reges Fernandus, ac Elisabeth ultimam extremamque dedere operam, dum hoc Granatenſi regno armis capto, urbem hanc multis titulis celebratissimam, anno Domini M. CCCXCII. in eorum ditionem redactam Christi vexillo præducente ingressi fuerunt. Hinc sanè illud ipse deduxerim, Hispanias Monarchiæ & Regum imperio subditas fuisse adhinc fermè mille annis quibus Reges à Gothorum sanguine progeniti foelicissimè Rempub. istam bello & pace, datis justissimis ac saluberrimis legibus, sub Christiana religione Catholicè tutati sunt. Verùm ex aliquot Hispaniarum provinciis, quæ regna modò appellamus, Castulonensis sese nobis offert, de cujus jurisdictione, & civili potestate hoc in capite agere constituimus: illud equidem tractaturi, quam ratione sit penes Castellani Regem ipsa civilis potestas, totaque hujus Reipublicæ jurisdictione in ferendis legibus in mero, ac misto imperio denique exercenda. Castellam autem, provinciam Castulonensem diximus, eos secuti, qui ita quandoque nominaverunt, non ignari, veterem Castellam Bardulliam propriùs dici, & ipsos Castellanos Bardulos. Nec tamen hoc quidquam refert quoad nostrum institutum, cui equidem aptius erit aliquot exponere conclusiones, quibus examinatis multa constabunt, quæ hujus quæstionis decisioni potissimè suffragantur.

2. ¶ Prima conclusio: † Temporalis potestas, civilisque jurisdictione, tota & suprema, penes ipsam Rempublicam est: idcirco is erit Princeps temporalis, omnibusque superior Reipublicæ regimen habiturus, qui ab eadem Republica fuerit electus & constitutus, quo ex natura rei jure ipso gentium, & natura constat, nisi humanus ipse convictus pacto aliquid indaxerit. Hujus conclusionis nos obiter meminimus in *regul. peccatum de reg. jur. lib. 6. 2. par. num. 6.* ejusque probatio ex eo constat, quòd ab ipsa natura homines ita constituti sunt: ut nisi humanus intellectus cæcutiat planè percipiant lumine naturali, in quavis hominum civili Societate, quæ ad tutelam generis humani conducit omnino, constituendum esse necessario gubernatorem quemdam, penes quem sit illius societatis regimen & cura: eumque posse ab alio, quàm ab ipsa societate constitui. Etenim auctore Aristotele *lib. 1. Politicor. cap. 2.* Homo animal est omni ape omni que animanti gregali civilius: atque ideo est homo natura ipsa sociale animal longè magis, quàm apes, formicæ, grues, & ejusmodi genera, quæ gregatim aluntur, gregatimque se tuentur. At cum Deus ipse per naturam dederit rebus singulis facultatem se conservandi, suisque resistendi contrariis, quantum ad incolumitatem salutis, nec homines facultatem hanc exequi dispersi potuissent, instinctu eisdem adjunctus est gregatim vivendi, societatemque civilem constituendi: ut adunati aliis sufficerent, victumque facilius complures, quàm sin-

guli compararent, rutilisque ab incurſu ferarum & hostium degerent. Qua ratione manifestum sit, civitatem, id est, civilem societatem, natura consistere, hominem natura esse civile animal, eamque ob causam consocietatem sensim appetere. Prima hæc argumentationis pars potuisset pluribus auctoritatibus Philosophorum instrui: multisque rationibus, Aristotele in *lib. 1. Politicor.* Platone in *lib. de Republ.* Cicero in *lib. 1. de Inventione,* & Patrio in *lib. 1. de institution. Reipubl. tit. 3.* & tamen cum alio tendat nostrum hoc institutum, satisfecisse opinabimur, si hæc veluti per transennam obiter ad propositæ conclusionis probationem tetigerimus.

¶ Deinde illud constitutissimum est, civilem hanc societatem, quam humano generi necessariam diximus nequiquam potuisse civiles homines gubernare, hostes avertere, ac propulsare, & malefactorum audaciam cohibere, nisi magistratibus, principibus, aut rectoribus suam tribueret facultatem, sibi que judices, ac duces constitueret, quibus multitudo ipsa, totiusque congregationis homines subessent & obedirent. Cum alioqui cives ipsi sine ordine, & capite, minimè posse ea providere, quæ totius communitatis utilitati expedirent. Igitur constat secunda pars collectionis, qua diximus, in quavis civili societate necessariam esse gubernatorem quandam, qui ejus curam habeat, reliquosque cives in officiis contineat. Hoc Aristoteles *c. 1. & 2. Politicor.* & ceteri paulo ante citati probant, huncque in scopum tendunt ferè libri omnes ab eodem Aristotele, & aliis de *Republ.* editi. Apud nos text. est opti. in *c. in apibus, 7. q. 1. c. cum non liceat. de præscript.*

¶ Hujus verò civilis societatis, & Reipublicæ rector ab alio, quàm ab ipsamet Republica constitui non potest justè, & absque tyrannide. Siquidem ab ipso Deo constitutus non est, nec electus cuilibet civili societari immediatè Rex, aut Princeps. Saulum equidem, ejusque posteros tantum à Deo jure positivo divino per Prophetas, ore proprio Reges in Regno Israelitico electos fuisse constat ex sacris testimoniis. Præter hos nullus unquam Rex aut Princeps à Deo immediatè constitutus est: tamen si Deus populum Hebræum ferè quadringentis annis instar regni per unum gubernaverit: nempe Moysen, & ejus successores judices. Sic *Deuteron. cap. 27.* inquit Deus; *Cum dixeris, constituam super me Regem, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit.* Cæteris verò gentibus Deus ipse ab ipso naturæ jure liberam fecisse videtur potestatem sibi Principes, Reges & magistratus constituendi. Ergo quælibet Respublica divinitus naturæ lumine erudita civilem potestatem, quam habet, potest, & debet alium, vel alios transfere, qui Regum, Principum, Consulium, aut aliorum magistratum titulis ipsis communitatis regimen suscipiant. Qui verò esse in societate nequit, aut nihilo indiget propter copiam, is pars civitatis non habetur. Itaque aut bestia est, aut Deus. Quibus verbis Aristoteles in *d. cap. 2.* usus est ad hujus civilis societatis commendationem: omnes enim homines secundum eum in hanc societatem natura sunt propensi: quam qui primus constituit, is auctor exitit maximo um bonorum. Ut enim homo perfectionem nactus, animantium est optimus: sic cum à lege, justitiæque discessit, omnium pessimus habetur. Sed & hanc primam conclusionem palam asserit, ac tenet S. Thom. *1. 2. q. 97. art. 3.* Eandem probat multis rationibus Alphonsus à Castro *lib. 1. de potestate legis penalis, c. 1. vers. postquam.*

¶ Secunda conclusio: Potestas Ecclesiastica in hoc à civili, & seculari potestate differt, quod ea non est immediatè penes totam Rempublicam: sed fuit ab ipso Deo Jesu, Petro, ut Principi, & Apostolis cæteris, eorumque successoribus concessa. Probat hęc assertio. Nam hęc potestas supernaturalis est in finemque supernaturalem tendit, & idè jure naturali non potest alicui competere: imò apud illum erit, cui ab ipso Deo supernaturaliter data fuerit: Deus autem summus Jesus Christus humani generis Salvator, eam Petro, ut Principi, & cæteris Apostolis, eorumque successoribus dedit: ergo ea non competit toti Reipub. Christianæ, nec penes eam residet. Sicuti nos probavimus in *d. regu. peccatum. 2. par. §. 9. n. 6. ex Cajet. 2. 2. q. 1. art. 10. & in tract. 2. de potest. Pap. & concil. c. 1.* Hoc ipsum coadjuvatur ex eo, quòd cum Christus fuerit universalis redemptor Rex unicus regni cælorum toto orbe diffusus, potuit ac potest per unum vicarium totum regere orbem, maximè quia sub illo vicario instituit Patriarchas, Archiepiscopos, aliòsque Antistites, & sacerdotes, qui afflatu Spiritus sancti ministrarent spiritualia. (Quòd & latius tractavi in *regu. peccatum part. 2. §. 9. n. 5. & 6.*) Reges autem quia à suis regnis potestatem recipiunt, non est cur ab uno omnes dependant, nec id natura fieri posset commodè. Qua ratione item conclusionem probat Dominic. Soto *lib. 4. de justit. & jur. quest. 4. artic. 2.* eandem repetit Cajetan. in *2. part. Apologia de potestat. Pap. c. 2. & 9. qui in cap. 10. vers. ad secundam.* scribit, Deum ita genus humanum instituisse, ut ad ordinem, & finem naturalem, potestatem communitati dederit non uni: in ordine autem ad finem supernaturalem potestatem uni delegaverit, non communitati.

3 ¶ Tertia conclusio: Romana Respublica † cum ejus initio Reges sibi elegerit, & constituerit, ac demum in annales Consules summam potestatem transfulerit: tandem in Augustum Cæsarem, ejusque successores, Regia lege lata per populum ipsum ac Romanam communitatem, omne suum imperium, & potestatem contulit. Hujus conclus. plura sunt equidem testimonia: id enim constat ex *l. 1. ff. de constit. princ. l. 2. §. & cum placuisset. ff. de orig. jur. & paulò antè §. novissimè.* quo in loco Iuriconsultus testatur, populum Romanum necessitate constructum summam jus uni Principi dedisse, omniumque rerum arbitrium eidem permisisse, ut omnium factionum occasio tolleretur, tum ut in administratione provinciarum succenturiaretur Princeps Senatui, qui non perinde provincias omnes regere poterat. Sic & Arcadius Juriconsultus scribit regimenta Reipublicæ ad Imperatores perpetuò translata. *l. unica, ff. de offic. præf. præ. & Justinianus ait in l. 1. §. sed & hoc studiosum C. de vet. jur. encl.* Antiqua lege, quæ Regia nuncupabatur, omne jus, omnemque potestatem populi Romani in Imperatoriam majestatem translata fuisse idem explicat Duaren. *lib. 2. anniversar. cap. 9. & Vlpiano in dict. l. 1.* quo in loco Joan. Horoscus ex Theophilo cum Duareno convenit: scribit & de hac lege Ludovicus Charondas *lib. 1. conjectur. cap. 2.* Eadem lex appellatur Lex imperii in *l. ex imperfect. C. de testa.* propterea quod de Cæsaris Imperio lata fuerit. Moris autem erat apud Romanos, ut quoties ferenda lex esset, præsertim de re gravi, ea ad populum ferretur, quemadmodum multi tradiderunt, potissimum Ascan. Padian. in *Oratione pro C. Cornelio.* & Budæus in *dict. l. 2. §. & cum placuisset.* Romulus enim populo Romano hoc ipsum reliquit, ac permisit, ut leges suffragiis per cūrias accessitus comprobaret, auctore Dionisio: cui & Polybius consentire videtur, dum

describit, populum Romanum suo tempore hanc potestatem habuisse. Hinc Curiatæ leges apud Juriconsultum in *d. l. 2. in princ.* Suetonium in *Augusto.* & Cicer. in *Epistolis ad Lentulum.* Quæ leges & populares dicuntur ab eodem in orationibus. Ferbantur verò leges istæ convocato per triginta curias populo, singulisque curiis in separata septa constitutis, & sententiam rogatis, ut Zalius in *ead. l. 2.* adnotavit. Atque hęc quidem in usu erant apud Romanos ex veteribus Reipublicæ institutis, donec paulatim ad *Comitia tributa, & centuriata* omnia translata fuere: Comitibus Curiatibus veterem potestatem retinentibus quoad adoptiones, & alias quasdam leges, præsertim eam, quæ de imperio ferebatur: nec tunc servato illo ordine, quo olim Curie convenire solebant, quod lector poterit facilius observare apud eos, qui de Comitibus diligentissimè scripserunt. Hęc verò lex Regia dicta est, ut quidam existimant, quod per eam jus regnandi deferretur. Sed Ioan. Coraf. *lib. 7. miscellan. cap. 8.* existimat, Regiam legem idcirco dictam fuisse, quod jus Regis creandi lege lata Romulus Rex populo Romano concesserit: ut Dionysius & Livius *lib. 1.* scripserit. Atque idè solebant Tarquinius Servio Tullio objicere, quod injussu populi Romani Regnum invasisset. Cum itaque Augustus à populo Romano creatus fuerit Imperator, in eumque, ut olim in Reges, translata fuerit Reipublicæ potestas, videtur in usum revocata lex illa vetus Romuli, quæ idè Regia dicta fuit, quòd ea ad populum jus creandi Regis pertineret. Ego verò etiam nequaquam contendam, hanc hujus nominis, & appellationis rationem veram esse: cum & Augusti tempore non de Rege, (nomen enim istud maximo erat odio apud Romanos) sed de uno Principe constituendo ageretur: attamen opinor legem è populo Romano latam fuisse, tunc de hac potestatis & imperii translatione; ac posse eam legem Regiam dici, quòd ea lata fuerit de uno Principe in Romana Republica designando: ut olim Reges ab ipso populo constituebantur. Moribus etenim obtentam fuit, ut hujusmodi lex de Imperatoris potestate; in singulos Principes mox ut ab exercitu consalutari, & à Senatu comprobati essent, per Senatum ipsum decerneretur: quod ex Cornelio Tacito *lib. 17. 28. & 20.* adnotarunt Alciatus in *lib. de offic. milit. & civil.* Anton. Vaca. in *l. 1. ff. de constit. Principum.* & Hottoman. in *comment. verb. juris. verbo; lex Regia.* à quibus traditur exemplum tabule ætæ, quæ hac de re etiam hodie extat Romæ in Laterani Basilica. Addit & Dion. *lib. 53.* Divum Augustum consensu Senatus, populi que Romani, legibus solatam fuisse eo anno, quo ipse Decimus, & GN. Norbanus Consules fuerunt. Ipse q. idem Augustus, ne videretur statim veterem Romanæ Reipublicæ statum, & majestatem evertere, & tyrannide Rempublicam opprimere. Regiam planè potestatem nusquam usurpavit, quippe qui sua populo, suaque Senatui munia permiserit obire. Sed & Strabo *lib. 15.* testatur, consensu populi translatum fuisse in Augustum jus omne belli, & pacis. Vidi ipse æreum vetustissimum numisma, cujus altera facie, imago sculpra erat Augusti, his q. idem litteris: *D. Augustus:* altera verò Jovis imago cum hoc titulo. *Consensu Senat. eq. ordin. P. Q. R.* id est, Consensu Senatus, & Equestris Ordinis, Populi que Romani ex interpretatione Valerii Probi in libello de litteris antiquis. Sic denique Cæsares ut veteris Romanæ Reipublicæ imaginem referrent, & ne viderentur Imperium invito populo obtinere magistratus sepius petebant, qui plebis electione obtinebantur: tamen omnia fierent libero Cæsarem arbi-



arbitrio, Vnde Tribunitiæ potestatis dignitatem. Pontificatum maximum, & Consulatus affectabant: eorumque numismatis, quorum ipse plura vidi, inscriptum est, quos Consulatus Cæsaris obtinuerit, & quoties Tribunus plebis fuerit electus. Scribit & ad hæc Dion. lib. 55. Augustum à Senatu populique Romano Imperatoriam dignitatem primum accepisse in annos decem, & his finitis prorogatum fuisse ei Imperium in quinque, ac rursus in alios quinque, & post eos in decem, ac demum in alios decem, ut tandem Monarchiam obtinuerit, quolibet decennio Imperii translatione prorogata: atque idem tradit Imperatores consuevisse decimo quoque Imperii anno ludos, solemnia quædam publicamque conventam agere, ac diem festum in signum publicæ lætitiæ: quasi tunc fieret Imperii quædam prorogatio. Ex quo poterit lector obiter enarrare decennialia, ac vincennialia, quorum in vita Constantini Magni meminere Socrates *Ecclesiast. hist. lib. 1. c. 16. & 38.* Sozomenus *lib. 1. c. ult.* Nicephor. *lib. 8. c. 26.* Paulus Diaconus in Honorio, Trebellius Pollio in Galieno, meminuit & Decennialium Xiphilinus in Severo. Vovebaturque hi ludi in proximos 10. annos: atque idem in quibusdam numismatis inscriptum legibus: *Primi decennialis votum*; quod Alciatus *de militar. & civilib. offic. & Wolphgangus Lazius libro decimo de Republ. Rom. c. septimo.* præter alios tradidere. Sed & vota suspiciebantur pro salute in proximos Imperatoris, quinque, aut decem annos, ita quidem, ut si Jupiter, Dii, Deæque omnes Imperatorem in sequens quinquennium aut decennium sanum, & incolumem servassent, ipsos Diis vovere sacrificia, ludos, & alia sacra maximo apparatu celebranda.

¶ Quarta conclusio: Ad iusti principatus rationem, quæ à libero Reipublicæ communitatis consensu deducitur, satis est plebis, vel optimatum suffragiis aut denique hæreditaria successione jura primogenii gentilitii, † Regiam dignitatem deferri. Hæc etenim conclusio duas sortitur partes; utraque tamen eandem justitiæ rationem habet, consensum scilicet populi, & Reipublicæ expressum, vel tacitum. Prior tamen pars præmittit Principem electione quandoque constitui per ipsum populum, aut per optimates, qui populi ac Reipublicæ, & communita is nomine consensum omnium in electum sibi Regem præstant. Effet sanè plerumque difficillimum, suffragia omnium civium, & eorum, qui alicujus Reipublicæ partes sunt, à singulis exigere: idcirco convenit plebis multitudinem per ejus optimates negotia publica ita expedire, ut absque tumultibus, & seditiosis contentionibus tunc à Republica res peragatur. Igitur horum optimatum suffragia ea lege censenda sunt, qua omnium civium consensus, quem referunt, censeretur. *l. item eor. §. si decuriones. ff. quod cuiusque univers. nomin. c. ult. de prob. in 6.* Qua ratione septem illi Germaniæ Principes, quibus facultas delata est Christiani orbis Imperatorem eligendi, populum ipsum, & Christianam communitatem, quæ ab ipso Imperatore gubernanda est, omnino repræsentant, ejusque vicaria utuntur potestate viceque ea in electione gerunt. Vnde fit, quod electio Imperatoris ad Septemviro Germaniæ, ut collegium, non ad singulos pertineat: quemadmodum optimè probat Lupoldus *lib. 1. de juribus Romani Imperii, c. 6.* Panormitanus *in cap. venerabilem col. 4.* & ibi Cardin. *in §. verum. de electio.* Joannes Cicer. *lib. 2. de primogenitura, q. 12.* Castaldus *in tract. de Imperatore. quest. 11. & quest. 15.* Hinc sanè constat, ad justitiam principatus cuiuslibet satis esse, quod ip-

sus societatis consensus per optimates hunc in modum præstitus sit: tametsi non negaverim olim Romæ aliter in plebis comitiis suffragia præstita fuisse ad Consulatum electionem, & postea Imperatores, Augustus, ac Cæsares ab exercitu militari lectos quandoque extitisse: licet hæc electio minime censeretur iusta, nisi Senatus populique Romani comprobatio accessisset.

¶ Reges verò & Principes ab origine mundi populorum suffragiis creabantur, quod ex Justino *libro primo* constat, & Cicero *libro tertio de legibus.* Idem & nos paulò antè probavimus in prima hujus capituli conclusione. Nec enim ad Regiam majestatem, & excelsum dignitatis locum ambitio popularis sed spectata inter bonos virtus ipsa evexit. Textus optimus *in l. 1. ff. ad leg. Jul. de ambit. cap. unico, in fin. de alien. feud. cap. Moyses. §. q. 1.* ex Hieronimo super epistolam Pauli ad Titum. atque ita jure ipso naturali, & humano, nisi aliud moribus, aut speciali lege à populo lata institutum fuerit, Regem, & Principum creandorum jus ad populorum suffragia est omnino referendum. Sensit & hoc Panorm. *in c. venerabilem. penult. col. notab. de election. idem Panorm. in cap. intellectu. 2. colum. de jurejur. quo in loco citat gloss. notabil. ad hoc in d. cap. Moyses, eandem adducit ad Joan. à Terra Rubea tract. 1. contra rebelles artic. 1. conclus. 3.* notatque ex *3. Regum cap. 16. & 4. Reg. cap. 14.* explicat Alvarotus *in tit. de feud. March. colum. 2.* Quamobrem fallitur Joan. Cicer. *in tract. de primogenitura. lib. 2. q. 13.* existimat post mundi creationem statim regna & principatus jure sanguinis, & successione hæreditaria delatos fuisse; & dein de multo post, donec prohibita fuit in principatibus successio. Etenim si jure ipso naturali potestas civilis penes ipsam Reipublicam erat, & apud eum quem populi consensus in id munus constitueret, palàm est tunc electione, non successione principatus, & regna delata fuisse. Eadem ratione tollitur opinio gl. *in c. de denique 7. q. 1. in verb. Rege suo* dum probare nititur, Regis filium jure Regem post patrem futurum.

¶ Posterior conclusionis pars justitiæ itidem innititur. Nam si lege à populo lata, vel ab eo recepta principatus successione hæreditaria, genti cuidam, & familia deferretur, constat manifestè, hunc principatum consensu populi saltem tacito deferri; quemadmodum itidem erit, si absque lege scripta, consuetudine, & moribus regna, & Imperia gentilitia successione deferantur siquidem ea consuetudo consensum populi, qui ea usi fuere, omnino præmittit, *c. consue. 1. dist. 1. de quib. ff. de legib. sic denique consuetudine, & plerisque in locis lege diu jam recepta regnum defertur successione & jure primogenituræ.* Quod gloss. sensit *in d. c. Moyses.* Panorm. *in d. c. venerabilem. & d. c. intellectu.* Alvar. *in tit. de feud. March. col. 2.* Ant. Corfet. *in tract. de potest. & excell. reg. q. 9. opt. text. in c. licet. de voto. & c. grandi. de suppl. neglig. prelat. in 6. c. 1. §. pratereà. de prohib. feud. alien. per Feder.* tradit alios allegans Ioan. Cicer. *in tract. de primog. 2. lib. 9. 13. & 9. 14.* latissimè omnium Andreas Tiraq. *in tract. de primogeniis,* in ipsa præfatione, quo in loco multa refert, ex quibus apparet, consuetudinem istam ferè in toto orbe diu receptam fuisse. Nam & divus Hier. *in epist. ad Onagrium. & super Genisn* enarrans illud quod est. *49. Vende mihi primogenitum,* scribit, apud Hebræos Judaicum regnum olim primogenitis debitum fuisse, quod probatur *2. Paralip. c. 21.* regnum autem tradidit Joram, quod esset primogenitus, eodem jure tradit Josephus *li. 14. Antiq. c. 1.* iniquum à multis existimatum fuisse, Aristobulum Alexandri Regis Judæorum filium juniorem regnare